ELEMENTA

LOGICÆ, ONTOLOGIÆ, PSYCHOLOGIÆ, AC THEOLOGIÆ NATURALIS

IN QUATUOR TOMOS DISTRIBUTA

TOMUS QUARTUS

CONTINENS

THEOLOGIAM NATURALEM

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA SCARELLA

CLERICO REGULARI.

BRIXIÆ

MDCCLXIII.

Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

JOANNI ANDREÆ ARCHETTI

PONENTI SACRÆ CONSULTÆ

JOANNES BAPTISTA SCARELLA CL. R.

F.

S*Ingularis humanitas, qua me ſemper complexus eſt Tuus,* ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE, *Cl. Patruus* FRANCISCUS *Marchio Formigaræ, me impulit ut mea Tibi ſignificari curarem deſideria hoc Elementorum Logicæ ac Metaphyſicæ volumen, quod Theologiam continet Naturalem, in Tuo nomine emittendi: illa non minor, qua meis ſatisfacere votis Te paratum eſſe*

Digitized by Google

benigne reſpondiſti, facit ut non pœniteat conſilii mei. Quamvis enim meminiſſem Te multam operam ſub doctiſſimo noſtræ ætatis Philoſophiæ ac Matheſeos Profeſſore Rogero Buſchovichio S. J. in his dſciplinis poſuiſſe, & præclarum eximii in iiſdem progreſſus ſpecimen in Romano Lycæo dediſſe publica diſputatione, qua difficillimas hujus facultatis quæſtiones adverſus intricatiſſimas adverſariorum difficultates mirifice expoſuiſti: tamen verebar ne ab hiſce ſtudiis prorſus avocaſſent graviſſima Reipublicæ munera, quæ poſt id tempus Te ſemper diſtinuerunt. Nam olim quatuor ipſos annos ampliſſimum Prolegati munus Bononiæ magnificentiſſime ſuſtinuiſti maximo omnium plauſu, qui ſenis prudentiam in adoleſcente admirabantur, eo præſertim non brevi tempore, cum abſente ob comitia Legato, ſolus habenas moderabaris: nunc vero Te pluribus abhinc annis occupatiſſimum habent tres Sacræ Congregationes; prima Sacræ Conſultæ, in qua illuſtrem Ponentis Perſonam ſuſtinens, cum uno ex Purpuratis Patribus, qui præeſt, & aliis lectiſſimis Viris

innu-

Digitized by Google

innumerabiles eaſque majoris momenti totius Eccleſiaſticæ ditionis cauſſas dijudicas ; altera recenter inſtituta a Regnante Summo Pontifice CLEMENTE XIII. *, qui ampliſſimum Quinqueviratum ex tribus Cardinalibus & ex duobus Præſulibus , in quorum numero Te delegit , coalitum reviſioni criminalium proceſſuum deſtinavit ; tertia Sacrorum Rituum , cui cum Te Sapientiſſimus Pontifex adſcripſit , non minorem eſſe declaravit ſuam de Tua Juris Eccleſiaſtici ſcientia exiſtimationem , quam de Tua Civilis atque Politici declararat , cum duabus aliis adjunxit . Sed cum reſcripſeris Te , quamquam librorum qui emittuntur in lucem , inſcriptionem repudiare ſis ſolitus , tamen in meo quem obtuleram , a Tua veteri conſuetudine velle diſcedere , ſatis feciſti perſpicuum inter tot ac tantas in regendis populis , & in jure dicundo occupationes Tuum erga Philoſophiam ergaque illos qui eam profitentur , ſtudium non deferbuiſſe : immo Te eſſe unum ex iis ſummis Viris , qui aut cum Cicerone de Legibus cumque doctiſſimis bujus temporis Juriſperitis*

regen-

regendorum populorum ſcientiam & juris principia ab ipſamet reconditiori Philoſophia eſſe petenda decernunt; *aut cum Platone in optimo Reipublicæ ſtatu conſtituendo illud concipiunt celebre votum*; utinam aut Philoſophi regnarent, aut Reges philoſopharentur. *Quamobrem mihi ſummopere gratulor, quod Tibi hoc inſcribere volumen ſtatuerim, certus fore ut & peramanter accipias, & Tua maxima auctoritate magnum illi apud omnes favorem concilies. Nec tamen ad Tuam gratiam aucupandam Tuarum virtutum laudes hic perſequar, uti mos eſt; non ſinit quod per litteras ſignificaſti de Tua voluntate ab hac conſuetudine nimis aliena ob ſingularem modeſtiam, quæ Tibi communis eſt cum tota Tua Gente, quæ illam ſemper conjunxit cum maximis divitiis & ſummis honoribus, illo etiam recenti Intimi Conſiliarii, quo* Augustissima Romanorum Regina *Tuum fratrem* Antonium *decoravit. Verum illud ſaltem ſilentio præterire non poſſum, ſi principibus placuiſſe Viris maxima laus eſt, Te profecto hanc eſſe cumulatiſſime conſecutum,*

cui

Digitized by Google

cui ſapiens & juſtus ſapientum Virorum æſtimator Pontifex tot optimæ ſuæ erga Te voluntatis teſtimonia præbuit in graviſſimis muneribus Tibi plures ante annos committendis, & in honorificentiſſima Abbatia paulo ante concedenda; ut una ſit omnium vox Te ad majora reſervari, & fore ut in Republica Chriſtiana principem locum obtineas. Quod ut faxit Deus, votis omnibus precor. Interea librum, quem offero, & auctorem Tibi addictiſſimum commendo.

PRÆ-

Digitized by Google

Quid . : : . poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cum cælum ſuſpeximus cæleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? Cicero de Nat. Deor. l. 2. cap. 2.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

DUo potiſſimum ſunt ex quibus apparet maxima non ſolum utilitas, verum etiam neceſſitas Naturalis Theologiæ, quam nunc exponere aggredior. Primum in eo poſitum eſt, quod ſine cognitione Dei ejuſque attributorum & ratione, qua in aliis ſubſtantiis operatur, perfectam & abſolutam, quantum ab humana mente quit obtineri, rerum quæ ad animas & corpora pertinent, cognitionem comparare non poſſumus. Nam ultimæ rerum omnium rationes, in quibus unis animus ſciendi cupidus conquieſcere poteſt, & ad quas cum pervenit, ſe ad ipſa veritatis cubilia perveniſſe & ultra nequire procedere putat, ab alio nullo peti queunt niſi ab Ente a ſe, quod cum ſit primum omnium & ab æterno ſemper exſtiterit, ſui & eorum quæ in ipſum conveniunt, rationem in aliis non habet, rationem vero ipſum in ſe continet eorum, quæ aliquando cœperunt exſtare, quod attinet ad creationem conſervationemque tum ſubſtantiæ, tum virium, unde perpetuæ in hac univerſitate obſervatæ mutationes exſiſtunt. Hac de cauſſa in his conſcribendis voluminibus amplexati methodum, quæ vult ut ea præmittantur per quæ cetera intelligimus ac demonſtramus, multa in Logicis primum, & deinceps in Ontologicis de Ente a ſe diſputavimus, ut nobis aqua non hæreret in iis definiendis quæ ad animas & ad corpora atque ad eorum pertinent operationes. Et ſane ſi quis animo recolat, quæ in antegreſſis libris ſunt diſputata, manu quaſi tanget, nullis fere quæſtionibus ibidem tractatis ultimam ſine cognitione Dei manum imponi potuiſſe. Id quod uſuvenit cum in omni ſyſtemate, tum vero maxime in meo, in quo claris atque perſpicuis, ut mihi quidem videtur, rationibus confirmato, cum creatæ ſubſtantiæ aliæ in aliis tamquam effectrices cauſſæ nihil efficere poſſint, ad Dei creantis & conſervantis actionem eſt proxime confugiendum in explicandis mutationibus, quæ tum a conjunctione inter animam & corpus, tum a mutua corporum colliſione & attractione proficiſci obſervamus. Alterum eorum, quæ utilitatem neceſſitatemque hujus partis Philoſophiæ ſub oculos ponunt, ab illo petitur maleſano genere Philoſophorum, quibus Europa nunc ſcatet, qui vel Deum exſiſtere aut negant aut ſaltem du-

Digitized by Google

dubitant, ſuaque dubitandi momenta publicæ luci committere non verentur, vel verbis admittentes re tollunt, dum impia de Supremo Numine ſentiunt, & ſibi adumbratam quamdam & inanem, non expreſſam & ſolidam Dei ſpeciem comminiſcuntur. Inter quos mihi omnium perniciosiſſimus eſſe videtur celebris Bælius, qui etſi Deum qualem convenit, & qualem Chriſtiani venerantur, ſe tueri pluribus ſui Dictionarii locis profiteatur, tamen totis viribus in id incubuit, ut ſuaderet contraria dogmata firmis non minus, atque perſpicuis & inſolubilibus rationibus uti, atque ad id perſuadendum opus alio non eſſe ſtatuit, quam objectorum adverſus Dei exſiſtentiam & attributa converſione in argumenta, quibus contrariæ ſententiæ pro demonſtrandis enuntiationibus poſitæ confirmentur. Cum enim in paribus contrariarum rationum momentis non ſit major ratio cur alterutris potius mens aſſentiri debeat, inde conſequeretur juſtam cuique eſſe cauſſam dubitandi de præcipuis Theologiæ capitibus, nec ullum eſſe reliquum modum aſſenſum pro iis, quæ veræ ſunt, extorquendi. Nam quod ait Bælius in ſubſidium rationis venire fidem, cujus eſt triumphus ut aſſenſum extorqueat etiam adverſus clariſſimas rationes, ut vidimus §. 236. num. 3. Log. tantum abeſt, ut faciat ad rem, ut potius eidem quammaxime adverſetur. Prius enim myſteria Fidei rationibus naturalibus evidenter credibilia fiunt, quam iiſdem mens ſuum præbeat aſſenſum, ejuſdemque fidei nimium intereſt perſpicuum facere ea quæ credenda proponit, cum naturalis rationis principiis nequaquam pugnare. Qua de re videſis Crouſatium in libro inſcripto, *Examen du Pyrrhoniſme ancien & moderne* Hagæ 1733. part. 3. ſect. 4. & alibi, & Auctorem libri ex anglica linguam in gallicam tranſlati, inſcriptique, *De la certitude des connoiſſances humaines, ou Examen Philoſophique des diverſes prerogatives de la Raiſon & de la Foi. A Londres* 1741., qui hac de re toto in opuſculo & præſertim cap. 19. accurate diſſerit. Quæ cum ita ſint, mihi hæc duo potiſſimum propoſui in Naturalis Theologiæ quæſtionibus exponendis; primum ut ea conſtituerem, ex quibus ultimæ apparerent rationes eorum, quæ in animas & in corpora, atque in eorum mutationes convenirent, & præſertim ut planum facerem quænam proxime a ſolo Deo per creationem conſervationemque proficiſcuntur, & quænam proxime a rebus creatis, remote vero ab ipſomet Creatore; ex quo diſcrimine multarum alioquin inexplicabilium quæſtionum pendere ſolutionem animadverti: alterum ut objectis impiorum, & Bælii præſertim qui

tela

Digitized by Google

tela iiſdem aut ſuppeditavit, aut vehementius contorſit, pro virili parte ſatisfacerem, illudque docerem nihil ab hominibus allatum fuiſſe, quod ſumma Theologiæ capita labefactet. Quamvis autem multi, inter quos non ultimum obtinet locum Crouſatius in citato opere formæ majoris, Bælii aliorumque Scepticorum difficultatibus ſatisfacere conati ſint; me non arroganter facturum arbitror, ſi affirmem mihi tam beato eſſe licuiſſe, ut in quampluribus veras ſimul & evidentes, contraquam alii fecerint, ſolutiones præberem, non quidem ob ingenii præſtantiam quo me minus valere ſentio & profiteor, ſed propter mei circa continuum, circa ſubſtantias earumque vires ſyſtematis, quod forte fortuna ſum amplexatus, quod ſua veluti ſponte me ſenſim manu quaſi duxit ad latentes aut neglectas veritates, ex quibus unis perſpicua difficultatum omnium ſolutio repeti poſſet. Id quod conſtat ex multis, quæ in tribus ſuperioribus voluminibus diſputavi, & luculentius conſtabit ex iis, quæ in præſenti ſum diſputaturus.

Sed hæc univerſe dicta ſufficiant; nunc pro mea conſuetudine in ſummam redigere aggredior, quæ hic tractata ſunt. Theologiam Naturalem duas in partes diſtribuo, in quarum prima diſputo de attributis Dei abſolutis, in altera de relativis. Quoniam vero partim in Logica, partim in Ontologia jam oſtendimus exſtare Ens a ſe, & ex notione Entis a ſe perſpicue collegimus plura ipſius attributa, & præſertim infinitam ejuſdem perfectionem; ac diſtinctionem ab animis atque a corporibus, capite primo partis primæ occurrimus iis quæ contradicuntur, & potiſſimum Spinoſæ rationibus, atque ex noſtris principiis, quibus ipſam quoque ſubſtantiam extenſam carere evincimus partibus reipſa diſtinctis, & inteſtino motui obnoxiam eſſe nequire, perſpicue conficimus prorſus abhorrere a vero auctoris ſyſtema, in quo una tantum ponitur in univerſo extenſa ſubſtantia, in qua ſint plures iique contrarii modi, quales in animis atque in corporibus obſervantur. Cum autem ex altera parte perſpicuis rationibus in Ontologia docuerimus unum tantum exſtare Ens a ſe, nullamque partem ab eodem poſſe decerpi, indeque evidenter intulerimus corpora & animas ab ente a ſe ex nihilo debuiſſe creari; & ex altera hic adverſus Bælium alioſque planum fecerimus cum nullo evidenti principio pugnare tranſitum a non ente ad Ens virtute infinita entis a ſe, præſertim cum in rebus creandis nihil ſit veri entis cujus ſimile in ente a ſe non reperiatur, ſed ſolum ſint aliquæ negationes, quæ tamquam relationes proxime creandæ non ſunt, ſed ipſæ

ipſæ per ſe ex creatis rebus exſiſtant: in ſcholio adnexo ex regulis in Dialectica conſtitutis, eas ſubtiles rationes quæ adverſus creationis poſſibilitatem allatæ fuerunt, nihil obeſſe colligo, propterea quod iis ita ſatisfacimus, ut illud ſaltem compertum fiat nihil certi ex iiſdem confici poſſe. Hac occaſione tango difficultatem illam, quam adverſus temporaneam mundi creationem multi ducunt ex eo, quod nulla fuerit major ratio ſufficiens, cur Deus in hoc potius momento quam in alio quocumque mundum crearit, & ſimiliter ſolvo, ac olim tom. I. Phyſ. Gen. §. 13. quamdam Leibnitianorum difficultatem adverſus inanis poſſibilitatem diſſolvi. Nam uti tunc reſpondi, cum inane non ſit reipſa extenſum, nec ideo locus in quo corpora collocari queant, nec plures ſint in eodem diſtinctæ partes, in quarum una præ aliis mundus locari poſſit, ſed in ipſa mundi creatione locus extenſus eſſe incipiat, alienum eſſe a ratione ſufficientem quærere rationem, cur Deus mundum creet in hac potius parte vacui, quam in aliis, quia ratio ſufficiens eſt ſolum inveſtiganda in iis eventibus, in quibus plura eſſe poſſunt, non autem ſimul §. 78. n. 5. Log.: ſic nunc ajo rem ſimiliter ſe habere in ea quæſtione, cur Deus mundum crearit in hoc potius inſtanti quam in alio quocumque, propterea quod cum ex altera parte tempus non ſit niſi in corporum motu §. 186. Ont., ad ſummum in rebus creatis, & cum iiſdem incipiat exſiſtere, & ex altera inſtantia non ſint niſi initium aut finis temporis, ſive ſucceſſionis, quæ in motu aut in conſervatione mundi creati reperitur, non ſunt ante mundi creationem hæc inſtantia anteriora atque poſteriora interque ſe diſtincta, in quorum aliquo ſi mundus creetur, alia omitti debeant, atque idcirco rationem poſtulent ſufficientem cur illa omittantur, hoc eligatur; ſed cum ipſomet mundo ponitur primum inſtans, ſive tempus & ejuſdem initium. His obiter animadverſis, eo quod de hac re mihi integrum ſervo alium in locum, tria diſtinguo genera Atheorum, primo eorum qui vellent nullam eſſe ſubſtantiam a ſe, ſed omnes alias ab aliis in infinitum prodiiſſe, quin umquam perveniri poſſit ad eam quæ ſit a ſe; ſecundo eorum qui putant omnes ſubſtantias eſſe a ſe, & ex fortuito ipſarum concurſu novas ab æterno res & hunc denique mundum generata fuiſſe, quin aliqua particulari ſubſtantia a ſe infinitæ perfectionis ad hunc mundum formandum atque regendum opus foret; tertio maleſani Spinoſæ, ejuſque Diſcipulorum, qui volunt quidem unam tantum eſſe eamque infinitam ſubſtantiam a ſe, ſed minime diſtinctam a mundo,

Digitized by Google

do, quæque ſit idem, ac totus mundus, duobus infinitis attributis, extenſione ac cogitatione donatus. Primos adverto me jam confodiſſe in Logica, cum §. 96. & ſeq. docui cum ratione pugnare ſeriem entium infinitorum ab alio, quorum nullum ſit a ſe, idque contra Adverſariorum ſolutiones certis perſpicuiſque principiis firmavi. Secundos evidenter refello, primum quia nec motus nec alia quælibet mutatio eſſe quiret aut ab æterno, aut in tempore: deinde quia ſunt impoſſibiles plures ſubſtantiæ a ſe, quarum aliæ cum aliis differentiis & perfectionibus connectantur; id quod perſpicue colligo ex rationis ſufficientis principio, quod in rebus neceſſariis certiſſime obtinet, quia tunc ſubſtantia a ſe eſſet indifferens ut cum hoc aut cum illo ente copularetur, & aliunde nulla foret major ratio ſufficiens, cur ex duabus ſubſtantiis a ſe altera exſtiterit cum primo ente, non cum ſecundo; altera cum ſecundo, non cum primo: demum quia ſubſtantiam a ſe unam tantum eſſe oportere jam evidenter in Ontologia monſtravi. Ad tertios confutandos primum expono rationes quibus impius Spinoſa ſuadere conatus eſt, & Cuſſelerus atque Tollandus eumdem ſecuti confirmare tam inſanum ſyſtema: tum adverto me non poſſe aſſentiri Bælio qui hoc impugnaturus in verbo *Spinoſa* cum communi Philoſophorum ſententia tanquam certum & exploratum ponit materiam ſive ſubſtantiam extenſam ſine partibus reapſe diſtinctis eſſe non poſſe, atque ideo nec cogitari. Nam ſi fundamentum hujus refutationis in hoc poneretur cum citato Scriptore & cum aliis qui eumdem ſequuntur, non immerito apud ipſum eumdem Spinoſiſtæ negarent ſui Præceptoris ſententiam manifeſtæ falſitatis ab aliquo fuiſſe convictam; propterea quod ex iis quæ in Ontol. §. 78. & ſeq. & §. 157. diſſeruimus, conſtat partes reipſa diſtinctas in una ſubſtantia extenſa minime exſtare, nec ab ipſomet Deo in plures partes eamdem poſſe ſecari. Poſtea me verto ad alia, & planum facio has varias, multiplices, alias aliis ſuccedentes infinitæ ſubſtantiæ extenſæ mutationes, quas Spinoſæ aſtipulatores admittunt, prorſus labefactari & propriis rationibus, & iis etiam quibus alia ſyſtemata convelluntur. Tandem accurate doceo nullius eſſe momenti rationes quæ a communi aliorum hominum ſenſu Spinoſam, Cuſſelerum & alios dejecerunt. Quo confutato ſyſtemate, ſcholium concludo refutatione Auctoris impii Commentarii *L'Homme Machine*, qui rationes quas pro Supremi Numinis exſiſtentia in medium produxerunt Fenelonii, Neuvienthiti, Abadieſii, Derhami, Raiſii, aliique quamplurimi, traducit tamquam moleſtas

leſtas

Digitized by Google

leſtas repetitiones, & tamquam eas quibus Athei objicere poſſunt alias fortaſſe æqualiter firmas & abſolute contrarias, qua in ſententia eſt quoque Bælius, & ad quam inclinare videtur auctor libri *Penſées Philoſophiques*. In hac autem refutatione moneo id uſuveniſſe, quod in diſputatione de continuo extenſo, deque vacui poſſibilitate uſuvenire animadvertimus in Log. §. 243. n. 17. & ſeq. & in Ont. §. 155., tametſi hæc tria, *poſſe inter cubiculi parietes reperiri vacuum*, *extenſum ex inextenſis componi nequire*, & *in extenſo minores in infinitum partes poſſe deſignari*, perſpicuis rationibus conficiantur, tamen multos ne iiſdem aſſentirentur, deterritos fuiſſe iis graviſſimis difficultatibus, quas ibidem expendimus, propterea quod aut ignorantes, aut non advertentes ad ea quæ nos attulimus, aut nimium quam par erat, ex quibuſdam claris enuntiationibus colligentes, ab iiſdem ſe extricare non potuerunt.

Sequitur caput ſecundum, in quo brevi oſtendo immutabilem Dei naturam eamque vindico ab adverſariorum objectis, & rationem trado qua cum Dei libertate concilietur. Longior ſum capite ſecundo in conficienda ipſius immaterialitate atque ſpiritualitate, & peculiaribus quibuſdam rationibus monſtro Deum eſſe nequire donatum extenſione neque finita, neque infinita aut relative, propterea quod incurreret in eaſdem difficultates ac extenſio a ſe finita, cum extenſum relative infinitum ſit infinite parvum ratione habita extenſi in altiori gradu infiniti; aut abſolute, quia contra id quod paulo ante adverſus Spinoſam docuimus, inde ſequeretur nullam præter hanc unam eſſe poſſe aliam ſubſtantiam extenſam, nec extra illam, nec intra, cum hoc in eventu dari poſſet aliud extenſum aut majus, aut denſius eo, quod omnium poſſibilium abſolute, & in omni genere maximum poſitum fuit. In ſcholio ſequenti primum hæc eadem dilato, & alia adjungo, quibus perſpicuum ſit hanc extenſam ſubſtantiam abſolute infinitam, qualis eſſe deberet ſi foret a ſe, eſſe minime aptam motui aut rectilineo, aut curvilineo, atque idcirco non eſſe idoneam explicandis corporum motibus, qui in natura obſervantur; tum declaro nullam eſſe difficultatem, quam Materialiſtæ depromunt ex eo quod aliqui Philoſophi volunt ſpatium vacuum dari poſſe & extra muudum reipſa conſtare, idemque eſſe aliquid æternum atque divinum, atque ad eam diluendam illudque oſtendendum hoc inane eſſe quidem poſſibilitatem recipiendi extenſa, quæ utpote relata ad actum poſitivum, qualis eſt corporum receptio, debet eſſe in ente poſitivo, atque idcirco in Deo, qui omnium rerum ab æterno.

Digitized by Google

no continet poſſibilitates; ſed non eſſe reipſa extenſum, ut Philoſophi comminiſcuntur, ideoque non pugnare cum divina natura, quæ extenſionem repudiat: hic exſcribo quæ tomo I. Phyſicæ Generalis §. 9. & ſequentibus accurate diſſerui. His autem finem impono longiſſimo ſcholio, quod præiverat maximæ difficultatis ex eo petitæ, quod intelligi nequit, quomodo Deus extenſione careat, & nihilominus totus in omni extenſo ſit, ſolutio depromta ex iis, quæ in Pſychologia in ſimili diſputatione de Anima inextenſa edifſerueram.

Caput quartum verſatur in demonſtratione abſoluto infinitæ Dei perfectionis, quam evidenter colligo ex creatione & conſervatione corporum & animarum, quas ſubſtantias in infinitum plures ac plures creare & conſervare poteſt. Nam in ſcholio ſequenti cum Theophilus Canzius ex rationis ſufficientis principio deduxiſſet nullos poſſibilium perfectionum limites eſſe quire in Deo, adverto hanc rationem eſſe quidem ſatis ad illud oſtendendum, nullum ex entibus ſive perfectionibus poſſibilibus in ente a ſe poſſe deſiderari, ſed quo efficiamus has perfectiones eſſe in eodem abſolute infinitas, neceſſarium eſſe docere id in quo paulo ante verſatus ſum, prorſus repugnare, ut in poſſibilibus perfectionibus terminus aliquis definiri queat. Cum autem ex Monilia part. I. ſect. 4. §. 9. libri inſcripti, *Diſſertazione contra i Materialiſti*, exſcripſerim textum, ex quo videtur Hobbeſius in ea fuiſſe ſententia quod Deus eſt infinitus ſolum ratione habita noſtræ mentis, eumque Hobbeſio ipſi attribuerim in lib. de Cive cap. 15. §. 14., nec tamen apud eumdem in editione Amſtelodamenſi anni *1647*. typis Ludovici Elxevirii deprehenderim, poſteaquam ille locus fuerat impreſſus, poſtea adverti illa verba eſſe Moshemii apud Cudworth, qui Moshemius veram Hobbeſii ſententiam ex aliis ipſius verbis, quæ citato loco apparent, ſub oculos ponit.

Dei æternitatem in Logica jam demonſtravimus; unde capite quinto id unum ſuſcipimus demonſtrandum, nullam ante mundi creationem actu fuiſſe ſucceſſivam durationem, idque colligimus ex eo, quod in ente a ſe nullæ fuerint res quarum aliæ aliis ſuccederent. Adverſus quemdam illuſtrem auctorem a Canzio citatum, qui contendit in Deo plura exſtare momenta, & ex eo ſuadere conatur, quia ſi non forent, Deus ſuum æternum creandi mundi decretum non retuliſſet nec potuiſſet referre ad hoc potius momentum in quo creavit, quam ad aliud quodcumque, atque idcirco ab æterno creare debuiſſet; adverto ſi quis ita argumentum

con-

Digitized by Google

concludat, ſi Deus non decrevit condere mundum in hac potius vacui parte quam in alia quacumque, debuit mundum creare in toto infinito vacuo atque idcirco infinite extenſum, facilem eſſe reſpondendi rationem, quia cum non ſit hoc extenſum inane, ideoque nec ullas habeat partes in quarum alia mundus collocari poſſit, non in aliis, non eſt neceſſarium ut Deus ſuam dirigat voluntatem ad illum potius in una parte creandum quam in aliis, nec ex eo quod hac voluntate caruerit, ſequitur mundum eſſe infinitum, ſi aut talis eſſe nequeat, aut etiamſi poſſit, Deus ad illum finitis circumſcriptum limitibus creandum libere ſe determinarit: indeque colligo rem ita ſe quoque habere in duratione: propterea quod cum ante mundi creationem nulla ſit reipſa ſucceſſiva duratio, atque idcirco nullæ ipſius diſtinctæ partes aut momenta, in quorum uno Deus præ ceteris mundum creare poſſit; ex eo quod Deus ſuam voluntatem ad nullum æternitatis momentum direxit, non continuo ſequitur mundum creatum fuiſſe ab æterno, ſi aut ab æterno eſſe nequeat, ut infra docebo, aut ſi etiam poſſit, Deus ab æterno ſe libere determinarit ad illum poſt æternitatem creandum. Rationem quam urget, petitam ex eo, quod Deus potuerit mundum creare prius, quam crearit, 100 annos, 1000, 10000 &c., item refello paritate vacui, quia ſicuti nobis fingimus, eductis omnibus ex cubiculo corporibus, inter ejuſdem parietes eſſe extenſionem, & 10 ex. gr. palmorum diſtantiam, quia tametſi hæc actualis extenſio & diſtantia ſine corporibus extenſis & interceptis eſſe nequit, tamen imaginatione ſubſtituimus alia corpora, quæ Deus inter parietes collocare poteſt; ita ante mundi creationem nobis repræſentamus aſtrorum curſus atque periodos, quia licet hæ actuales rerum ſucceſſiones non ſint, tamen imaginatione comminiſcimur alium mundum, quem Deus cum hiſce ſucceſſionibus atque periodis ſemper creare potuit.

Sed hac de re iterum tracto in parte ſecunda; nunc reſtat ultimum partis primæ caput, in quo propono objecta adverſus Dei unitatem in Ontol. demonſtratam, doceoque duo aut plura entia a ſe aut diſſimilia, aut prorſus ſimilia eſſe nequire. Primum ex eo facile colligo, quod neutrum ex duobus entibus a ſe diſſimilibus contineret in ſe omne poſſibile ens, quemadmodum eſſe neceſſarium in Ontologia docuimus, & alioquin nulla foret ratio ſufficiens, cur unum ex iis entibus a ſe ſit conjunctum cum tali differentia, non cum altera, aliud vero cum ſecunda, non cum prima, eoquod ens a ſe tunc foret indifferens, ut cum alterutra copula-

pularetur. Quod attinet ad duo entia a ſe prorſus ſimilia, moneo Canzium repudiare rationes, quibus eadem eſſe impoſſibilia demonſtrant, niſi firmentur Leibnitiano Indiſcernibilium principio, quod in eo poſitum eſt, ut nihil eſſe poſſit alteri prorſus ſimile, eo quod illa unum ſunt quæ non poſſunt diſtingui, & ſi prorſus ſimilia ſunt, nulla in re diſcerni queunt. Sed animadverto mihi valde diſplicere, rem in qua eſt cardo univerſæ Theologiæ Naturalis, tali niti principio, quod, ut leviſſime dicam, ſaltem valde incertum eſt, ſi univerſe accipiatur. Quis enim concoquere poteſt Deum nullo pacto poſſe creare duo corpuſcula omnino æqualia, æqualiter denſa, & iiſdem limitibus circumſcripta, atque idcirco omni ex parte ſimilia; immo etiam in hac rerum univerſitate ſimiliter poſita, ſi eadem, ut fieri poſſe docuimus, compenetrata ponamus? Quid repugnantis eſt hac in re? In nullo, inquiunt Leibnitiani, differrent. Ergo eſſent unum & idem corpuſculum. At ex eo quod non diſcreparent aliqua differentia ſpecifica, non continuo ſequeretur, nec individualibus diffidere, niſi prius doceant individuales differentias ſine aliqua ſpecifica non poſſe conſiſtere: quod ſane non ita facile præſtiterint. Quamobrem moneo diſcrimen eſſe ponendum inter entia ab alio, interque ens a ſe, quia cum prima poſſint in ſtatu meræ poſſibilitatis reperiri, poſſunt conſiderari ut adhuc indifferentia ad ſingulares determinationes, & a libera Entis a ſe voluntate ad hanc potius accipiendam, quam ad aliam quamcumque, determinari; ſecundum vero cum in ſtatu poſſibilitatis tamquam poſſibile amplius intelligi nequeat, non poteſt eſſe indifferens ad plures determinationes, ſive individuas exſiſtentias, & ſi duo forent poſſibilia entia a ſe, ſine ulla ſufficienti ratione primum Ens a ſe cum hac tali individua determinatione, ſecundum cum altera conjunctum fuiſſet.

Cum duobus abhinc annis Academia Leidenſis, propoſito premio, demonſtrationem poſtulaſſet hujus enuntiationis, *ex eo quod aliquid exſtat, ſequitur exſiſtere ens neceſſarium, æternum, immutabile, atque ab hoc mundo diſtinctum atque ſecretum*, ad eamdem oſtendendam commentarium exaravi, quem operæ pretium ſum arbitratus hic edere in lucem; propterea quod meas in hanc rem cogitationes latius explicavi, & niſi fallor, ad Atheos convincendos firmius propoſui. Sed non ſimiliter operæ pretium arbitror ea quæ hic diſſerui, in ſummam colligere, propterea quod multa hic complector eorum, in quibus antea verſatus ſum.

Quamobrem venio ad partem ſecundam, in qua de attributis

Digitized by Google

Dei relativis diſſeritur. In primo capite Deum tamquam Creatorem contemplor, & duo mihi propono conficienda, alterum Deum creaſſe mundum, ſive corpora, & animas; alterum creaſſe in tempore, eoquod ab æterno mundus eſſe non potuit. Præcipuis Ariſtotelis, & Procli pro æternitate mundi argumentis, quæ ex Pereſio profert Cl. Genuenſis, illa paritate vacui in ſimili re quam ſupra adhibuimus, & diſtinctione inter terminos externos atque internos, quam attulimus §. 69. Ontol. ſic nobis videmur facere ſatis, ut obſcuriſſimo loco quam clariſſimam lucem nos attuliſſe nobis perſuadeamus, jure an injuria, doctorum erit judicium. Ex iis duobus tertium elicio Deum libere hunc creaſſe mundum, adeout potuerit ab illo creando abſtinere, & alium quemcumque majoris vel minoris perfectionis e nihilo educere; quod confirmo ex eo, quia mundus a Deo creandus non poteſt eſſe niſi abſolute finitus, vel infinitus relative, quo alius in infinitum major eſſe quit, & ſi non eſt niſi finitus, aut relative infinitus, dari non poteſt mundus omnium perfectiſſimus, quem unum Deus creare poſſit, cum ex altera parte Ens & perfectio idem ſint §. 29. Ont. & ex altera mundus finitus, aut ſolum relative infinitus non contineat omnes illas perfectiones & omnia entia, quæ in mundis tum in extenſione, tum in numero ſubſtantiarum in infinitum majoribus eſſe queunt. Ad potiſſimam difficultatem ductam ex principio ſufficientis rationis, quod voluntas optima debet velle optimum, utor diſtinctione boni interni, & externi, & ajo Deum velle optimum in ſe ipſo, quia ſe ipſum ſummum bonum amat, non autem extra ſe ipſum; quia ob allatas rationes mundus optimus ac perfectiſſimus eſſe non poteſt, & propoſitæ difficultati ſic ſatisfacio. Aliud eſt dicendum de potentia eligendi, aliud de ipſa electione: tam Deus quam animæ creatæ ex pluribus bonis eligere poſſunt unum ex iis, aliis prætermiſſis, etiamſi in iis quæ prætermittenda forent, major ratio boni foret, aut eſſe appareret. Sed quod attinet ad electionem, diſcrimen aliquod inter Deum & animas ponendum eſt. Cum enim Deus nec poſſit falli in cognitione bonorum, nec aliquod extra ipſum eſſe queat bonum omnium maximum & abſolutiſſimum, non poteſt eligere id quod ipſi appareat ſub ſpecie boni omnium maximi. Ergo ipſius libertas tantæ perfectionis eſſe debet, ut Deus ſe reipſa determinet ad aliquod bonum eligendum, etiamſi aliud majus eſſe queat, idque appareat. Nec id alienum eſt a divinæ voluntatis libertate, quæ eſt prima cauſſa omnium rerum quæ ſunt extra Deum, quæque idcirco rationem

tionem cur illas creet, mutuari non debet, ſed ipſa continet primam omnium rationem. Animæ vero creatæ quæ in cognoſcendo decipiuntur, ſemper vel fere ſemper reperiri poſſunt in eo ſtatu, ut ex pluribus quæ cognoſcunt & eligere queunt, unum ex iis appareat ſub ſpecie majoris boni aut univerſe majorem habentis rationem cur eligatur, eo quod æqualitas, ut pote una, difficillima eſt, differentiæ vero, ut pote infinitæ, facillimæ ſunt; & non ſunt ita perfectæ, quemadmodum prima cauſſa, ut ſine majori ratione in objecto aliquo ex pluribus cognita ſe ad illud eligendum aliquando determinent. Quod vero animæ ſint ita comparatæ, invictam, ut mihi quidem videtur, rationem in medium in conſequentibus produco. Quæ omnia confirmo doctrina celebris Auctoris, qui docet, etſi creatis rebus ſit melius eſſe quam non eſſe, melius eſſe cum majori quam cum minori perfectione, ratione tamen habita Dei eſſe omnia æqualia, quia Deus nullam prorſus ne quidem minimam a rebus creatis perfectionem acquirit, atque in ſe beatiſſimus eſt, tametſi ab alia nulla ſubſtantia cognoſcente, niſi a ſeipſo, cognoſcatur: quæ doctrina magno mihi eſt in poſterum uſui in diluendis graviſſimis Bælii adverſus Dei bonitatem ac providentiam difficultatibus. In adnexo ſcholio primum adverto, quamquam duæ ſint diſtinctæ quæſtiones de libertate Dei in mundo creando, deque mundi optimi ac perfectiſſimi creatione, tamen in ſolutione objectorum eaſdem me permiſcuiſſe, propterea quod altera cum altera apta eſt, & iiſdem fere rationibus & objectorum ſolutionibus utitur: deinde quod attinet ad primam, addo illud maxime dignum eſſe quod animadvertatur, corpora & animas a libera Dei voluntate e nihilo educta fuiſſe, iiſdem prorſus ſuaderi rationibus, quibus compertum ſit eadem non eſſe ſubſtantias a ſe; propterea quod ſive ſint a ſe, ſive a Deo neceſſario creentur, neceſſario exſtarent, & poſita exſiſtendi neceſſitate nulla foret ratio ſufficiens, cur corpora tales potius determinatas magnitudines, figuras, vires, viriumque directiones, quam alias quaſcumque non minus poſſibiles haberent, & cur animæ has potius ideas, appetitiones, & talem earum numerum, quam alias quaſcumque poſſibiles de hoc genere proprietates. In ſecunda vero quæſtione præ me fero mihi magnam eſſe luctationem cum Cl. Wolphio, qui in Theologia Naturali ſententiam mundi optimi ac perfectiſſimi quammaxime illuſtrat atque confirmat. Primum hominis rationes expono; tum ex ipſius principiis confirmo mundum hujuſmodi eſſe nequire: propterea quod cum ex altera parte ſecun-

dum auctorem major vel minor mundi perfectio ex eo pendeat, quod major vel minor ſit in ipſo rerum conſentientium varietas, & ex altera finito aut ad ſummum relative infinito numero contineantur, quæ hoc in mundo inter ſe apta & connexa ſunt; nemo non videt Deum efficere potuiſſe mundum, in quo valde plura forent quæ conſentirent, & in quo idcirco valde major rerum conſentientium varietas reperiretur. Poſtea rationes expoſitas directe refello atque ad id conſequendum principii loco ſtatuo Deum in mundi creatione ſibi optimum ac perfectiſſimum propoſuiſſe finem, manifeſtationem nempe ſuorum attributorum, ſed non eam quæ foret abſolute infinita, eoquod id repugnat non minus quam mundus abſolute infinitus; verum aliquas tantum ex ſui perfectionibus manifeſtare conſtituiſſe, eas nempe quæ ipſi placuere, idque propter rationem aliquam ſufficientem eidem cognitam, ſed ignotam nobis, qui utpote finita donati cognitione, infinita divinæ Mentis conſilia penetrare non poſſumus: quo fine ſibi propoſito, Deus mundum creavit, qui optimus quidem ac perfectiſſimus eſſet ratione habita eorum omnium quibus idem finis comparari poſſet; non vero optimus ac perfectiſſimus eorum omnium qui a Deo creari potuerunt, quia Deus conſtituere ſibi poterat finem manifeſta faciendi alia plura ſui attributa, ad eumque obtinendum mundum comparate optimum ac perfectiſſimum creare, atque idcirco ratione habita mundi creati meliorem perfectioremque. Hiſce conſtitutis, Wolphianas rationes facile ſolvo. Quo vero Dei exſiſtentiam & præcipua tum abſoluta tum relativa attributa magis firmemus, ac doceamus nulla venia eſſe dignos qui tanta in luce cœcutiunt, in fine ſcholii adminiculo plurium dilemmatum & contradictoriarum enuntiationum tanquam manifeſtum & exploratum concludo, exſtare unum Ens a ſe, ab æterno, cognitione & libera voluntate donatum, quod animas & corpora e nihilo libere eduxit.

Hæc excipit caput ſecundum, in quo ad eum finem ut res creatæ permaneant, neceſſariam eſſe continuationem illius divinæ actionis, qua primitus e nihilo eductæ fuerunt, quæque dicitur conſervatio, preſſe doceo hoc ſyllogiſmo; ſi actio qua primum res a Deo creatæ fuerunt, per aliquod tempus durare debet, tamdiu maneat oportet, quamdiu res permanent; atqui actio, qua primum res a Deo creatæ fuerunt, per aliquod tempus duret neceſſe eſt. Ergo actio qua primum res a Deo creatæ fuerunt, tamdiu maneat oportet, quamdiu res permanent. Rationem minoris enuntiatio-

nis

nis perſpicuam & evidentem duco ex principio ſæpius in Ontologia uſurpato, quod ſi ſolum inſtanti duraret, eodem inſtanti foret & non foret: majoris autem aſſumtæ ex eo quod cum tempus minimum omnium dari non poſſit, & nulla ſit major ratio ſufficiens, cur potius illa actio durare debeat per tempus unius minuti quam per dimidiam partem minuti, per quartam, per octavam, per &c. uſque in infinitum, inde concludendum eſt hanc Dei actionem tamdiu durare oportere, quamdiu res permanent; quia cum omnia alia tempora eo breviora quo res durant, nullam habeant majorem rationem cur potius unum ex iis, quam alia ſint neceſſaria ad eum finem ut creatio ſit, non autem ſolum incipiat eſſe, hanc habet totum illud tempus, quo res perſeverant, quod unum eſt, & illud habet proprii, ut cum duratione rei ſimul exſiſtat. Rationes quæ contradicuntur tantum abeſt, ut hanc communem ſententiam aliquantum infirment, ut ſolutiones quas affero, eam luculentius confirmare videantur. Nam ad illam communem, quæ ducitur ex eo, quod ut res permaneant in eo ſtatu in quo ſunt, nullius externi entis egent, bene vero alicujus indigent ut ab alio ad alium ſtatum tranſeant; quia ut nihil novi ſit, nihil requiritur; bene vero quidpiam deſideratur, ut quidpiam ſit novi: hæc repono, quæ perſpicuum faciunt allatum principium facere pro recepta ſententia, & Adverſarios educunt ex latebra in quam ſe conjecerunt. Cum entia ab alio ex altera parte incipiant eſſe ab alio ente, ſive initio illius actionis, qua Deus illa e nihilo eduxit, & ex altera hæc actio per aliquod tempus durare debeat; dicendum eſt non poſſe in eo ſtatu quem ab ente a ſe accipiunt, perſeverare, niſi actio Dei creantis perſeveret in ipſis, quia ſi per aliquod tempus ut neceſſarium eſſe docui, permaneret, per aliud vero nequaquam, in utroque ex his temporibus in eodem ſtatu conſiſterent, & nihilominus contra poſitum ab Adverſariis principium, in ſecundo foret aliquid novi, ceſſatio nempe divinæ actionis, qua primitus a Deo res conditæ fuerunt. Ad exemplum quod Adverſarii urgent, deſumtum a domo, quæ illum ſtatum in quo eſt, ab artifice accepit, & nihilominus ſine auxilio artificis in eodem perſeverare poteſt, nego illud facere ad rem qua de agitur, propterea quod artifex eſt ſola cauſſa occaſionalis motus quo domus perficitur; & ajo ſiqua ex rebus creatis ſimilitudo ad hanc rem declarandam transferri debet, non eſſe aliunde petendam quam ex neceſſaria inter vim motricem & motum qui ab illa exſiſtit, connexione. Nam ad diſcrimen

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſcrimen quod Adverſarii eſſe volunt inter corpus permanere in motu, & inter creatas res permanere in ſuo eſſe quod ab initio acceperunt, in eo poſitum quod corpus permanere in motu eſt continuate mutare ſtatum & locum, ad quam rem non ſolum initio, verum etiam in progreſſu opus eſt cauſſa efficiente, ſeu vi; at res perſtare in ſuo eſſe non eſt mutare ſtatum, immo in eodem permanere, reſpondeo quemadmodum ſi omnia corpora eadem prorſus celeritate & eamdem verſus plagam contenderent, tunc non mutarent ſtatum alia ratione habita aliorum, ſed ſolum ratione habita Dei, qui immobilis permaneret & ſemper eſſet ubique, atque ob hanc cauſſam continuatione motricis vis ſemper opus haberent, ita res nec dum creantur, nec dum conſervantur, mutare ſtatum alias ratione habita aliarum, eo quod omnes ſimiliter indigent actione Dei creantis ut incipiant eſſe, & continuatione ejuſdem ut revera ſint, ſive eſſe permaneant; at revera mutare ſtatum ratione habita Dei, eo quod cum Deus ab æterno ſit & quidem a ſe ipſo, res creatæ in primo creationis momento incipiunt eſſe, ſive tranſire a non eſſe ad eſſe, & quidem ob principium, actionem & vim poſitam in altero Ente, ſive in Ente a ſe, quod indicat initium creationis eſſe paſſionis initium, & in progreſſu revera ſunt, ſive a non eſſe ad eſſe tranſeunt, cum in momento ſolum initia rerum, non res eſſe queant, & quidem ob continuationem illius actionis, ob quam a non eſſe ad eſſe tranſire cœperunt; quod argumento eſt res creatas dum perſeverant, continuate pati. Ex quibus multo luculentius efficio res creatas, ut in ſuo eſſe perſeverent, indigere continuatione illius actionis, qua primitus creatæ fuerunt.

Quibus autem rationibus hoc capite oſtendo neceſſitatem divinæ conſervationis, iiſdem ſequenti, quod eſt tertium, neceſſitatem efficio divini concurſus, cujus nomine intelligo continuationem illius actionis qua Deus primum creat ſubſtantiarum vires agendi, ſive mutandi ſtatum: propterea quod ſicuti ſubſtantiæ quia proxime a Deo creantur, ob rationes capite antegreſſo propoſitas permanere nequeunt ſine continuatione illius actionis, qua primitus creatæ fuerunt, ita ob eaſdem quia vires proxime a Deo creantur, ut in Ont. §. 42. & ſeq. & præſertim §. 245. & in Pſych. §. 91. oſtendi, permanere nequeunt ſine continuatione illius actionis, qua primum e nihilo extractæ fuerunt. In ſolutione primi objecti adverto in eorum ſententia qui volunt agendi vires cum ſubſtantiis eſſe neceſſario copulatas, eadem prorſus divina actione

creari.

Digitized by Google

creari & conſervari tum ſubſtantias, quam vires eſſentiales; in noſtra vero, quam citatis locis nobis videmur invicte monſtraſſe, actionem qua creatur conſervaturque ſubſtantia, ratione habita termini ad quem pertinet, diſtinctam eſſe ab actione qua creatur conſervaturque vis accidentalis, atque idcirco ſecundum Dialecticæ regulas diverſo nomine eſſe notandam. Scrupulum quem hæc ſententia injicere poteſt aliquibus circa libertatem actionum animæ noſtræ, ſignifico me in conſequentibus exemturum, cum diſtinguam inter abſolutum actum appetendi bonum univerſe, interque directionem ejuſdem ad hoc potius quam ad aliud particulare bonum, & primum a Deo neceſſario fieri, alteram autem eſſe in animæ poteſtate monſtrabo.

Sequitur caput quartum de ſcientia & cognitione tum poſſibilium tum futurorum, & de modo, quo Deus concurrit cum actionibus liberis; illudque diſpertio in plures articulos, in quorum primo perſpicuum facio Deum in ſua eſſentia videre omnia infinita poſſibilia, & modum quo id fiat, adverſus objectas rationes, explicare nitor, & in ſecundo tamquam evidentis principii loco ſtatuo res videri non poſſe ubi non ſunt, neque ab Ente infinitæ cognitionis, qualis eſt Deus, quia ſi Deus res videret ubi non ſunt, falſum videret, quod alienum eſt a natura divina, indeque colligo primum res futuras neceſſarias in ſeipſis a Deo præviderі non poſſe, quia nihil ipſæ in ſe ſunt; deinde nec illas Deum prævidere in ſua eſſentia, quia cum nequeat eas prævidere in ſeipſis, nihil aliud eſt reliquum niſi ut prænoſcat in ſuis cauſſis jam ad illas efficiendas determinatis, & aliunde eſſentia divina ſi præciſe conſideretur, non continet rationem niſi rerum quæ neceſſariæ ſunt, non vero earum quæ libere futuræ ſunt; tum eaſdem a Deo prænoſci in ſuo libero decreto, quo ſe ad illas creandas libere ab æterno determinavit; & quidem in eo ſolo, ſi res a Deo tantum proxime pendent; res vero futuras neceſſarias, quæ ab ipſo non pendent, ſed etiam a rebus creandis, partim in decreto ſuæ voluntatis creandi illam cauſſam a qua pendent, partim in natura illius cauſſæ: cujus ultimi rationem ex aliis colligo & ex eo, quod hæc libera Dei voluntas eſt ea, quæ rerum futurarum ſufficientem rationem complectitur. Articulo tertio ingredimur in intricatiſſimam illam de modo quo Deus cum cauſſis liberis concurrit, quæſtionem, quam præmittimus quæſtioni de modo quo Deus liberas hominum prævidet actiones, eoquod altera ab altera pendet. Primum expono celebre Thomiſtarum ſyſtema, in quo cum agitur de actibus bonis, voluntas

effi-

Digitized by Google

efficaciter a Deo dirigitur ac impellitur non ſolum ad poſitivum & abſolutum actus boni, verum etiam ad relativum & morale; cum vero de malis, ſolum ad poſitivum & abſolutum, eoquod voluntas ſe ipſam dirigit ad morale & relativum. Tum illud refello tamquam minime aptum ſervandæ hominis libertati indifferentiæ, pluribuſque eorum diſtinctionibus, quas ad idem cum humana libertate conciliandum excogitarunt, occurrere ſatago. Deinde meum expono, in quo ex principiis ſupra ſtatutis de viribus quas Deus creare & conſervare debet, colligo animam a Deo non ſolum efficaciter, verum etiam neceſſario præmoveri ad appetendum bonum univerſe, adeout hic animæ in bonum univerſe appetitus ſit omnino a Deo & abſolute neceſſarius; in animæ vero eſſe libertate, cum agitur de actibus naturalibus, hunc appetitum in hoc potius bonum particulare quam in aliud dirigere. Quod ſyſtema explico valde accommodato navis exemplo, quæ aliquorſum a vento neceſſario propellitur, ad hoc vero potius punctum, quam ad aliud plagæ, verſus quam ventus eam impellit, a nauclero dirigitur, & deinceps vindico a variis Adverſariorum objectis. Cum autem duæ ex præcipuis rationibus quæ contradicuntur, in eo poſitæ ſint, quod Deus in hoc ſyſtemate cœco modo excitaret animam ad volendum; inſcius in quam partem ſe inclinatura ſit, & ſervata hominis libertate abſolutum in noſtra voluntate dominium non haberet, nec poſſet inclinare cor noſtrum quocumque vellet, quorum utrumque cum naturali ratione, & cum ſacris Litteris pugnat; ſequenti articulo quarto his ſatisfacio, doceoque animam, quamvis ex duobus ipſi propoſitis veram habeat alterutrius eligendi facultatem, tamen ſemper appetere id quod apparet ſub ſpecie majoris boni, ſive quod univerſe majorem habet rationem cur appetatur. Quod hic vindico a nonnullis objectis, enucleatius de illo diſputaturus in ſcholio ſequenti. Cum autem Deus, & perfecte cognoſcat has majores rationes, & illas quotieſcumque vult, ponere poſſit, apparet, qui Deus in hiſce prævideat omnes futuras animorum actiones, & quomodo ſine libertatis diſpendio cor noſtrum poſſit quocumque vult, inclinare.

Ex conſtituta doctrina articulo quinto colligo propoſitiones etiam de futuro contingenti libero, ut *Antichriſtus peccabit*, *Antichriſtus non peccabit*, eſſe determinate veras aut falſas, quia illarum objectum ſive peccatum jam eſt determinatum in mente Dei, & in ipſius decreto dandi Antichriſto vim tendendi in bonum univerſe, & ponendi illum in talibus circumſtantiis, ut peccatum ſit illi appari-

pariturum ſub ſpecie majoris boni, ſive quod majorem habeat ſufficientem rationem cur appetatur; ex quo decreto Deus infallibiliter, licet libere, peccatum ſecuturum eſſe ab æterno prænovit. Præcipuum objectum ex eo ductum, quod inde ſequeretur appetitiones futuras non eſſe liberas, ſolvo hac doctrina, quæ rem a capite arceſſit. Præviſio ipſa per ſe non efficit futuram actionem nec neceſſariam, nec liberam; idque pendet a cauſſa in qua prævidetur, quæ ſi illam actionem neceſſario effectura ſit, neceſſitatem in eadem inducit; ſi libere, nullam antecedentem neceſſitatem. Ut ſi Paulus mihi ſignificet ſe cras urbe egreſſurum, ego in voluntate Petri prævideo ejuſdem ex urbe egreſſum ſine ulla neceſſitate, quia Petri voluntas, in qua tamquam in cauſſa id prævideo, ſe ad egreſſum libere determinavit. At ſi Princeps mihi dicat ſe cras vi compulſurum Petrum ut urbe egrediatur, in voluntate Principiis tamquam in cauſſa prænoſco ejuſdem Petri ex urbe egreſſum, ſed neceſſario, quia voluntas Principis illum neceſſario ratione habita Petri effectura eſt. Idem in Deo contingit; ſi Deus prævideret futuras appetitiones in abſoluto decreto dandi vim ex natura ſua efficientem eaſdem, illæ eſſent neceſſario futuræ, quia talis determinatio voluntatis liberam electionem tollit, ut ſupra confecimus: ſin autem prævideret in iis duobus, quæ diximus; nihilominus eædem liberæ manerent, eo quod nec vis a Deo genita in animabus illas ad unum neceſſario determinat, nec illa major pro alterutra parte ratio neceſſitatem inducit. Reſtat articulus ſextus, in quo ex principiis hic & alibi conſtitutis colligo reſponſionem ad majoris momenti rationes, quæ adverſus hominis libertatem a fati defenſoribus contradicuntur. Qua in re ad refellendos Spinoſam, Collinium, Helvetium alioſque libertatis hoſtes, qui volunt aut ſuſpicantur eſſe latentes in hac rerum natura cauſſas, quæ nos ad omnes actiones neceſſario determinent; ex Buffierio *Traité des Premieres Veritez* tom. 2. cap. 3. num. 419. hæc exſcribo, quæ his confutandis accommodatiſſima mihi videntur. Si res ita ſe habet, ſunt jam in promtu cauſſæ, quæ me ad manum paulopoſt aut attollendam, aut ſecus, determinabunt; alterutrum enim ex contradictoriis neceſſario futurum eſt. Quo poſito optionem do adverſario meam neganti libertatem, ut eligat utrum velit ex hiſce duobus. Si ajat me eſſe manum elevaturum, hac ſponſione laceſſo: ſi manum elevaro, mille nummos aureos eidem dependam; ſi non elevaro, is mihi unum tantum dependet. Si vero neget me eſſe elevaturum, hanc alteram facio ſponſionem: ſi

T. IV. d non

non elevaro; eidem mille ſolvam : ſi elevaro, unum is mihi ſolvet. Cum alterutrum neceſſarium ſit, & in ſententia adverſarii latentes cauſſas ipſum neceſſario efficientes habeat, nec idcirco in mei poteſtate arbitrii poſitum ſit, ut manus aut elevem, aut ſecus; hæc ſponſio mille contra unum adverſario valde utilis erit, qui cum in eadem, atque ego, ignoratione cauſſarum quæ alterutrum neceſſario ſunt effecturæ, verſetur, eſt in valde diſparibus ſpe lucrandi mille, & metu amittendi unum. Verumtamen nec is, nec alius quiſpiam ſanæ mentis hanc conditionem accipiet, & ſi accipiat, ſuo damno confirmabit meam libertatem eligendi partem, quæ ipſi adverſatur.

His adnecto duo ſcholia, in quorum altero de concurſu Dei ad actiones liberas, altero de libertate diſſeritur. In primo primum adverto me, repudiato Thomiſtarum ſyſtemate, non incidere in exploſum a majori parte qua Philoſophorum, qua Theologorum Molinæ ſyſtema, & ſic doceo. In qualibet animæ appetitione duo ſunt diſtinguenda, ipſemet appetendi actus abſolute conſideratus, quatenus eſt animæ motio & tendentia in aliquod bonum; & ipſius directio in bonum verum; aut in apparens, aut in unum potius bonum verum quam in alterum, quæ directio eſt aliquid relativum. Primum efficaciter a Deo fieri, & a vi tendendi in bonum univerſe quam Deus in animis continuate conſervat, neceſſario pendere volo tum ob rationes hic allatas in ſolvendis Thomiſtarum objectis ex ratione primæ cauſſæ, & ex divini concurſus neceſſitate petitis, tum ob eas quas in Ontologia produxi; ductas partim ex eo quod cauſſæ creatæ nihil veri entis abſoluti creare poſſunt, partim ex eo quod vis ſine ſuo effectu eſſe non poteſt. In quo quantum mihi convenit cum S. Thomæ diſcipulis, tantum diſſentio a Molinæ aſtipulatoribus, qui negant ipſummet abſolutum actum appetendi efficaciter a Deo generari, & volunt eſſe in animæ poteſtate ipſum eliciendi ex ſuo penu, vel ſecus. Alteram vero contendo efficaciter a Deo non fieri, ſed animæ naturam ita eſſe comparatam, ut vel eumdemmet ab ipſo Deo genitum tendendi in bonum univerſe conatum in bonum apparens dirigere poſſit, vel ſinere ſe ab eodem abripi in bonum verum, quorſum a Deo quoque, ſed non efficaciter, dirigitur. In hac autem parte nemo non videt me diſſentire a primis, & cum ſecundis convenire, quin tamen ſequantur illa Molinianæ ſcholæ de ſcientia media, de conditionatis decretis deque aliis ſimilibus dogmata, ut in conſequentibus perſpicuum facio. Cum vero expoſitum ſyſtema uſui qui-

dem

dem eſſe poſſit in conciliandа concurſus divini cum libertate actionum animæ naturalium neceſſitate, non autem cum ſupernaturalium, eoquod ſupernaturalis divina motio non poteſt eſſe talis naturæ, ut appetitum ab illa genitum voluntas in bonum, vel verum, vel apparens dirigere poſſit; hic addo noſtram animam in ſtatu gratiæ conſiderari oportere duabus excitam viribus atque motionibus; altera naturali, quæ gignit appetitum explicata ratione indifferentem; altera ſupernaturali quæ tendit ad efficiendum actus appetitus altioris ordinis, quam ſint naturales, quique in ſolum bonum, non ſolum verum, ſed etiam ſupernaturale dirigi queunt; eamdemque ſive obtemperet gratiæ & vi ſupernaturali, & ab ea in bonum verum, & ſupernaturale dirigatur, ſive eidem reſiſtat, appetitum naturalem a prima genitum in bonum apparens dirigendo, eſſe liberam, eoquod eſt in ipſius poteſtate uti utra velit, quia poteſt vel ſinere ſe abripi in bonum verum & ſupernaturale, vel eidem reſiſtere, ſi eumdem naturalem appetitum in bonum apparens revera dirigat; quo in eventu ſupernaturalis vis ex noſtris principiis neceſſario quidem generabit aliquem in anima appetitum erga bonum verum & ſupernaturale; ut quiſque, tametſi in peccato obſtinatus, animadvertere poteſt, ſi ad ſeipſum attendat, ſed imperfectum & non plenum taliſque naturæ, ut anima non plene & perfecte bono ſupernaturali aſſentiatur. His poſitis expono firmiſſimas rationes, quibus eximius Auctor libri inſcripti: *De l'action de Dieu ſur les Creatures*, Thomiſticum confirmare ſyſtema, & Molinianum evertere nititur, eam præſertim, qua ſuadet futurum ut in ſecundo Deus nullo pacto prævidere poſſit liberas animæ actiones, quæ in hypotheſi, quod is tamquam certam & exploratam ſtatuit, aut animam aliquando reperiri in perfecto inter duas res æquilibrio, & nihilominus tunc eamdem eligere alterutrum, aut interdum etiam eligere quod minorem habet rationem cur appetatur, non perſuadere, ſed cogere mihi videtur, ut mirer aliquos eſſe, qui auctorem tamquam fanaticum traducant, cum hanc adeo injuſtam notam homini non debeant inurere, ſed potius ipſius rationibus pro virili parte ſatisfacere. Verum quia Cl. Auctor nimis jejune verſatus eſt in illa ſuæ demonſtrationis parte, quæ pertinet ad æquilibrium, ex Cl. Moniliæ libro inſcripto, *Diſſertazione contro i Fataliſti*, multa excerpo ad illam confirmandam. Quibus expoſitis fateor me hic valde ancipitem eſſe, in varias diſtrahi partes, & nunc hanc, nunc illam veroſimiliorem videri. Sed omnibus expenſis, omnibuſque ſubdu-

 ctis

Digitized by Google

ctis rationibus, adverto me hanc feciſſe ſummam cogitationum mearum. Ad hæc tria quæ certiſſima ſunt, divinam omnium futurorum prævisionem, veram hominis libertatem indifferentiæ, & divini concurſus neceſſitatem inter ſe concilianda, tria omnino ſyſtemata poſſunt excogitari; primum eorum qui volunt a Deo vim animis infundi ipſam per ſe efficacem ad appetitus gignendos, non ſolum quod attinet ad ſubſtantiam appetituum, verum etiam quod attinet ad eorum directionem erga tale individuum bonum, ſi de bonis appetitibus ſermo habeatur: alterum eorum, qui contendunt voluntatem ad hanc primum potius rem quam ad alteram ſe convertere, & hoc pacto determinare Deum ad talem potius comitantem concurſum, ex. g. ad bonum apparens, quam ad alium præbendum, ſcilicet ad bonum verum: tertium eſt meum qui volo ſubſtantiam actus appetendi bonum univerſe non ſolum efficaciter, verum etiam neceſſario effici a Deo; voluntatem autem præmotam tali ratione, & hoc divino utentem impulſu, ſe ad hoc potius bonum quam ad aliud ex iis quæ tempore eodem ipſi proponuntur, dirigere & ad hanc potius partem quam ad alteram ſe convertere. In primo facile eſt explicare neceſſitatem divini concurſus & futuram liberarum actionum prævisionem, in æterno nempe decreto dandi phyſicam præmotionem ſaltem ad materiale actus; ſed ob illa quæ ſupra diſſero, animæ libertas parum in tuto eſt. In ſecundo nec neceſſitas divini concurſus, nec actionum animæ futurarum prævisio ſatis ſervantur, ut evicimus ex citato Scriptore. Reſtat igitur tertium, in quo quia phyſicum actus a Deo neceſſario fit, creando vim tendendi in bonum univerſe, ex qua neceſſario ſequitur appetitus in idem, ſatisfit neceſſitati divini concurſus; quia vero morale, ſive ejuſdem appetitus directio in bonum verum, aut in apparens eidemmet voluntati fertur accepta, ejuſdem ſatisfit libertati, quæ, poſita indifferentia directionis, ſartatecta ſervatur, eoquod in illa potiſſimum poſita eſt. Verum eſt aliqua difficultas in componenda cum eodem ſyſtemate divina futurorum quæ libera ſunt, prævisione; & niſi res ita ſe habeat, ut numquam anima ſeligat quidpiam ſine aliqua majori ratione quæ in ipſo ſit, non in ejus contrario aut contradictorio, neceſſe eſt ut revolvamur ad primum phyſicæ determinationis ſyſtema, quemadmodum laudatus Auctor luculentiſſime oſtendit. Quo poſito cum res eo deducta fuerit, ut alterutrum ex hiſce duobus eligere oporteat, videndum eſt utrum ex iis ſit difficilius cum hominis libertate conciliare, atque, ut in loco lubrico, & ſalebroſo, illud ſeligen-

Digitized by Google

ligendum quod minus difficile videatur. Quidquid ſit de citato Auctore deque aliis ſcholæ Thomiſticæ aſtipulatoribus, mihi certe valde difficilius apparet libertatem indifferentiæ ad duo cum vi prædeterminante ad unum componere, quam cum principio ſufficientis rationis; quia etſi conveniunt in hoc prædeterminans ad unum vis a Deo genita in anima, & major ratio ſufficiens pro alterutra parte, quod utraque actum appetendi prævertunt, in hoc tamen differunt, quod illa eſt cauſſa efficiens appetitus, cuique eſt ſimilis vis corporum motum in iiſdem efficiens; hæc autem eſt ſolum moralis & propria animarum, quibus ſolis rationes ad aliquid appetendum proponi poſſunt. His aliiſque pluribus in eamdem ſententiam diſputatis, refellere aggredior laudati Scriptoris & Moniliæ rationes pro perfecto æquilibrio, illudque doceo tantum abeſſe ut ab iiſdem monſtratum ſit animam aut aliquando reperiri in perfecto æquilibrio, quod ita eſſe difficile apparet ex eo quia ſtatus æquilibrii eſt unus tantum, ſtatus autem contrarii ſunt infiniti, aut ſi reperiatur, eo durante ad alterutrum ſe determinare, ut nec poſſe ab aliquo demonſtrari contendam: tot enim ſunt in animis noſtris receſſus & latebræ, ut ſolus Deus cor humanum ſcrutari poſſit & omnia videre quæ ad illius appetitus ex utraque parte concurrant, & eorum momenta & intenſiones expendere juſtaque lance librare; ut non ſolum mirum mihi videatur fuiſſe, qui contenderint intimo ſenſu conſtare animam aliquando æqualibus prorſus & contrariis momentis librari, & in hoc ſtatu in alterutram ſe inflectere plagam, immo etiam in eam quæ levioribus utitur; verum etiam periculoſum in hac ab ipſis jactata experientia quæ ita incerta eſt, maximum ſtatuere adverſus impios libertatis humanæ fundamentum. Poſt hæc planum facio alia Thomiſticæ ſcholæ decreta de proſcribenda ſcientia media, de gratuita ante præviſa merita prædeſtinatione, deque aliis ſimilibus ex meo ſyſtemate conſequi; quia quod Deus in ſyſtemate Thomiſtarum præſtat vi in anima creata, quæ appetitum in talo bonum naturaliter efficit, illud obtinet in noſtro, quod ſi bene expendatur, idem eſt ac Auguſtinianum, adminiculo majoris boni, ſive majoris pro tali bono ſufficientis rationis. Ex hoc vero & ex eo quod in eodem ſyſtemate Deus abſolutum appetendi actum in anima creat; directio vero non eſt res quæ proxime creari poſſit, quæque a cauſſa creata pendere non poſſit, ut ipſi quoque Thomiſtæ aſſentiri debent in directione voluntatis ad morale peccati, evidentes colligo ſolutiones aliarum rationum quas pro phyſica prædetermi-

terminatione laudatus Auctor valide aſtrinxit.

Atque hæc de ſeptimo ſcholio, cui ſuccedit octavum. In hoc rurſus confirmo quod alibi oſtendi, animam vera libertate pollere, & ſatisfacio rationibus, quæ a Spinoſa, Hobbeſio, Helvetio, Hartleyo, Collinio adverſus humanam libertatem, & a Liberto Alethino adverſus divinam afferuntur; primum autem experimentis atque rationibus evidenter monſtrari ajo, niſi velimus cum quibuſdam, qui non philoſophantur, ſed optant, ob ſubtiles quaſdam rationes etiam corporum exſiſtentiam in dubium revocare; ſecundas autem ita refutari, ut ex iis certo colligi nequeat libertatem cum aliis Philoſophiæ capitibus non poſſe componi. Ideo vero mihi in hunc locum integrum ſervavi de humana accuratius tractare libertate, cujus propria ſedes eſt in Pſychologia, quia cum argumenta adverſus eamdem ex duplici fonte hauriri poſſint, ex divina nempe actione quæ vim tendendi in bonum in anima creare debet & conſervare, & ex animæ natura quæ ita comparata eſt, ut id ſemper appetat & eligat, quod majorem habet cur appetatur eligaturque, rationem, illæ quæ a primo ducuntur nullo pacto dilui poterant nondum in Theologia Naturali explicata ratione, qua Deus cum animæ appetitionibus concurrit. Quia vero Lochius etſi in defendenda animæ libertate cum veræ Religionis principiis conſentiat, tamen a Philoſophiæ diſſentit, dum ſtatuit animam quidem eſſe liberam, ſed dici non poſſe liberam ipſius voluntatem, rationes ad id ſuadendum ab homine allatas nullius eſſe momenti doceo, addoque magis ad id facere quæ ab aliquibus afferuntur, ut monſtrent libertatem poſitam eſſe in illo judicio, quod a Scholaſticis dicitur ultimum & practicum, quo mens judicat rem aliquam ſibi aut tamquam bonam eſſe appetendam, aut tamquam malam eſſe repudiandam, appetitionem autem & averſationem inde neceſſario conſequi, ideoque ipſas per ſe proxime liberas non eſſe, ſed ſolum remote in cauſſa, quatenus anima judicium illud elicere poteſt, & non elicere. Cum enim in communi ſententia judicium ſit actus intellectus, inde conſequeretur libertatem proprie ad intellectum pertinere, non ad voluntatem. Adverto autem hanc controverſiam tractari a Gunnero & ab aliis, verum nec ipſum nec alios rem acu tetigiſſe, nondum prorſus dijudicata illa inter Carteſianos alioſque Philoſophos quæſtione, an judicium ſit actus intellectus, an voluntatis. Cui cum mihi videar in Logicis §. 180. & ſeq. finem impoſuiſſe, arroganter me non facere moneo, ſi ajam me poſſe hanc quoque ab illa pendentem

ad

ad vivum reſecare. Id quod paucis exſequor, monſtrando in pura cognitione boni & mali libertatem collocari non poſſe, indeque colligendo, ſive libertas ponatur in aſſenſu & diſſenſu, ſive in appetitione & averſatione ſequentibus, eam eſſe propriam voluntatis, non intellectus; quamquam de hac re non valde ſollicitus ſim, eo quod parum refert ad ſummam quæſtionem quam habemus præ manibus. Quamobrem tranſeo ad ſolutiones rationum, quas affert Alethinus adverſus divinam libertatem, & ad illam ductam ex Leibnitiano ſyſtemate quod Deus optimus ac perfectiſſimus ſolum optimum ac perfectiſſimum velle & facere poteſt, melius mihi reſpondere videor, quam faciant ſectatores Leibnitii, dum ex ſyſtemate in anteceſſum conſtituto conſtare ajo tantum abeſſe, ut Deus extra ſe ipſum velle & facere debeat optimum ac perfectiſſimum, ut nec velle & facere poſſit. Ex quo colligo Deum ita liberum eſſe, ut ſibi ab æterno propoſuerit finem aliquem, ſaltem quod attinet ad ipſius modum & intenſionem, minus perfectum infinitis aliis, quos ſibi proponere poterat; advertoque id non dedecere Deum, qui, ut ens a ſe, eſt prima ratio, unde res ab alio profluunt & determinantur, nec a natura rerum creandarum, ſed a ſeipſo tantum petere debebat rationem cur illas crearet: contraquam uſuvenit in mentibus creatis, quæ, utpote auctori ſuo ſubjectæ, libere quidem, ſed tamen certo, eam legem ſequuntur, ut ſemper eligant id quod majorem habet rationem cur eligatur: quorum altero id conſequimur, ut melius quam Leibnitiani, vitemus fatum, cujus legibus ſuum quoque Jovem Gentiles teneri volebant; altero autem ut fortuitos eventus nec ipſi Deo cognitos ab hac rerum univerſitate ablegemus. Quibus diſputatis expono & refello rationes, quas Hobbeſius præſertim atque Collinius attulerunt ad infringendam vim argumenti pro humana libertate ducti a bono & malo morali, & a premio & pœna, quibus eadem afficiuntur, & longiſſimo ſcholio finem impono animadverſione in quamdam rationem, quam Cl. Gorinus affert cur Deus hominem creare liberum voluerit, de qua mihi integrum ſervo in expoſitione ſequentis capitis quinti de Divina Providentia adverſus Deiſtas.

In hoc vero tria diſtinguo genera eorum, qui divinam negant Providentiam, ſive inficiantur Deum curam habere de rebus mundanis, quique dicuntur Deiſtæ: primi volunt mundum eſſe a ſe & ab æterno, ſuiſque legibus quæ ab ipſis dicuntur naturæ, regi ac gubernari; Deum autem in ſe beatiſſimum ac perfectiſſimum, nihil

pror-

prorſus in hoc mundo operari ac facere, ſed ſolum eum cognoſcere & contemplari: ſecundi aſſentiuntur mundum a Deo creatum fuiſſe, ſed negant opus habere actione Dei conſervantis ut perſtet, aut concurrentis, ut corpora & animæ ſuas motus & cogitationis ſubeant mutationes: tertii tandem concedunt tum creationem tum ipſius conſervationem, non vero concurſum cum rerum creatarum actionibus, atque idcirco volunt Deum nec efficere nec ordinare actiones mutationeſque rerum mundi, earum præſertim quæ ad homines pertinent. Contra quos omnes Deiſtas ex iis, quæ de tribus hiſce præcipuis Theologiæ capitibus in anteceſſum oſtendimus, evidenter elicimus Deum perpetua ſubſtantiarum & virium conſervatione rerum omnium earumque mutationum curam & adminiſtrationem habere. Sed totus ſum in diluendis contrariis rationibus, in quibus Bælius tantum ponit momenti, ut affirmare non dubitarit eas perſpicuitate & robore non cedere iis, quibus exſtare Deum efficitur. Qua in re quod pertinet ad mala moralia, in quibus maxime Bælius vim facit, adverſus communem reſponſionem, quod dedecet quidem Deum ut ſit eorum auctor, non vero ut libera hominis voluntas ſit eorumdem cauſſa, Deo ſolum permittente, ſic citatus auctor exoritur. Qui facile poteſt impedire omne malum & non impedit, peccat; Deus autem facile poteſt impedire omne malum, & non impedit. Ergo peccat. Quia vero nonnulli in minori explicanda uti poſſunt diſtinctione inter potentiam abſolutam, interque ordinariam, adverto hac diſtinctione non ſatisfieri Bælianæ difficultati, quia poteſt Deus, ſervata prorſus indemni humana libertate, tale auxilium & in talibus circumſtantiis præbere ut ſemper eligant bonum verum, numquam apparens: quo in eventu & nullum foret peccatum, & ſartatecta maneret libertas, & finis quem in illa hominibus danda ſibi propoſuit, ut homines non prorſus gratuitam, ſed ſuis debitam meritis æternam felicitatem acquirerent, & hoc pacto perfecte cumulateque felices evaderent: quod dictum ſit adverſus ſupra ſignificatam ſententiam Gorini, qui ad hunc finem conſequendum neceſſariam eſſe vult malorum permiſſionem. Quare hoc miſſo reſponſo, majorem diſtinguo: qui facile poteſt impedire omne malum dando auxilium quod dare debet, & non impedit, peccat co. dando auxilium quod dare non debet ne. & contendo a Bælio ut antequam hanc difficultatem inſolubilem vocet, clare doceat Deum obligatione teneri dandi voluntati creatæ non ſolum auxilium quod ſufficiens ſit, ut bene operari queat, & verum appetere bonum,

verum

verum etiam hujuſmodi, quo prævideat eam ſe ad bonum verum inclinaturam. Huc te volebam, ſubjungit Bælius, quia quam legem Deus in hominum mentibus inſculpſit impediendi mali quod facile poſſunt, præbendo auxilium quo prævident iri impeditum, eam ipſe prius ſervare debet. Concederem, ſi par foret ratio de Deo deque hominibus, non vero ſi valde diverſa. Nam diſtinctis duobus honoribus, altero infinito & eſſentiali Deo, qui in eo poſitus eſt, ut ſeipſum amet & diligat, & ſummo honore digniſſimum putet, altero finito & accidentali, qui in eo poſitus eſt, ut ſubſtantiæ intelligentes creatæ eadem Deo præſtent, ajo Deum qui ſibi tribuit primum, in quo omnes externi honores meliori modo quam ipſi ſint in ſe ipſis, continentur, non teneri aliquem ex ſecundis, aut tantæ perfectionis ſibi procurare: at cum homines non poſſint internum & infinitum, ſed ſolum externum & finitum Deo, qui eſt ipſorum auctor & ſummum bonum, deferre, mirum non eſt, ſi teneantur ad maximum præſtandum quem poſſunt, & in aliis etiam, ſi facile poſſunt, ea procurare quæ honorem externum augent, & illa impedire quæ minuunt. Quamquam autem inter Deum & intelligentes ſubſtantias creatas ſit tam inſigne diſcrimen, urget tamen Bælius, Deum non eſſe futurum optimum Patrem, ſi mala non impediret, quia cum melius ſit non permittere malum, quam permittere, Pater qui ea impediret, eſſet melior eo, qui non impediret; ut Pater qui prævideret filium in talibus circumſtantiis præcipitem ſe daturum & præcaveret, eſſet melior eo, qui ruinam non impediret ſed permitteret. Verum ex doctrina ſuperius tradita, ex qua colligitur ratione quidem habita rei creatæ melius eſſe exſiſtere, quam non exſiſtere; exſiſtere cum majori perfectione, quam cum minori, at ratione habita Dei eſſe perinde, ſive res exſiſtant, ſive ſecus, ſive cum majori, ſive cum minori exſiſtant perfectione, ſimiliter conſtat actionem illam, qua Deus malum impedit tribuendo majorem voluntati creatæ in verum bonum ſufficientem rationem, ex qua prævidet ipſam in verum bonum ſe inclinaturam, ratione habita ipſius voluntatis creatæ eſſe meliorem actione, qua tribuit minorem, ex qua prævidet nihilominus conſecuturum eſſe appetitum in bonum apparens, ſive in malum verum, tametſi voluntas illo Dei auxilio bene uti poſſit, & in bonum verum ſe inflectere; ſed habita ratione Dei alteram altera meliorem non eſſe ob allatam rationem, quæ adminiculo diſcriminis inter homines & Deum modo allati exemplum Patris terreni ad Cœleſtem transferri non

poſſe commonſtrat : Bælius tamen rurſus exoritur , & ait etiam reſpectu Dei melius eſſe nullum exſtare peccatum, quamvis ipſe auctor ejuſdem non ſit, ſi ex permiſſo peccato ſequitur quidpiam a divina juſtitia diſſentaneum. Nam evidentiſſimum eſt juſtitiæ refragari , ut conſcios atque participes , eos puniri , qui tempore quo crimen ab Adamo fuit admiſſum, nondum exſtabant, quemadmodum ex permiſſo Adami peccato conſequens fuit in ipſius filiis atque nepotibus, qui etſi tum temporis non exſtabant, tamen ob culpam Protoparentis multis miſeriis atque calamitatibus etiam infantes obnoxii facti ſunt . Ad id refutandum explico quid ex Adæ peccato in filios redundarit : primum gratiæ ſanctificantis ſubtractio tamquam minime debita , quam Adæ & poſteris negare poterat , etiamſi nulla culpa ſe obſtrinxiſſent ; deinde in corpus concupiſcentia & pravi , invita voluntate , motus traducti ſunt, tamquam pœna quæ ex vitiato corpore Adæ naturaliter conſequeretur, & propter commercii inter animam & corpus legem, quam ob ipſius peccatum interrumpere non debebat , animam quoque ipſam vitiaret. Ex quibus colligo nullius injuſtitiæ Deum ab impiis accuſari poſſe, ſi quod nepotibus dare non debuit, ob Adæ peccatum ſubtraxerit, & vitia corporis Adæ ob peccatum a ſe admiſſum contracta non reſecuerit ita, ut in corporibus filiorum naturaliter non conſequerentur : præſertim cum ex eadem chriſtiana Religione, quæ originale peccatum & mala inde profecta nobis manifeſta fecit, liquido conſtet Deum ſingularia providiſſe remedia , quibus humana natura cumulatiſſime reſtauraretur. Hanc ego puto genuinam eſſe rationem diluendi Bælianam difficultatem. Nolim enim hic afferri exempla Regis , qui non ſolum perduellionis reos, verum etiam uxorem & filios puniunt, ut facit Theologus quidam apud Stapferum ; propterea quod qui ad ſuperiora Bælii exempla Patris & Regis reſponderunt rationem de Deo non eſſe ſimiliter, ac de hominibus, concludendam , ſecum nequaquam mihi conſtare videntur, ſi paulo poſt exemplis eorum, quæ inter homines uſuveniunt, adverſus eumdem & in eadem prorſus diſputatione abutantur. Ultimum idemque firmiſſimum Bælii telum, quod infantes ſine baptiſmo diſcedentes in altera vita in æternum addicuntur pœnæ damni & pœnæ ſenſus, tametſi hæ pœnæ ex Parentis peccato naturaliter non conſequantur , ex ipſius manibus eripimus, defendendo ſententiam Clari Theologi Eminentiſſimi Gotti, qui hæc ſcribit, *poſteris tamen ejus æquum quidem eſt , ut ſubtrahantur dona Adæ ſubtracta , nempe gratia & gloria, non tamen*

quod

Digitized by Google

quod ſupplicio pœnali addicantur, quia ſicuti culpa non fuit per operationem eorum, ita nec pœna per eorum paſſionem eſſe debet, ſed ſolum per defectum illius quod gratuito fuerat conceſſum; additque eoſdem infantes nullis affici ob amiſſam beatitudinem mœrore ac triſtitia, quam aut non cognoſcunt, aut ſolum confuſe & obſcure, atque huic doctrinæ fere omnes ſubſcribere D. Thomæ diſcipulos. Quibus conſtitutis ſic cum Bælio congredior. Homini concedimus infantes hujuſmodi privari beatitudine in pœnam origine contracti peccati, quæ tamen pœna non illos afficiat aliquo ob amiſſam beatitudinem mœrore, ſed quæ ſolam complectatur negationem beatitudinis quæ aliunde ipſis debita non eſt. Quo poſito videat Bælius an evidentiſſimum ſit non poſſe Deum, ſalva juſtitia, in pœnam peccati ab alio patrati eos qui ab ipſo ducunt originem, ſine propria ipſorum culpa privare gratia & gloria, quas etiam, nulla antegreſſa in parente culpa, poterat & parenti, & ipſius filiis atque nepotibus non elargiri. Quod ſi gratia & gloria Adæ filiis debitæ fuiſſent, ultro darem a juſtitiæ legibus abhorrere ob Patris culpam filios qui tunc non erant, privare donis, quæ, nulla poſita culpa, ipſis dare debuiſſet. Cum vero nulla juſtitiæ lege ad ea concedenda teneatur, ego certe non video quid in iis etiam in pœnam peccati Patris Adami negandis juſtitiæ legibus adverſetur; niſi Bælius velit juſtitiæ leges nigrare Regem, qui obſcuro, ſed forti viro, dignitates atque divitias ad ipſius filios & nepotes tranſmittendas promittat, ſi ſtrenue bellum geſſerit, mortem & exilium, ſi ignaviter; eo vero in ipſum Regem arma vertente, ob tantum Patris crimen eaſdem filiis atque nepotibus dare abnuat. Quibus arbitror & Bælii difficultatibus ſatisfactum fuiſſe, & in bona luce poſitum obſcuriſſimum originis mali moralis & pœnarum inde proficiſcentium locum, qui clariſſimorum Virorum, qua veteri, qua recenti memoria, torſit ingenia, & aliquos etiam a vera & ceteroquin evidentibus confecta rationibus ſententia deterruit. Atque hæc eſt mea ad Bælianas difficultates reſpondendi ratio, quam in ſcholio ſequenti magis declaro, doceoque conſentire cum iis, quæ de ſtatu naturæ puræ, deque rebelli concupiſcentia in Pſychologia conſtitui, & veriorem eſſe præ ratione Gorini, Alphonſi Turretini, Leibnitii, Wolphii, Stapferi aliorumque Leibnitianorum, quæ quantum infirma ſit & quam parum veritati conſentanea, paucis demonſtratur. Cum vero quod pertinet ad rationes, quibus divina Providentia & Sapientia in rerum gubernatione ſuadentur, aliæ multæ a Philoſophis

Digitized by Google

adverſus Deiſtas & Atheos eliciantur ex hujus aſpectabilis mundi contemplatione, & ex infinitis omni admiratione dignis phænomenis quæ is repræſentat, ego quem tam latum excurrere campum in quo exultet oratio, non ſinit præſentis operis ſcopus, ne hunc locum prorſus intactum relinquam, in fine ſcholii rem oculis ſubjicio uno eoque accommodatiſſimo exemplo illarum in diſtantia attractricium aut expultricium virium, quas Deus in ſingulis hujus mundi corporibus gignit & creat, rationem ſequentium compoſitam ex directa ac ſimplici maſſarum, & ex inverſa ac duplicata diſtantiarum, quæque vires non ſunt niſi motrices, quas Deus, ut vera effectrix cauſſa, creat ſumta a corporibus occaſione, & ex hac una lege ſua veluti ſponte conſequi oſtendo præcipua naturæ phænomena & leges motuum, quibus hanc univerſi molem Deus moderatur & regit.

Cum autem divina Providentia quammaxime reluceat in lege naturali, quam ſubſtantiis ratione & libertate utentibus, quales ſunt homines, obſervandam propoſuit atque præſcripſit, caput ſextum deſtino graviſſimæ diſputationi de Deo, quatenus eſt auctor legis naturalis, deque differentia inter actiones bonas & malas. Qua in re primum definio legem tamquam normam, ſive propoſitionem practicam, ſecundum quam creatura rationalis ſuas actiones liberas determinare debet, ut parentes ſunt diligendi, ſive divinam voluntatem creaturæ rationali manifeſtatam, aliquam actionem fieri præcipientem aut vetantem, ſecundum quam eadem ſuas actiones liberas dirigere debet, & ab illo aliquorum objecto, quod hæc definitio convenit legi divinæ, non legi univerſe, vindico ea ratione de qua in poſterum enucleatius, quæ docet leges omnes in eo convenire ut a divina voluntate vel proxime, vel remote proficiſcantur, eoquod creaturæ rationales non debent obedire niſi Deo, & iis aliis creatis intelligentibus ſubſtantiis, quibus Deus illas ſubjicere voluit. Tum explico diſcrimen non ſolum inter legem divinam, quam volo eſſe proximam Dei voluntatem aliquid fieri præcipientem aut vetantem, interque humanam quam ajo eſſe ſimilem voluntatem illius hominis, cui Deus vult ut alii obtemperent, ſed etiam inter divinam naturalem, quæ fieri præcipit aut vetat ea quæ ſunt bona aut mala ex natura ſua ſine ulla ratione a libera Dei voluntate, ut Deus eſt ab hominibus amandus, Deus non eſt ab hominibus odio habendus, quorum alterum adeo bonum eſt ipſum in ſe, alterum adeo malum, ut nec Deus illorum naturam mutare poſſit; interque divinam poſitivam quæ fieri præcipit aut ve-

tat

tat ea, quæ ex ſua natura non ſunt abſolute bona & mala, ſed ſolum relate, quatenus ad bonum aut ad malum finem diriguntur; cujuſmodi fuit lex Adamo præſcripta pomi arboris ſcientiæ boni & mali non comedendi. Poſtea monſtro dari legem divinam naturalem, hæc quatuor conficiendo; 1. eſſe aliquas actiones liberas per ſe bonas & honeſtas; aliquas per ſe malas & turpes, quarum naturam nec Deus ipſe immutare poſſit, & facere ut honeſtæ in turpes, & turpes in honeſtas convertant; 2. Deum velle primas ab hominibus patrari, ſecundas omitti, & quidem ex neceſſitate non abſoluta, ſed hypothetica; 3. Deum ipſum per ſe hanc ſuam voluntatem hominibus declaraſſe, quia lex niſi denuntietur ei qui debet illam obſervare, non poteſt eſſe illa norma, ad quam homines ſuas liberas actiones determinare poſſint; 4. tandem hominem obligatione teneri obediendi Deo, & ſecundum ipſius voluntatem ſuas dirigendi liberas actiones, eoquod non ſolum a Deo creatur, & perpetuo conſervatur, verum etiam vires agendi recipit. Demum ſic mihi videor ſolvere præcipua adverſus naturalem legem, & naturalem atque immutabilem bonarum & malarum actionum differentiam argumenta, ut credam Philoſopho, ratione utenti, nullum ſupereſſe dubitandi locum, mihique perſuadeam monſtraviſſe evidenter tantum abeſſe, ut quemadmodum impii rentur, honeſtas aliquarum actionum, & aliarum turpitudo a liberis hominum conventionibus pendeant, ut aliquarum neque liberæ Dei voluntati ſubjectæ ſint, aliarum vero ab ipſamet Dei voluntate qui vult ut pactis homines ſtent, procul omni dubio ſint petendæ. Ad quod ultimum luculentius firmandum deſtino ſequentem propoſitionem, in qua doceo voluntatem Dei præcipientis ea quæ ab hominibus fieri debeant, aut prohibentis ea quæ omitti, iiſdem ope rationis, & ad ſummum adminiculo primitivæ traditionis ſignificatam eſſe ipſam naturalem legem, adeout ſine aliqua Dei cognitione nulla naturali lege ad aliquid committendum aut omittendum genus humanum teneretur. Nam cum Atheus ſine ulla Dei cognitione intelligere debeat ſe quod attinet ad ſubſtantiam, eſſe a ſe; quod attinet vero ad conjunctionem ac diſpoſitionem ſubſtantialium partium, ſe pendere a neceſſariis ipſarum viribus atque motibus, quibus factum eſt ut tali pacto cohæſerint; cognoſcere non poteſt ſe aliquam voluntariam actionem, quæ damnum afferat ſibimetipſi, præſtare debere, aut aliquam omittere quæ ipſi ſit utilis, in puram aliorum gratiam, a quibus nullum ſaltem voluntarium beneficium accepi, ſed id

unum

Digitized by Google

unum intelliget ad quod ingenito feretur appetitu, ut ſuam voluptatem, commodum atque utilitatem, ſive bonum verum, ſive apparens illud ſit, totis viribus procuret, & ſuos dolores, incommoda, ac damna ſimiliter vitet. Quod ſi accidit, ut quæ ipſi videntur bona aut mala, hujuſmodi etiam ſint ratione habita aliorum, tunc percipiet ea ſibi eſſe proſequenda aut fugienda non in gratiam ſocietatis, ſed ſuimetipſius; ſin autem contrarium uſuvenit, ut ſæpiſſime fit, pariter noſcet ſui rationem, non aliorum in iis perſequendis, aut vitandis ſe habere oportere. Ex quibus colligo ſine cognitione Dei nullam eſſe poſſe in hominibus naturalem legem. Quia vero ex hoc conſequi videtur exploſa ab omnibus ac diris devota peccati philoſophici doctrina, pernicioſum hoc conſequens nequaquam oriri conficio diſtinctione cognitionis implicitæ ab explicita offendendi divinam voluntatem in tranſgrediendis legis naturalis præceptis, quarum primam, quæ in omnibus ratione utentibus reperitur, ad contrahendam culpam eſſe neceſſariam oſtendo.

Succedit longum ſcholion decimum. In hoc a numero 1 uſque ad 13 expono pernicioſa Hobbeſii, Spinoſæ, Dideroti in Encyclopædia verbo *Droit Naturel*, & Helvetii ſyſtemata. A numero vero 14 uſque ad 21 confirmo, & latius explico ea quæ in ſuperioribus conſtituta ſunt, aliquas Burlamachii, Grotii, Puffendorfii & aliorum ſententias, cum communi etiam Proteſtantium doctrina circa principium directivum, ſive regulam objectivam humanarum actionum refello, meum aliqua ex parte interpono judicium circa celebrem controverſiam de hac re duos ante annos Veronæ excitatam, & ea numero 16 litteris conſigno, quibus mihi videor ad ipſa perveniſſe veritatis cubilia, & diſſentientium Philoſophorum controverſias ſumma facilitate diremiſſe, aliquid præſtando ſimile ejus, quod præſtiti in celebri controverſia de vacuo deque continuo. Nam ut ibi oſtendi ſingulas ſectas aliqua ex parte attingere verum, ex alia ab eodem aberrare, atque hoc pacto finem litibus impoſuiſſe mihi ſum viſus, ſic in hac quæſtione me gero, dum hæc litteris conſigno. Aliqui volunt hanc regulam eſſe naturam rationalem, & alias actiones eidem convenientes eſſe intrinſecus honeſtas ob idipſum quod illi conveniunt, alias ab eadem diſſentaneas eſſe turpes & inhoneſtas ob eamdem rationem, adeout etiamſi Deus non foret, aut non cognoſceretur, utræque forent hujuſmodi, quin opus eſſet ad externam regulam, ſive ad legem divinam atque ad Dei voluntatem confugere. Alii vero,

ut

Digitized by Google

ut nos & Schawarzius, ob ſupra allatas rationes hanc moralium actionum regulam in æterna lege, ſive in divina voluntate conſtituunt. Sed quidam nimium progrediuntur, indeque colligunt actiones humanas non eſſe intrinſecus honeſtas aut turpes, & earum honeſtatem aut turpitudinem extrinſecus eſſe petendam, atque hanc ob cauſſam carpunt communem Scholaſticorum ſententiam, qui hanc internam actionum moralium honeſtatem ac turpitudinem agnoverunt. Verum nec primi, nec tertii in hujus loci reconditiora ſatis penetraſſe videntur. Nam pro certo & explorato tenendum eſt & Dei voluntatem eſſe hanc moralium actionum regulam, adeout ſine cognitione ejuſdem nulla vera obligatio in hominibus eſſe queat, nec ideo ulla vera actio moralis; & actiones humanas eſſe intrinſecus & neceſſario aut honeſtas, aut turpes, & alterum cum altero nequaquam pugnare. Primum conſtat ex iis, quæ in ſuperioribus diſputata ſunt, quorum ſumma in eo poſita eſt, ut ſoli Deo tamquam vero Domino & Superiori obedire teneamur, & noſtras voluntarias actiones ad ipſius voluntatis normam exigere, ſi eam nobis fecerit manifeſtam. Secundum autem ex eo, quod altera ex parte liberæ hominum voluntates non exſiſtunt niſi ex hypotheſi, quod Deus illas exſtare libere voluerit, & ex altera quamvis divina voluntas circa res creatas abſolute libera ſit, tamen ex hypotheſi, quod homines tali cognitione talique libero arbitrio donatos creare voluerit, neceſſario velle debet, ut quaſdam actiones, quarum aliquas in anteceſſum commemoravimus, tamquam rationi conſentaneas, exerceant; ab aliquibus autem tamquam a ratione diſſentaneis abſtineant. Quare voluntas Dei & libera eſt, quemadmodum eſt opus ad legem pro liberis hominum voluntatibus ſanciendam, & neceſſaria, quemadmodum neceſſe eſt ad eum finem, ut ea lex ſit naturalis, non poſitiva, & actiones illi convenientes, ſint natura ſua & intrinſecus honeſtæ & bonæ, actiones ab illa diſſentaneæ ſint ſimiliter turpes & malæ: libera abſolute, quatenus Deus creare potuit tales homines & non creare, & ideo potuit abſolute aut velle ut hanc legem obſervarent, aut ab hac voluntate abſtinere; neceſſaria hypothetice, quia ſi creare voluit, velle quoque debuit, ut ad alias actiones exercendas, ad alias vero omittendas ſua libertate uterentur. Ex quibus fit ut in actionibus tum lege naturali præceptis aut prohibitis, tum lege poſitiva, tota obligatio pendeat a divina libera voluntate, in qua utraque lex poſita eſt, ſed cum hoc diſcrimine, ut in lege naturali ſit quidem ea voluntas abſo-

abſolute libera; non hypothetice; in poſitiva autem utraque libertate prædita ſit. Ex his etiam fit, ut actiones lege poſitiva prohibitæ ſint malæ, quia divina voluntate prohibitæ; non prohibitæ, quia malæ, ut eſus pomi in Adamo: actiones autem a lege naturali vetitæ ſint malæ & turpes ob utramque rationem, & quia diſſentaneæ a recta ratione, & quia vetitæ a Deo. Sic expoſita vera circa legem naturalem & differentiam inter actiones bonas & malas ſententia, facile eſt refutare falſa ſimul & impia circa res eaſdem in ſuperioribus commemorata ſyſtemata, in quibus confutandis a numero 22 uſque ad finem ſcholii accurate verſamur.

Reſtat caput ſeptimum idemque ultimum, cui duas ſubnectimus appendices. Cum in hoc conſiderem Deum tamquam ſtatus naturalis & ſupernaturalis auctorem, neceſſariam articulo primo præmitto quæſtionem de neceſſitate & contingentia legum motus, in qua perſpicue conficio has quatuor leges motus unius corporis in vacuo eſſe abſolute neceſſarias, ut ſit conſtans nempe velocitatis ſemper æquabilis, quam evidenter colligo ex principiis in Ont. ſtatutis de neceſſaria connexione talis determinatæ velocitatis cum tali determinata vi, adeout nec augeri vis, nec minui poſſit, quin tota vis prior corrumpatur & alia denuo major aut minor creetur §. 293. Ont.; 2. ut ſit per lineam rectam, quod non ſatis ab aliquo demonſtratum nova conficio ratione late expoſita §. 184. tom. III. Phyſ. Gen. & in eo poſita, quod ex altera parte ex latere ſiniſtro lineæ rectæ duo puncta conjungentis nulla poteſt inter ea puncta deſcribi linea curva, quin ex latere dextro ſimilis prorſus & æqualis, & prorſus ſimiliter collocata linea curva duci queat, & ex altera in vi quæ neceſſario operatur, non eſt major ratio, cur determinet corpus per unam ex iis curvis, quam per alteram æqualem, ſimilem & ſimiliter collocatam; 3. ut ſit continuus ſine ullis vel exiguis moris, cujus evidentem rationem ex eo duco, quod vis ſemper movere corpus debet in vacuo, ubi nihil illi reſiſtit; 4 tandem ut ſit perpetuus, quia vacuum eſt infinitum, in cujus neceſſitate explicanda in ſolutione objectorum adverſus primam & alteram partem adverto, hujus neceſſitatem eſſe ſolum in hypotheſi quod Deus velit in æternum conſervare vim corporis in vacuo collocati, a qua tamen conſervanda ceſſare libere poteſt, aliarum autem neceſſitatem eſſe abſolutam ſaltem per aliquod exiguum tempus, quia vis ſaltem per aliquod exiguum tempus eadem & invariabilis cum ſuis determinatis veloci-

locitate & directione ante permanere debet, quam Deus corporis aut velocitatem ſive augeat, ſive imminuat, aut directionem variet. His de neceſſitate legum motus unius corporis una vi pulſi in vacuo conſtitutis, ajo leges motus in corpore, quod aut aliis atque aliis viribus perpetuo pellitur, ſecundum eamdem directionem, adeout ipſius motus ſit ſemper in linea recta, ſed vel acceleratus vel retardatus, aut duabus ad angulum oppoſitis, adeout per lineam quamdam mediam tendat, eſſe contingentes, & a libera Dei voluntate pendere, quorum alterum conficio ex eo quod ſecundum principia in Ontologia conſtituta non poteſt velocitas augeri aut diminui, niſi Deus in nihilum redigat priorem vim, & poſt aliquod tempus aliam creet aut majorem aut minorem §. 293. Ontol.; deſtructa vero priori vi poteſt Deus pro ſuo libito aliam creare quæ ſit directa verſus eamdem plagam, aut verſus alias quaſcumque; quæ ſit, quantumcumque is vult, major aut minor antegreſſa, & ideo gignat velocitatem, quæ ad velocitatem antegreſſæ habeat rationem quamcumque, prout ipſi libuerit; alterum autem ex eo conficio, quod in noſtra ſententia quam oſtendimus §. 269. Ontol., Deus non creat duas vires ex parte contrarias & ex parte congruentes, quæ qua parte contrariæ ſunt, ſe viciſſim perimant, qua parte congruunt, in unam vim coaleſcant, ſed ſumta ab iiſdem quas creare deberet, occaſione quæ nullam abſolutam neceſſitatem inducere poteſt in Deo, ut creet talem potius cum tali celeritate & directione vim, quam aliam quamcumque, illam unam cum ſua reſpondenti velocitate & ſecundum aliquam mediam directionem e nihilo educit. Inde colligo ſimiliter eſſe contingentes leges motuum in lineis curvis, in quibus ſunt ſemper novæ vires ad angulum oppoſitæ. Cum vero corpora in motus communicatione ſive per attractionem aut repulſionem §. 303. Ontol., ſive per colliſionem §. 237. Ontol. non ſint cauſſæ efficientes, ſed ſolum occaſionem Deo præbeant in utroque ex corporibus diſtantibus ſe attrahentibus generandi vires motrices maſſis directe, & quadrato diſtantiæ reciproce proportionales, & in corpore alterum percutiente deſtruendi partem celeritatis proportionalem maſſæ percuſſi, & in percuſſo generandi velocitatem maſſæ percutientis proportione reſpondentem; ex his eruo perſpicuum eſſe has leges pendere a libera Dei voluntate, qui poterat eaſdem ſtatuere, aut alias quaſcumque ab hiſce diverſas. Vulgari objecto quod inde ſequeretur has motuum communicationes eſſe futura miracula, oppono vulgare reſponſum diſtinctionis

inter miracula ordinaria, interque extraordinaria, & cum adverſus hanc diſtinctionem urgeam nullam tunc futuram eſſe interiorem inter utrumque miraculorum genus differentiam, ſed fore ut hæc ab una pendeat Dei libera voluntate, quod aliqua ipſe per ſe ſemper voluerit præſtare, aliqua vero ſolum aliquando & in aliquibus circumſtantiis, hæc repono, in quibus ſumma quæſtionis verſatur, quæque maximam huic obſcuriſſimo de ſtatu naturali & ſupernaturali loco afferunt lucem: Quamquam corpora alia in aliis vim motricem & motum tamquam efficientes cauſſæ non generent, tamen cum Deus naturaliter in iis operatur, & patrat ſolum miracula ordinaria, eas deſtruit & creat velocitates & vires iis neceſſarias perinde, ac ſi corpora eaſdem efficerent aut corrumperent tamquam cauſſæ efficientes. Nam primo in primo ex duobus diſtantibus corporibus creat velocitatem proportionalem maſſæ ſecundi, & in ſecundo proportionalem maſſæ primi, perinde ac ſi maſſa ſecundi tamquam effectrix cauſſa traheret primum, & maſſa primi ſecundum; ut mittam alteram legis partem de proportione reciproca inverſa quadrati diſtantiarum. Deinde ſimili ratione in conflictu velocitas creata in percuſſo reſpondet maſſæ percutientis, & velocitas corrupta in percutiente maſſæ percuſſi, perinde ac facerent corpora, ſi tamquam effectrices cauſſæ alia in aliis motum gignerent, aut corrumperent: cujus rei reconditiorem produco rationem in appendice ſequenti, quam rationem in Phyſica magis ad vivum reſecabo. Cum vero ſupernaturaliter operatur, & miracula facit extraordinaria, hanc a corporibus creatis occaſionem non ſumit, nec eas generat aut corrumpit velocitates & vires iis reſpondentes, quæ reciprocam maſſarum rationem ſequantur. Quo fit compertum diſcrimen inter miraculum ordinarium & mutationes corporum naturales, interque extraordinarium & ſupernaturales.

Ex his articulo ſecundo primum colligo quænam ſint naturales motuum leges, ideoque naturales corporum mutationes, & quænam mutationes ſupernaturales. Tum adverto inter motuum leges recenſendam eſſe etiam eam, quæ inter animam & corpus reperitur, proptereaquod non eſt valde abſimilis a lege attractionis inter corpora, uti obſervavimus §. 172. Pſych. Deinde moneo his refragari Wolphium, qui putat omnes humani corporis motus ſecundum leges motuum aliorum mundi corporum perfici, nulla ſumta occaſione ab animæ mutationibus, cujuſque ſyſtema jam §. 161. & ſeq. Pſych. luculenter confutavi. Poſtea rationem Wolphii

expono

Digitized by Google

expono ductam ex eo, quod hujus mundi ordo nimis turbaretur, ſi ab animæ arbitrio multi penderent motus humani corporis, & aliorum mundi corporum, quæ cum humanis conjuncta ſunt, & confirmatam doctrina miraculorum reſtitutionis, quæ cum adeo neceſſaria ſint, ut poſt patratum miraculum non ſit futurus mundi ſtatus alius, ac eſſet, ſi nullum miraculum patratum fuiſſet, non tamen obſervamus per miraculum reſtitutionis deſtrui mutationes quæ a corpore humano in aliis circumfuſis mundi corporibus efficiuntur. Demum his ſatiſfacio advertendo ad mundi ordinem quem Deus a primo conſtituit, ſuam quoque ſymbolam conferre mutationes, quæ ab anima perficiuntur in corpore quicum juncta eſt, & adminiculo illius in aliis mundi corporibus quibuſcum corpus humanum eſt copulatum. Tandem cum adverſus hæc urgeam hunc ordinem, ſi etiam a libera hominum voluntate penderet, eſſe futurum nimis inconſtantem & varium; immo cum unus Deus præſcire poſſit quid omnes omnium liberæ voluntates ſint appeturæ, fore ut futuri mundi ſtatus certo a nobis prædici non poſſint, contraquam accidit in periodis Planerarum, in ecclipſibus Solis ac Lunæ eorumque conjunctionibus, & de hoc genere in aliis permultis, quæ multos ante annos quam accidant, certo ab Aſtronomis prænuntiantur; diſtinguo inter mutationes quæ a magnis mundi corporibus pendent, ab iis quæ uſuveniunt in parvis, & adverto corporis humani motus ab animo profectos gignere poſſe mutationes aliquas in corporibus hujus terraquei globi quæ ſunt in ſuperficie telluris, aut ab illa ſurſum vel deorſum parum abſunt, non vero in Sole, in Luna, in planetis atque in ſyderibus, quæ corpora & nimium magna ſunt, & nimium a tellure diſtantia, quam ut exiguæ mutationes corporum prope telluris ſuperficiem ab hominibus libera voluntate factæ, ſenſilem aliquam differentiam afferre poſſint in horum corporum attractionibus, quibus eorum motus ac converſiones perficiuntur. Qua in re lectores rejicio ad illum Cl. Friſii commentarium, in quo eamdem ſemper fuiſſe anni periodum & eccliptica inclinationem enucleate docet, hiſque Naturali Thologiæ finem impono.

Ad hæc vero atque ad alia, quæ de corporum viribus atque motibus in Ontologia differui, magis declaranda, loco appendicis ſubjungo commentarium de neceſſitate legum Staticæ atque Mechanicæ, quem exaravi occaſione arrepta a quæſtione, quam Phyſico-Mathematicis nuper ſolvendam propoſuit Illuſtriſſima Regia Academia Berolinenſis, in eo poſita, utrum veritas principiorum

Staticæ atque Mechanicæ ſit neceſſaria, an contingens. In ea vero tantum eſſe momenti, quantum in univerſa Phyſica, nemo eſt in hiſce diſciplinis tam peregrinus & hoſpes qui ignoret. Quis enim non videt hic non de terminis, ſed de tota poſſeſſione controverſiam moveri? Nam ſi ea principia neceſſaria ſint, ſtant leges motuum unde tota Phyſica pendet, earumque rationes ex intima rerum natura depromi poſſunt, itaque fit ut hæc diſciplina ſua ſervet jura, ac nomen & decus ſcientiæ tueatur. Sin autem ſint contingentia, eædem leges ab una proficiſcuntur voluntate Dei, qui tales pro ſuo arbitrio condere voluerit, cum ceteroquin alias figere potuiſſet, quin ullam naturæ corporum vim adhiberet. Quo poſito nullam motus corporum legem ratione inveſtigare, & ab ipſa origine atque a priori, ut ajunt, poſſemus arceſſere; ſed unus eſſet reliquus modus in earum cognitionem veniendi per tentamina atque experimenta, quæ nos pedetentim manu quaſi ducerent ad eas quæ in hac rerum univerſitate ſtatutæ ſunt, cognoſcendas. Quamobrem conſtat hujus quæſtionis ſolutionem eſſe omnium maxime neceſſariam, nihilque a Phyſicis eſſe omittendum, quo ad illam perveniant. Ego certe quantum poſſum, vires ingenii contendo, nec ab ejuſdem imbecillitate, nec ab eorum qui ad hunc locum illuſtrandum concurrent, longe majori acumine atque doctrina abſterreri me ſino, quominus meam quoque ad hanc rem ſymbolam conferam. Sed ne longius faciam in hac præfatione quæ alioquin nimis, quam par erat, excrevit, omitto redigere in ſummam quæ hic doceo, & lectores ad ipſum commentarium remitto.

Ob eamdem cauſſam breve facio in expoſitione eorum, quæ tracto in ſecunda appendice, quam alteri ſubnecto hanc propter rationem. Cum poſteaquam hoc volumen fere typis edideram, meas ad manus perveniſſet eximius Crouſatii liber inſcriptus, *Examen du Pyrrboniſme*, & comperiſſem multa in eo proferri graviſſima argumenta adverſus vacuum atque continuum, atque adverſus corporum & motus poſſibilitatem, excerpta cum ex libris hypotypoſeon Sexti Empirici, tum vero maxime ex pernicioſo Bælii dictionario, quibus argumentis ſatis non fieri mihi videtur nec ab aliis nec a Cl. Auctore ob unum falſi communis ſyſtematis quod ſunt amplexati, defectum; operæ pretium ſum arbitratus eadem hic rurſus exponere, & in iis exponendis nihil reticere eorum quæ rem non perſuadere ſed cogere videntur, ut claras atque perſpicuas nullique obnoxias difficultati ſolutiones ex principiis a me

jam

jam conſtitutis eruendo, anſam, quam ut apud Bælium videre licet, inde arripiunt impii aut negandi, aut in dubium revocandi præcipua Philoſophiæ circa Deum & animas dogmata, iiſdem eriperem, eademque opera luculentius firmarem id, quod in hiſce voluminibus ſæpe monſtravi, ceteris omnibus exploſis, unum reſtare meum circa hujuſmodi ſumma Metaphyſicæ capita ſyſtema, in quo res in clariſſima luce ponantur, & difficultatibus, quæ in aliis omnibus ſunt inſolubiles, cumulatiſſime ſatisfiat. Quod utrum præſtiterim, doctorum erit judicium, quibus appendicem ipſam examinandam propono.

IN-

Digitized by Google

INDEX
PARTIUM, CAPITUM, ATQUE ARTICULORUM THEOLOGIÆ NATURALIS.

THEOLOGIA NATURALIS.

PARS PRIMA.

De Attributis Dei abſolutis. Pag. 1.

CAPUT PRIMUM.

De iis, quæ adverſus exiſtentiam Dei objici poſſunt, & de illorum refutatione. pag. 2.

CAPUT SECUNDUM.

De Immutabilitate Dei, & quomodo hæc cum ejuſdem libertate concilietur. p. 25.

CAPUT TERTIUM.

De immateriali, & ſpiritali Natura Dei. pag. 29.

CAPUT QUARTUM.

De infinita abſolute perfectione Dei. p. 46.

CAPUT QUINTUM.

De æternitate Dei. pag. 49.

CAPUT SEXTUM.

De unitate Dei. pag. 52.

Diatriba de Exſiſtentia Dei. pag. 55.

CAPUT PRIMUM

De exſiſtentia Entis a ſe. pag. 56.

CAPUT SECUNDUM.

De unitate Entis a ſe. pag. 61.

CAPUT TERTIUM.

De Attributis Entis, a ſe & præſertim æternitate & neceſſitate, & de nova ratione demonſtrandi entis a ſe exſiſtentiam. pag. 63.

CAPUT QUARTUM.

De aliis attributis Entis a ſe, & præſertim unitate. pag. 68.

CAPUT QUINTUM.

Ens a ſe eſt diſtinctum ab animabus, & corporibus totoque mundo, deque aliis Entis a ſe attributis. pag. 74.

PARS SECUNDA.

De attributis Dei relativis.

CAPUT PRIMUM.

De Deo Creatore. pag. 82.

CAPUT SECUNDUM.

De Deo Conſervatore. pag. 98.

CAPUT TERTIUM.

De Deo cum actionibus rerum creatarum concurrente. pag. 102.

CAPUT QUARTUM.

De ſcientia, & cognitione tum poſſibilium, tum futurorum deque modo, quo Deus concurrit cum actionibus liberis. Pag. 106.

Articulus I.

De ſcientia, & cognitione poſſibilium.

Articulus II.

De ſcientia, & cognitione rerum futurarum, quæ neceſſario fiunt. p. 109.

Articulus III.

De concurſu Dei cum effectibus ſive actionibus cauſſarum liberarum. p. 111.

Articulus IV.

De cognitione futurorum liberorum tum abſolutorum tum conditionatorum. p. 123.

Articulus V.

An propoſitiones de futuro contingenti libero ſint determinate veræ, aut falſæ. pag. 127.

Articulus VI.

Solvuntur quædam difficultates adverſus hominis libertatem. pag. 130.

CAPUT QUINTUM.

De Divina Providentia adverſus Deiſtas. pag. 170.

CAPUT SEXTUM.

De Deo, quatenus eſt auctor legis naturalis, & de differentia inter actiones bonas, & malas. pag. 187.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

De Deo, quatenus eſt auctor ſtatus naturalis, & ſupernaturalis. pag. 213.

Articulus I.

De neceſſitate, & contingentia legum motus. ibid.

Articulus II.

De mutationibus naturalibus, & ſupernaturalibus corporum. pag. 225.

APPENDIX I.

COMMENTARIUS.

De neceſſitate legum Staticæ, atque Mechanicæ. pag. 228.

CAPUT PRIMUM.

De neceſſitate legum motus rectilinei, atque conſtantis. pag. 229.

CAPUT SECUNDUM.

De neceſſitate legum motus rectilinei, atque variabilis. pag. 236.

CAPUT TERTIUM.

De actione corporum aliorum in aliis, & de neceſſitate legum motus in eorum colliſione. pag. 239.

Articulus I.

De eſſentia, & natura corporum quædam ſummis labiis attinguntur. ibid.

Articulus II.

De modo, quo fit communicatio motus inter corpora. pag. 245.

Articulus III.

Ex conſtitutis eruitur, quomodo ſunt neceſſariæ leges in motus communicatione. pag. 253.

CAPUT QUARTUM.

De neceſſitate legum motus compoſiti tum rectilinei, tum variabilis. pag. 255.

APPENDIX II.

Adverſus.

Sextum Empiricum, Belium, alioſque Scepticos. pag. 257.

ER-

Digitized by Google

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
Pag. 5.	lin. 35.	qua	qnæ
21.	lin. 4.	buſis	baſis
36.	lin. 31.	qua	quas
51.	lin. 7.	cum ſit hoc	cum non ſit hoc
52.	lin. 31.	§. Ont.	§. 140. Ont.
56.	lin. 41.	iidem locis	iiſdem locis
66.	lin. 18.	repugnant	non repugnant
	lin. 30.	modo	modus
71.	lin. 8.	pertinent	pertinet
82.	lin. penul.	quot andem	quo tandem
94.	lin. 36.	abſolntnm	abſolutam
95.	lin. 28.	lactatio	luctatio
98.	lin. 17.	eligenda	eligendi
	lin. 18.	qui	qua
99.	lin. 2.	§. Ont.	§. 75. Ont.
114.	lin. 12.	ad nnam	ad unum
124.	lin. 14.	§.	§ 132.
132.	lin. 7.	*Primieres*	*Premieres*
157.	lin. 37.	ſato	fato
158.	lin. 39.	fit	ſit
165.	lin. 45.	ſartatectas	ſartaſtectas
170.	lin. 23.	qua	qnæ
	lin. 26.	§. 162.	§. 182.
171.	lin. 27.	§. 163.	§. 183.
	lin. 33.	§. 164.	§. 184.
173.	lin. 31.	hac miſſo	hoc miſſo
175.	lin. 3.	extenſnm	externum
	lin. 33.	cuipam	culpam
182.	lin. 5.	quo	quos
185.	lin. 31.	Petrum	Patrum
186.	lin. 29.	motum	motuum
196.	lin. 24.	ne	nec
206.	lin. 16.	2760.	1760.
211.	lin. 22.	oteſt	poteſt
214.	lin. ult.	§. Ont.	§. 67. Ont.
221.	lin. 31.	& per	ſive per
232.	lin. 7.	occaſinnes	occaſionales
239.	lin. 20.	ſacio	facio
	lin. 38.	ſi ſnut neceſſariæ.	ſi ſunt neceſſariæ?
240.	lin. 41.	peſtibus	pertibus
251.	lin. 16.	ipſis	ipſins
252.	lin. 36.	acqnirent	acquirerent
255.	lin. 18.	generare	generare debuit
259.	lin. 13.	Sed quia eam	ſed quia cum
	lin. 20.	arctum eſt	aptum eſt
	lin. 33.	Subtilis Amaga	Subtilis Arriaga
260.	lin. 10.	Sholaſticis	Scholaſtici
	lin. 19.	*diſtincta omnibus*	*diſtincta ab omnibus*
	lin. 23.	Zenon excirpit	Zenon hæc excerpit
261.	lin. 13.	poſſe infinitum	poſſe in infinitum
262.	lin. 16.	ceſſabit. In nihilum	ceſſabit, in nihilum
	lin. 43.	obſtruſit	obtruſit
263.	lin. 45.	confirmatam	confirmatam difficultatibus ſolvendis
264.	lin. 37.	continuo partes	continui partes
266.	lin. 10.	tranguli	trianguli
267.	lin. 1.	vitibus gravitati	viribus gravitatis
269.	lin. ult.	addit viribus	addit de vitibus

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIA NATURALIS.

§. 1. Definitio

THeologia Naturalis eſt ea Philoſophiæ pars, quæ Deum ejuſque attributa conſiderat, quatenus Deus ejuſque attributa per ſuas cauſſas ſive rationes cognoſci poſſunt. Quamobrem Naturalis in hoc differt a Supernaturali; quia in hac ad inveſtigandam Dei exſiſtentiam ejuſque attributa utimur illo ſolo rationis naturalis lumine, quod Deus, ut auctor Naturæ, omnibus eſt impertitus; in illa vero etiam lumine fidei, ſive iis cognitionibus & ideis, quas Deus, ut auctor gratiæ, per revelationem aliquibus factam nobis largitus eſt.

§. 2. Definitio

Nomine Dei intelligimus Ens a ſe, quod ſcilicet originem ab alio Ente non duxit. Verum monemus eos contra methodi leges rationem concludere, qui monſtrata Entis a ſe exſiſtentia continuo tamquam monſtratum ſumunt exſtare Deum eo ſenſu, quo hoc vocabulum a Sacris Litteris, & a Chriſtianis, uſurpatur, ideſt æternum, omnipotentem, ſumme perfectum, optimum &c. Singula enim attributa oſtendenda ſunt, atque ab illa definitione, uti in Logica & in Ontologia nos fecimus, & hic uberius facturi ſumus, ante ſunt colligenda, quam Ens ſumme perfectum exſtare pronunciemus.

§. 3. Propoſitio

Philoſopho maxime neceſſaria eſt Dei cognitio ad eum finem, ut aliarum etiam Philoſophiæ partium cognitionem acquirat. Nam Philoſophi eſt ultimam tenere rationem eorum, quæ in entia conveniunt; in hoc enim poſita eſt perfecta illa & abſoluta rerum cognitio, quæ Philoſopho cordi eſſe quammaxime debet, quam-

Digitized by Google

que adæquatam vocavimus §. 153. Log. Atqui Deus eſt ultima ratio eorum, quæ animis corporibuſque conveniunt: nam utrumque ſubſtantiarum genus a Deo creatum fuit, & perpetuo conſervatur §. 200. & 201. Ont. vireſque agendi pariter per creationem recipit & per conſervationem tuetur §. 42. & ſeq. Ont. ſine quibus nulla in corporibus & in animis mutatio eſſe quiret, nec ulla apparens inter corpora §. 237. 254. Ont. aut inter animam & corpus §. 172. Pſych. actio eſſe quiret. Quare Theologia eſt veluti Phyſicæ & Pſychologiæ complementum, & idcirco ad alias Philoſophiæ partes cognoſcendas quammaxime neceſſaria eſt.

§. 4. Diviſio

Theologiam duas in partes diſpeſcimus, in quarum altera præſertim de attributis Dei abſolutis, quæ ſcilicet ipſi in ſe conſiderato conveniunt; in altera de relativis, quæ in idem cadunt, quatenus ad res creatas refertur, diſſeremus.

PARS PRIMA.

De attributis Dei abſolutis.

CAPUT PRIMUM.

De iis, quæ adverſus exſiſtentiam Dei objici poſſunt, & de illorum refutatione.

§. 5. Propoſitio

JAm in Logica a poſteriori monſtravimus §. 96. & ſeq. exſiſtere Ens a ſe, illudque ab æterno fuiſſe, & in æternum eſſe duraturum; in Ontologia §. 125. & ſeq. evidenter ex idea Entis a ſe collegimus ejuſdem attributa, continere omne poſſibile ens, atque idcirco eſſe ens perfectiſſimum, actum omnino purum, immutabile & accidentium expers, habere intellectum & voluntatem omnino liberam, eſſe ſimplex & unam tantum ſubſtantiam, atque diſtinctam ab animabus atque corporibus, & ex nihilo creaſſe, & nunc conſervare omnes alias ſubſtantias, atque ideo exſiſtere Deum, qualem Chriſtiani venerantur; id quod alia ratione a priori docuimus §. 191. & ſeq. Ontol. Quare nunc reſtant aliquæ difficultate ſolvendæ & primo illæ, quæ adverſus Dei exſiſtentiam ab impiis proponuntur.

§. 6. Objectio

Cujus Entis non habemus ideam, illud monſtrari non poteſt exſi-

exſiſtere; atqui Dei non habemus ideam. Ergo Deus monſtrari non poteſt exſiſtere. Prob. min. Entis infiniti non habemus ideam, quia mens noſtra finita infinitum capere nequit. Atqui Deus eſt ens infinitum & ſumme perfectum. Ergo &c. Ita rationem concludit Hobbeſius Leviath. cap. 3. pag. 12.

§. 7. Reſponſio

Diſt. maj. Entis infiniti non habemus ideam poſitivam co. negativam ne. Nam infinitum cognoſcimus poſitive, quando cognoſcimus omnia & ſingula, quæ in eo ſunt; negative autem, quando novimus perveniri non poſſe ad ultimum attributorum, quæ in Ens infinitum conveniunt. Fac aliquem funem 100 palmos longum eſſe diſtentum in aperto loco ante oculos Petri; hic certe videt & poſitive noſcit totum funem, quia ſingulos 100. palmos in oculis habet. At ſi Petrus ſit in cubiculo, & pars funis intra idem, pars maxima extra pertineat ab oculis Petri ſubducta; is totam funis longitudinem ſolum negative cognoſcit, quatenus non novit ſingulos palmos, & quot in eo ſunt, ſed hoc unum, funem intra cubiculum non terminari, quod eſt negantem ejuſdem ideam habere. Hoc poſito ajo nos quidem poſitivam non habere ideam Entis infiniti, eo quod mens noſtra finita omnia infinita attributa, quæ in eo ſunt, percipere nequit; habere tamen negantem, eoquod ob rationes citatis locis allatas cognoſcimus non poſſe perveniri ad finem eorum, quæ in Deum cadunt, eoquod Ens a ſe complectitur omne poſſibile ens, atque ideo perfectiones infinitas §. cit. Ont. Hæc autem negans entis infiniti idea ſatis eſt, ut demonſtrare poſſimus, hoc ens infinitum exſiſtere. Ergo exſiſtentia Dei monſtrari poteſt.

§. 8. Inſtantia

Ens cujus habemus ſolam ideam negantem, ratione habita noſtræ cognitionis eſt Ens negativum, ſive non ens; atqui de Ente ratione habita noſtræ cognitionis ſolum negativo exſiſtentia probari non poteſt. Ergo &c. Prob. min. Enti negative cognito non poteſt oſtendi convenire attributum poſitivum. Atqui exſiſtentia eſt attributum poſitivum. Ergo &c.

§. 9. Reſponſio

Diſt. maj. Enti pure negative cognito non poteſt oſtendi convenire attrbutum poſitivum co. Enti partim poſitive, partim negative cognito non poteſt oſtendi convenire attributum poſitivum ne. Nam in ſupra allato exemplo funis, cujus pars intra cubiculum ſit, Petrus in eo clauſus videt quidem & cognoſcit negative pal-

mos, qui ſunt extra; at partem funis & palmos, qui intra, poſitive cognoſcit. Qua de cauſſa fit, ut cognoſcat illum exſiſtere, & alia ipſius prædicata poſitiva noſcere poſſit. Similiter cum Ens a ſe, uti eſt Deus, omnia poſſibilia entia complectatur, nos ex his entibus, quæ in Deo ſunt, aliqua poſitive cognoſcimus, ſed alia in infinitum ſolum negative, uti novimus Deum habere intellectum, & poſitive novimus etiam aliqua, quæ a Deo cognoſcuntur, non vero omnia in infinitum, ſed ſolum neganti ratione, quatenus percipimus numquam perveniri poſſe ad finem eorum, quæ a Deo cognoſcuntur. §. 123. Log. Quid ergo mirum ſi de hoc ente, quod ex parte poſitive cognoſcimus, oſtendere poſſumus eidem convenire etiam exſiſtentiam, ſine qua jam oſtendimus §. 191. & ſeq. Ont. nec ipſam Entis a ſe poſſibilitatem eſſe quire, ſive nec ullum prædicatum poſitivum in eo poſſe reperiri?

§. 10. Inſtantia

Deus non poteſt percipi idea partim affirmante, partim negante. Ergo &c. Prob. ant. Deus aut totus cognoſcitur, aut nullo modo. Ergo &c. Prob. ant. Quod eſt ſimplex, aut totum cognoſcitur, aut nullo modo; atqui Deus eſt ſimplex; ergo &c. Deinde Ens omnino poſitivum, & nihil negantis includens, cognoſci non poteſt idea neganti; eo quod idea negans cognoſceret id, quod in eo non eſt: atqui Deus eſt ens omnino poſitivum, nihilque negantis includens §. cit. Ont. Ergo &c.

§. 11. Reſponſio

Diſt. maj. Quod eſt ſimplex ratione objecti, aut totum cognoſcitur, aut nullo modo co. quod eſt ſimplex ratione entis, non ratione objecti ne. atqui Deus eſt ſimplex ratione entis co. ratione objecti ne. Nam ſolæ ideæ abſtractæ & maxime generales entis, primarum ejus differentiarum, a ſe, per ſe &c. ſunt ita ſimplices in ratione objecti, ideſt ſunt objectum ita unum, ut aut totæ percipiantur, aut nullo modo §. 131. Log. at in aliis omnibus, quamquam ſint ſubſtantiæ ſimplices & partibus carentes, tamen eſt fundamentum plura diſtinguendi, ſcilicet genera & differentias §. 128. Log. & multo magis in ente a ſe, quod in ſe complectitur omne poſſibile ens. Quamobrem ſimplicitas Dei non obſtat, quominus ex infinitis entibus, quæ in eo ſunt, aliqua percipiantur, & alia in infinitum nequaquam.

2. Ad ſecundum hac utor diſtinctione. Ens omnino poſitivum non poteſt percipi idea vere neganti, ideſt negante ens co. idea improprie neganti, ideſt negante negationem ne. Concedo equidem

Deum,

Digitized by Google

Deum, utpote ens a ſe & ideo complectens omne poſſibile ens, non poſſe percipi idea vere neganti, ideſt quæ vere neget ens, eo quod hæc idea falſa foret. Verum ajo negationem finis in enumeratione attributorum Dei duobus modis percipi poſſe, primo & perfecto, ſi omnia & ſingula infinita Dei attributa percipiantur; ſecundo & imperfecto, ſi quædam ex iis percipiantur, de aliis autem hoc unum intelligatur ſupereſſe alia infinita percipienda; atque hac ratione ajo Deum percipi idea neganti, quæ dici poſſet etiam inadæquata & incompleta, eo quod aliqua ſolum, non omnia, quæ in Deo ſunt, percipiuntur. Qua de re vide quæ diſputavimus in Pſychologia §.191. & ſeq.

§. 12. Objectio.

Ex entis a ſe exſiſtentia non colligitur exſiſtere Deum, qualis a Chriſtianis adoratur, ſcilicet diſtinctum ab animabus atque corporibus. Ergo non demonſtratur exſiſtere Deum. Prob. ant. Ex Entis a ſe exſiſtentia non colligitur exſiſtere Deum, ab animabus atque corporibus diſtinctum, ſi corpora & animæ non ſint niſi modificationes entis a ſe; atqui corpora & animæ non ſunt niſi modificationes Entis a ſe. Ergo &c. Prob. min. Secundum impiam Spinoſæ hypotheſim unica tantum eſt & eſſe poteſt ſubſtantia, duobus ſummis attributis prædita, cogitatione ſcilicet & extenſione infinitis; prout autem hæc attributa varie modificantur, varia inde corpora & animæ exſiſtunt. Ergo &c.

§. 13. Reſponſio

Diſt. ant. Datur una tantum ſubſtantia imperfecta ne. ſumme perfecta ſub. quæ ſit prædita extenſione ne. quæ ſit prædita cogitatione eaque infinita ſubd. ita tamen ut ſit diſtincta ab animabus co. non ſit diſtincta ne. Nam ut docui in Ontol. §. 33. & 34. ſubſtantia alia eſt perfecta, quæ ut ſit, non ſolum non indiget alio ente, in quo tamquam interior & mutabilis ejuſdem determinatio ſit, verum nec illo, a quo creetur & conſervetur, eoquod eſt a ſe; imperfecta vero, quæ indiget quidem ente a quo creetur & conſervetur, non autem illo, in quo tamquam interior & mutabilis ipſius determinatio ſit. Prima ſubſtantia eſt ſolum Ens a ſe, non vero corpora & animæ, qua ab ente a ſe creari §. 200. Ont. & conſervari debent §. 201. Ont. quæ animæ & corpora ſunt veræ ſubſtantiæ ab abſolutis accidentibus diſtinctæ, eoquod poſſunt quidem mutari Ente a ſe immutato manente, ſed non ſunt interiores illius determinationes. Nam in una tantum ſubſtantia, quæ partibus actu diſtinctis ut partibus carere debet, eoquod ſingulæ par-

partes forent totidem ſubſtantiæ §. 87. Ont. eodem tempore contrariæ omnino determinationes eſſe nequeunt. Atqui ſi animæ & corpora forent interiores ſubſtantiæ a ſe determinationes, in ſubſtantia a ſe forent omnino contrariæ determinationes. Nam una anima ex. g. vult unam rem, altera eodem tempore eamdem rem averſatur ſive non vult; unum corpus recta pergit verſus orientem, alterum eodem tempore recta verſus occaſum in contrariam omnino plagam. Jam vero ſi hæ adeo contrariæ determinationes in una & eadem ſubſtantia forent, etiam contradictoria in eamdem ſimul convenirent, quod in contrariis latent contradictoria §. 201. Log. Ergo ne in hæc contradictoria & ideo falſa incidamus, dicendum eſt animas & corpora eſſe non poſſe interiores ſubſtantiæ a ſe determinationes.

2. Deinde quod attinet ad extenſionem Entis a ſe, & ad corpora inde exorta ea ratione, qua oriri contendit Spinoſa, ajo primum extenſionem in ſubſtantia a ſe eſſe non poſſe; ſecundo etſi foret, corpora eſſe nequire determinationes extenſionis ejuſdem. Alterum hiſce rationibus conficitur primo; quæ ſubſtantia vim habet cogitandi, eſſe extenſa non poteſt. §. 111. Pſych. Jam vero ſubſtantia a ſe vim habet cogitandi, ut auctor concedit & nos docuimus §. 175. & ſeq. Ont. Ergo ſubſtantia a ſe eſſe extenſa non poteſt. Secundo vel extenſio conſtat ex partibus inextenſis atque inter ſe perfecte diſtinctis, ut ex monadibus in ſententia Leibnitii, aut ex punctis inextenſis vel ſe contingentibus in ſyſtemate Zenonis, vel disjunctis in Buſchovichii §. 72. Ont., vel ut nos invicte docuimus §. 78. & ſeq. Ont., habet ſolum partes in potentia. Primum a Spinoſa defendi non poteſt, eoquod tunc non foret, ut is contendit, una tantum ſubſtantia a ſe, ſed totidem quot ſunt hujuſmodi partes perfecte diſtinctæ ad extenſionem ſubſtantiæ a ſe componendam accommodatæ, & in eas ſingulas prædicatum a ſe, utpote omnium maxime abſolutum, caderet §. 97. & ſeq. Log. Quod etiam refutatur iis, quibus Ens a ſe eſſe unam tantum ſubſtantiam monſtravimus §. 199. Ont. Quamobrem Spinoziana ſubſtantiæ a ſe extenſio ex partibus inter ipſas perfecte diſtinctis componi non poteſt.

3. Quod ſi ad extenſionem partes ſolum in potentia habentem ſe conferat, nec hoc pacto ab anguſtiis, in quas ſe conjecit, evadere poterit. Nam in meo ſyſtemate hæc extenſio eſt vera & realis, quia cum omnis vera potentia ad actum redigi queat §. 83. Ont. partes in potentia in uno corpuſculo rediguntur ad actum in plu-

Digitized by Google

pluribus corpuſculis, quorum ſingula ipſo minora ſimul conjuncta idem exæquant §. 82. Ont. At in Spinoziano cum eſſe poſſit una tantum infinite extenſa ſubſtantia, & corpora finita non ſint, niſi puræ extenſionis infinitæ determinationes, in quo alio redigi poſſunt ad actum potentiales ejuſdem partes? Quare partes in ipſa non erunt neque in potentia; & ſi plures partes neque in potentia ſunt in poſita a Spinoſa ſubſtantiæ a ſe extenſione, nulla erit hæc extenſio, quæ ſaltem partes in potentia deſiderat.

4. Sed venio ad alterum, quo maleſani Auctoris ſyſtema prorſus evertetur. In vere continua extenſione partibus reipſa diſtinctis carente, qualem ob allatas rationes etiam is ſtatuere debet, ſi ſecum conſtare velit, motus inteſtinus eſſe non poteſt, quo aliæ extenſionis partes in alias plagas etiam recta ferantur, ut una verſus occaſum, altera eodem tempore verſus orientem §. 232. Ont. ſed ſi extenſio eſt infinita, ad ſummum eſſe quit vel communis omnium rectilineus, quo ſingulæ partes eadem velocitate verſus eamdem plagam cientur; vel circa aliquod punctum curvilineus, quo fit ut partes remotiores a centro majori celeritate, propiores minori ferantur ita tamen ut ſemper eamdem inter ipſas ſitum conſervent §. *citato*, quia mutatio ſitus diſtinctionem inter partes deſiderat: quamquam hunc ipſum motum eſſe nequire deinceps oſtendimus §. 297. & 302. n. 5. Ont. Jam vero corpora mundi & in contrarias omnino plagas eodem tempore recta moventur, & hiſce motibus fit, ut perpetuo ſitum inter ſe mutent. Ergo planum fit hæc mundi corpora eſſe non poſſe infinitæ extenſionis ſubſtantiæ a ſe motiones, ſive determinationes. Igitur ex omni parte ruit Spinozianum ſyſtema.

§. 14. Inſtantia

Atqui corpora & animæ ſunt variæ determinationes ſubſtantiæ a ſe. Ergo nulla datur ſubſtantia præter ſumme perfectam. Prob. ant. Si corpora & animæ non forent variæ ſubſtantiæ a ſe determinationes, debuiſſent creari, ſive ex nihilo educi; atqui non potuerunt ex nihilo educi. Ergo &c. Prob. min. Eſt axioma Philoſophorum, ex nihilo nihil fit, ſive ex nihilo non poteſt fieri aliquod ens. Ergo &c.

§. 15. Reſponſio

Diſt. ex nihilo non poteſt fieri aliquod ens tamquam ex cauſſa interna, ſive materia aut forma entis co. tamquam ex termino, a quo entis productio proficiſcitur ne. Nam axioma veterum Philoſophorum in eo ſenſu verum eſt, ut cum duæ ſint interiores eſ-

fe-

fectus cauſſæ, materialis, atque formalis, ex quibus ipſe effectus intrinſecus componitur §. 288. Ont., nihil non poſſit eſſe aliqua ex his duabus interior entis cauſſa, quia Ens ex eo, quod negationem cujuſcumque entis includit, coaleſcere nequit. Non autem perſpicue verum eſt in eo ſenſu, ut nihil non poſſit eſſe terminus, a quo proficiſcitur cujuſdam Entis productio. Immo apparet eſſe falſum ex aliis exemplis. Nam aliqua corpora moveri incipiunt ſaltem aliqua definiti gradus & directionis velocitate, quam antea non habebant. Jam vero terminus, unde incipit illa determinata velocitas, eſt nihilum ejuſdem velocitatis. Quare nihil poteſt eſſe terminus, unde incipit aliqua res. Quid vero eſt corpora & animas creari, ſive ex nihilo educi? aliud nihil, quam nihil eſſe terminum unde incipiunt eſſe, ſive eadem exſiſtere, cum antea non forent. Ergo corpora & animæ potuerunt creari, & idcirco ex eo, quod creari non queant, erui nequit eadem eſſe ab æterno, atque Entis a ſe determinationes.

§. 16. Inſtantia

Atqui nec poteſt fieri ens ex nihilo tamquam ex termino, unde productio entis proficiſcitur. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Si ex nihilo tamquam termino fieret aliquod ens, diſtantia infinita tranſiretur, quia inter nihil & ens intervallum eſt infinitum; atqui diſtantia infinita tranſiri non poteſt. Ergo &c.

§. 17. Reſponſio

Diſt. min. Diſtantia infinita tranſiri non poteſt ab ente finito, & virtute ſive potentia finita prædito co. ab ente infinito, & infinita donato vi effectrice ne. Nam ut dixi in Ontol. §.136. 150. & ſeq. ſpatium infinitum tranſiri quidem non poteſt a corpore finito vim finitam & ideo velocitatem pariter finitam habente, bene vero a corpore velocitate & vi infinitis donato. Quare cum Deus ſit Ens infinitum & ideo infinita vi effectrice præditum §.175. & ſeq. Ont. non repugnat, ut diſtantiam infinitam, quæ inter nihil & ens interponitur, tranſiliat, & ideo ens gignat ex nihilo tamquam ex termino, ideſt cum antea nihil entis foret, aliquod ens creet.

§. 18. Inſtantia.

Inter nihil & ens datur ea diſtantia, quæ neque ab Ente infinito tranſiri poteſt. Ergo &c. Prob. ant. Datur hæc diſtantia, ſi cum nihil eſt entis, nec ipſius poſſibilitas reperitur; quia quod ens ante exſiſtentiam non eſt poſſibile, nec poteſt exſiſtere: atqui cum nihil eſt entis, nec ipſius poſſibilitas reperiretur. Ergo &c. Prob. min. Hæc poſſibilitas deberet eſſe in ente a ſe, quia nulla poſſibili-

li-

Digitized by Google

litas per ſe poteſt exſiſtere §. 195. Ont. atqui poſſibilitas entis creandi in ente a ſe non reperitur. Ergo &c. Prob. min. Poſſibilitas entis unius ſpeciei non reperitur in ente ſpeciei prorſus diverſæ ab ente a ſe. Ergo &c.

§. 19. Reſponſio

Diſt. maj. Poſſibilitas entis unius ſpeciei non reperitur in ente ſpeciei diverſæ, ſi diverſitas ſpeciei pendeat ab aliquo ente, quod ſit in primo, non vero in ſecundo co. ſi pendeat ab aliqua negatione entis, quæ ſit in primo, non vero in ſecundo ne. Et diſt. min. atqui ens creandum eſt ſpeciei prorſus diverſæ ab Ente a ſe, ita tamen ut diverſitas pendeat ab eo, quod negatio quædam entis ſit in primo ente, non vero in ſecundo co. ita ut pendeat ab eo, quod aliquod ens ſit in primo, non autem in ſecundo ne. Concedo equidem Ens a ſe, ſive Deum non poſſe creare Ens, cujus ſimile in ipſo non reperiatur ſecundum ea, quæ §. 176. & ſeq. Ont. diſputavi, eoquod hujus Entis diverſi poſſibilitas in ente a ſe non reperiretur. At nego Deum non poſſe dare exſiſtentiam Enti, quod ſit diverſum ab Ente a ſe, non ratione alicujus entis, ſed ratione tantum negationis entis: eoquod ex altera parte negationes non proxime creantur, ſed ſolum remote, quatenus Deus creando aliquod determinatum ens, cujus ſimile in ipſo reperitur, non continuo creat alia, atque idcirco in Ente creato eſt negatio omnium aliorum entium, quæ in ipſo creando creata non ſunt; & ex altera hujus entis poſſibilitas continetur in Ente a ſe, quod complectitur id omne, quod veri entis eſt in quolibet ente ab ipſo creando. Quamobrem Ens a ſe poteſt aliis entibus ipſi in ratione entis ſimilibus novam exſiſtentiam tribuere.

§. 20. Scholion I.

Refutatas a nobis contra Dei exſiſtentiam rationes ex principiis rationis penitus refelli poſſe negat in ſuo Dictionario Bælius, qui aliam quoque ex ipſius ſententia inſolubilem addit, petitam ex eo, quod Spiritus ſumme liber, ſanctiſſimus ac ſapientiſſimus, non potuit hunc procreare mundum, in quo bona malis mixta ſunt. Verum de hac mihi integrum ſervans, cum adverſus Deiſtas divinam Providentiam ab objectis vindicabo, nunc aliqua adjungam quod pertinet ad eas difficultates, quæ cum hoc loco majorem habent neceſſitudinem. Vel ab Atheis, quibuſcum congredimur, ponitur materia ab æterno exſiſtens a ſe, vel ab alio; ſi primum, aſſentior equidem Bælio materiam eſſe nequire ab æterno neceſſario exſiſtentem, & ſimul diſcrepantem a Deo, eo quia jam docui Ens quod ſit a ſe, eſſe immutabile, extenſionis expers, mente & voluntate præditum, & habere omnes alias proprietates, quæ nedum in corpora cadere nequeunt, verum neque in animas noſtras. §. 200. Ont. Sin autem ſecundum, jam conſtat materiam ab Ente a ſe ex nihilo

creatam fuiſſe; quod etiamſi ab æterno progenita fuiſſe ponatur, quod falſum eſt ut infra oſtendemus, tamen ſatis eſt ad creationis poſſibilitatem a poſteriori demonſtrandam. Quo confecto, quid obeſſe queunt eæ ſubtiles rationes, quæ a Bælio & ab aliis adverſus creationis poſſibilitatem allatæ fuerunt, cum iis ita ſatisfecerimus, ut ſaltem illud compertum fiat nihil certi ex iiſdem confici poſſe? Nam ex legibus in Dialectica conſtitutis plane colligitur, cum aliquid evidenter oſtenditur, rationes in contrarium productas nihil de illius certitudine detrahere, modo probabiles primis accommodentur reſponſiones, quibus obtineatur, ut nihil certi ex iis colligi queat. §. 244. num. 15.& ſeq.Log. Idem vero ſecundùm principia a me conſtituta efficitur hac altera ratione pariter a poſteriori. Nullus eſſe poteſt in corpore novus motus ſine aliqua vi motrice, quæ tamquam aliquod abſolutum §. 42. Ont. a Deo in eodem creetur, eo quod vis ab altero in alterum corpus migrare nequit §. 237. Ont. Experimentis autem compertum fit novos motus novaſque celeritates in corporibus identidem exſiſtere. Ergo vires motrices iiſdem reſpondentes identidem a Deo in corporibus denuo procreantur. Unde creationis poſſibilitas rurſus a poſteriori monſtratur.

2. Ceterum quod attinet ad creationem in tempore, ab aliquibus objicitur nullam eſſe ſufficientem rationem, cur Deus hoc potius inſtanti, quam alio quocumque, vel ante, vel poſt, mundum crearit, eoquod omnia inſtantia ſunt prorſus ſimilia, & eadem eſt in omnibus ratio; cumque nihil eſſe poſſit abſque ſufficienti ratione, cur potius ſit, quam non ſit, inde ab iiſdem colligitur Deum hunc mundum minime procreaſſe. Cum vero nec ab æterno creari potuerit, inde effici poteſt nullo pacto mundum fuiſſe creatum.

3. Non ſum neſcius quid ad hujuſmodi difficultatem multi reſpondeant, aut principium rationis ſufficientis non obtinere cum agitur de cauſſis liberis, qualis eſt Deus, aut ſi obtinet, ipſam liberam eligendi facultatem eſſe rationem, cur Deus aliæque libertate præditæ cauſſæ ex duobus aut pluribus prorſus ſimilibus unum eligant. Verum hac reſpondendi ratione non utor, & ad aliam me verto, quæ mihi veriſimilior videtur. Una ex rationibus, quibus Leibnitiani vacui poſſibilitatem ſe labefactare putant, hæc eſt, quia ſi eſſe poſſet vacuum & idcirco ante mundi creationem exſtaret, nulla foret ratio ſufficiens, cur Deus mundum creans in hac potius parte infiniti inanis, quam in alia quacumque prorſus ſimili collocaret. Quibus ego tom. 1. Phy. Gen. §. 13. reſpondi, cum inane non ſit reipſa extenſum, nec ideo locus, in quo corpora collocari queant, nec plures ſint in eodem diſtinctæ partes in quarum una præ aliis mundus locari poſſit, ſed in ipſa mundi creatione etiam locus extenſus eſſe incipiat, alienum eſt a ratione ſufficientem quærere rationem, cur Deus mundum creet in hac potius parte vacui, quam in aliis, quia ratio ſufficiens eſt ſolum inveſtiganda in iis eventibus, in quibus plura contingere poſſunt, non tamen ſimul §.78. n.5. Log. Jam vero res ſimiliter ſe habet in ea quæſtione, cur Deus mundum crearit hoc potius inſtanti, quam alio quocumque. Cum enim ex altera parte tempus non ſit niſi in corporum motu §. 156. Ont. ad ſummum in rebus creatis & cum iiſdem incipiat exſiſtere, & ex altera inſtantia non ſint, niſi initium aut finis temporis ſive ſucceſſionis, quæ in motu aut in conſervatione mundi creati reperitur; non ſunt hæc plura inſtantia anteriora & poſteriora, interque ſe diſtincta, in quorum aliquo

ſi

ſi mundus creetur, alia omitti debeant, atque idcirco rationem poſtulent ſufficientem, cur illa omittantur, hoc vero eligatur, ſed cum ipſomet mundo ponitur primum inſtans, ſive tempus & ejuſdem initium. Ergo falſum ponunt, qui volunt rationem ſufficientem afferri oportere cur Deus hoc potius inſtanti, quam alio quocumque mundum crearit, quemadmodum & ii, qui idem contendunt in quæſtione, cur Deus in hac potius inanis parte, quam in alia quacumque mundum collocarit. Ex quibus patet nihil eſſe in hac ratione momenti adverſus temporaneam mundi creationem, unde Athei conſequi putant non exſtare unum tantum ens a ſe, quod dicitur Deus, quodque ſit cauſſa omnium aliorum creatrix.

4. Quo loco notandum eſt multa poſſe diſtingui Atheorum genera, ac primo eorum, qui vellent nullam eſſe ſubſtantiam a ſe, ſed omnes alias ab aliis in infinitum prodiiſſe, quin umquam perveniri poſſit ad eam, quæ ſit a ſe; cujus generis neminem legi exſtitiſſe: ſecundo eorum qui crederent omnes ſubſtantias eſſe a ſe, & ex fortuito ipſarum concurſu novas ab æterno res & hunc denique mundum generata fuiſſe, quin aliqua particulari ſubſtantia a ſe infinitæ perfectionis ad hunc mundum formandum atque regendum opus foret; cujus ſectæ quamplurimos tum recenti, tum veteri memoria fuiſſe conſtat: tertio maleſani Spinoſæ ejuſque diſcipulorum, qui volunt quidem unam tantum eſſe eamque infinitam ſubſtantiam a ſe, ſed minime diſtinctam a mundo, quæque ſit idem, ac totus mundus, duobus infinitis attributis, extenſione ac cogitatione donatus. Primos jam plane confutavimus in Logica, cum manifeſte docuimus §.97.& ſeq. cum ratione pugnare ſeriem Entium infinitorum, quorum aliud ab alio ſit, quin ullum ex iis ſit a ſe, idque contra adverſariorum ſolutiones certis perſpicuiſque principiis firmavimus: ut nunc taceam in eorum ſyſtemate poni ſubſtantiam ab alia creari ſubſtantia, eaque non infinitæ perfectionis; quod pugnat cum iis, quæ §. 17. diſſeruimus. Adverſus ſecundos quamplurima regeri poſſunt; vel enim aliquando omnes hæ ſubſtantiæ ab æterno & a ſe exſiſtentes ſine ulla prorſus mutatione fuerunt, vel ſemper aliquæ ſaltem cum aliqua mutatione exſtitere: ſi primum, ex eo tempore, quo nulla in iis mutatio reperiretur, nullæ in poſterum mutationes amplius in iiſdem eſſe potuiſſent, atque idcirco nec hic mundus ex earum concurſu exſtitiſſet. Nam neque aliunde eam mutationem accipere potuiſſent, eoquod in nullis ſubſtantiis mutatio foret, nec ſibi eam tribuere, eoquod nihil ſibi dare poteſt, quod non habet. Sin autem ſecundum, mutationes ab æterno in iis ſubſtantiis fuiſſent, & aliæ ab aliis duxiſſent originem. Hoc vero poſito in illud idem citati Logicæ §. 97. abſurdum incideremus, propterea quod nulla ex iis mutationibus foret a ſe, & nihilominus tota illa infinita mutationum, quarum aliæ ab aliis oriuntur, ſeries foret a ſe, quod cum ratione pugnare ibidem confecimus. At enim hæc mutatio non foret a ſe, ſed oriretur a vi ex. g. motrice corpuſculi, quod eſſet a ſe. Verum hæc mutatio, uti motus per locum, deberet eſſe ab æterno, tum ob allatam ſupra rationem, tum quia ſtatim ac ponitur vis, quæ neceſſario gignit effectum, debet exſtare etiam mutatio; nam vis vel ſtatim & continenter efficit ſuam mutationem, vel numquam, propterea quod non eſt major ratio, cur gignat poſt aliquod determinatum tempus, quam poſt aliud quodcumque. Vis autem motrix & neceſſario gignit effectum, & in ſubſtantiis ab æterno exſiſtentibus ab æterno eſſe de-

Digitized by Google

debuit, eoquod ſi ab æterno non fuiſſet, numquam ſibi illam dare aut aliunde accipere potuiſſent. Ergo mutatio & motus in loco ab æterno fuiſſet. Jam vero motus ab æterno eſſe nequit; nam in quolibet vel minimo motu etiam ſi infinite parvus & per infinite parvum ſpatium ponatur, ſunt partes ante, & partes poſt, quæ profecto cum habeant alias ante ſe, non potuerunt eſſe ab æterno. Dices non fuiſſe ab æterno motum, ſed ſolum motus initium, ſive motum ab æternitate cœpiſſe. Verum ut mittam hæc duo pugnare, *res ab æterno exſiſtens & res quæ incipit eſſe*, cum æternitas quodcumque reſpuat initium, veniat in mentem illius toties uſurpatæ propoſitionis, quod initia rerum eſſe poſſunt, ſed non ſine rebus, quæ eodem tempore exſiſtant neceſſe eſt, eoquod initia ſunt termini & modi rerum, qui ſine rebus eſſe non poſſunt. §. 73. Ont. Nam inde efficiemus initium motus ab æterno eſſe non poſſe, niſi etiam motus ipſe ab æterno ſit. Motus autem ab æterno eſſe nequit, ut modo confecimus. Ergo nec vis, nec corpus illius capax, nec alia quæcumque ſubſtantia mutationi obnoxia ob eaſdem rationes ab æterno eſſe queunt, & multo minus a ſe.

5 Alia etiam evidenti ratione hoc omnium ſubſtantiarum a ſe exſiſtentium ſyſtema refellitur. Subſtantia a ſe debet in ſe continere omne poſſibile ens, & idcirco omnes perfectiones §. 182. Ont. & eſſe una tantum §. 199. Ont. Jam vero corpora & animæ, aliæque ſubſtantiæ mutationibus obnoxiæ non continent in ſe omne ens, omneſque perfectiones, ſuntque plures. Ergo omnes ſubſtantiæ a ſe eſſe nequeunt. Hic fortaſſe exorietur aliquis Atheus, & quod attinet ad primam rationem, inquiet Ens a ſe continere quidem omnia poſſibilia entia, ſive perfectiones, quia aliud nullum eſſe poteſt ens præter illud, quod eſt a ſe, ſed ita, ut non in qualibet ſubſtantia a ſe omnes conjunctæ reperiantur, ſed ſolum in iis omnibus diſtributæ, adeout quælibet ſubſtantia habeat ſolum aliquod determinatum ens, & idcirco finitis limitibus coerceatur. Ad rationem autem a nobis allatam §. 175. Ont. fortaſſe reponet eſſe quidem ſubſtantiam a ſe aliquod abſolutum tum habita ratione generis, tum habita ratione differentiæ, ſed in eo ſenſu, ut neget relationem ad aliud ens, a quo pendeat, non in illo, quem volumus, ut neget etiam relationem ad aliud ens, cujus negationem contineat. Quod ſi quis ajat ſine ulla ratione poni ſubſtantiam a ſe ex pluribus entibus habere ſolum aliquod determinatum ex iis entibus, non aliud quodcumque, alter reſpondere poterit eſſe ita determinatum ex ſuæ neceſſitate naturæ, atque hujuſmodi neceſſitatem eſse talis determinationis ſufficientem rationem.

6. Verum ut his aſsentiamur, neceſse eſt nuntium remittere certiſſimis Philoſophiæ principiis, & præſertim illi celebri ſufficientis rationis, quod ex omnium ſententia Philoſophorum in rebus neceſsariis certiſſime obtinet. §. 78 n.4. Log. Fac enim eſse duas ſubſtantias a ſe, quarum prima complectatur unum ens, unamque perfectionem, non alterum; ſecunda vero contineat alterum ens, non primum. Inde colliges ſubſtantiam a ſe eſse indifferentem, ut conjungi poſſit vel cum primo ente, vel cum ſecundo. Quo poſito primum nulla erit major ratio, cur prima ſubſtantia a ſe exſtiterit cum primo ente copulata, non cum ſecundo; altera vero cum ſecundo, non cum primo, eoquod ſubſtantia a ſe eſt indifferens, ut exſiſtat cum alterutro, nec natura ſubſtantiæ a ſe alterutrum determinate poſtulat. Quænam eſt ergo naturæ neceſſitas.

Digitized by Google

tas, quæ ſit ratio ſufficiens, cur prima ſubſtantia a ſe cum primo ente conjungatur, non cum ſecundo; altera vero cum ſecundo, non cum primo? Dices ſubſtantiæ, quæ in tempore ſit, eſſe quærendam rationem, cur talis ſit, eo quod ab alia tamquam a ratione ipſam antecedente proficiſcitur, non autem ſubſtantiæ, quæ ſit a ſe ab æterno, eo quod cum ab alia nulla originem ducat, nulla eſt vera ratio, quæ illam antevertat. Ad quod ajo verum quidem id eſſe, ſi una tantum ponatur exſtare ſubſtantia a ſe, quæ omne ens omneſque perfectiones in ſe ipſa complectatur; quia cum unum tantum eſt & eſſe poteſt, non debet quæri vera ratio cur ſit, quæ ratio plura deſiderat, quorum aliquod tantum eſſe poſſit, ſed non omnia ſimul copulata; non autem cum vero conſentire, ſi hæc plura ponantur, quemadmodum Athei faciunt, ex quorum ſyſtemate neceſſario ſequitur, ut cum duæ vel potius infinitæ ſint ſubſtantiæ a ſe, quarum prima habet primum Ens, non ſecundum, altera ſecundum, non primum, ſubſtantia a ſe ſit indifferens ad hoc ut vel cum primo vel cum ſecundo jungatur. Quare cum hic plura eſſe poſſint, ſed non omnia ſimul, non ſine ratione quæritur ratio ſufficiens, cur unum ponatur, non alia, ſive cur prima ſubſtantia a ſe cum primo ente conjuncta reperiatur, non cum ſecundo; altera veró cum ſecundo, non cum priore. Quæ ſufficiens ratio cum afferri non poſſit, prorſus evincit eſſe alienam a ratione hypotheſim Atheorum, qui plures ponunt ſubſtantias a ſe, quarum aliæ alias perfectiones & entia complectantur.

7. Manet ergo ſubſtantiam a ſe eſſe oportere omnino poſitivam, & continere omne ens, & ita eſſe abſolutam, ut non ſolum relationem ad Ens, a quo ducat originem, verum etiam relationem ad Ens, cujus habeat negationem, repudiet. Id quod hac etiam ratione comprobari poteſt. Quælibet ſubſtantia a ſe complecti debet omnia illa entia quæ poſſunt conjungi & ſimul eſſe, quia non eſt major ratio, cur ex pluribus, quæ ſimul eſſe queunt, unum aut aliqua habeat, non alia. Jam vero omnia vera & pura entia ſimul eſſe queunt; nam ideo quædam entia conjungi nequeunt, quia alterum cum altero pugnat; ideo vero pugnat, quod alterum negationem alterius includit; ideo vero includit, quia primum ens non eſt verum & purum ens, ſed eſt mixtum ex ente & ex negationibus entis. Quamobrem vera & pura entia inter ſe repugnare non poſſunt, ideoque ſimul queunt componi. Ex quo fit, ut quælibet ſubſtantia a ſe omnia vera entia complectatur, atque idcirco ſit omnino poſitiva & nihil negantis includat. Cum vero hæc omni ex parte poſitiva, & omne poſſibile ens complexa ſubſtantia a ſe una tantum eſſe debeat §. *199.* Ont. rurſus conficitur ſubſtantiam a ſe unam tantum exſiſtere poſſe.

8. Nunc venio ad tertios, & ajo præter illa, quæ adverſus eoſdem in ſuperioribus ſunt diſputata, homines premi iiſdem rationibus, quibus ſecundi, cum motum & ſucceſſionem rerum ab æterno repugnare docuimus, eo quod hæc infinite extenſa ſubſtantia a ſe, quæ mundus ab iis dicitur, cum neceſſario operetur, numquam motum in aliqua ſui parte accepiſſet, ſi eum & vim ad ipſum generandum idoneam ab æterno non habuiſſet. Unde rurſus concluditur hanc quoque Spinoſiſtarum ſententiam prorſus eſſe repudiandam, & unum reſtare conſentaneum rationi ſyſtema ſubſtantiæ a ſe, quæ ſit una tantum, quæ omne verum ens in ſe neceſſario contineat, & idcirco ſit infinita, quæ tandem ſit immutabilis, & idcirco ab animabus atque corporibus, quæ mu-

ta-

tabilia ſunt, & omne ens in ſe non cohibent, ſit prorſus diſtincta.

9. Quoniam vero tam inſanum Spinoſæ ſyſtema multi hodiernum amplexati ſunt, operæ pretium arbitror in eo explicando ac refutando diutius verſari. Quamquam veteri memoria non pauci fuerint, qui Deum eumdem, ac mundum, eſſe voluerunt, & ob hanc cauſſam Pantheiſtæ appellati ſunt, ut videre licet apud Ciceronem *l. 1. de Nat. Deorum num.* 10. *& ſeq.*, tamen Benedictus Spinoſa Judæus, Amſtelodami natus 24. Nov. anni 1632. & Hagæ Comitum mortuus 21. Febr. anno 1677., hanc opinionem in ſyſtema redigere, & via ac ratione, ut mos eſt apud Geometras, oſtendere conatus eſt. Illud primum Spinoſa informavit in Tractatu *Theologo-Politico de libertate Philoſophandi*, qui auctore vivente lucem vidit; deinceps in Æthica, quæ poſt ejus mortem typis impreſſa eſt, ſuis omnibus numeris abſolvit. Itaque ſumma Spinoſiani ſyſtematis in eo poſita eſt, quod diximus §. 12. ut una tantum ſit ſubſtantia a ſe & ab æterno atque infinita, quæ duobus attributis, extenſione & cogitatione, donata ſit; inde vero ſequitur animas & corpora non eſſe ſubſtantias ab hac ſubſtantia a ſe diverſas atque ab ea creatas, ſed ſolum eſſe ejuſdem unius ſubſtantiæ varios modos, variaſque determinationes, atque ut advertit Cl. Lucchius in Patavino Lycæo Publicus olim Metaphyficæ, nunc S. Theologiæ Profeſſor in *Spinoſiſmi Syntagmate* Patavii edito anno 1738. pag. 35. ex ſententia Spinoſæ in Schol. Prop. 15. Æthicæ diviſionem & diſtinctionem materiæ fœtum eſſe imaginationis, eam ſemper & ubique eamdem eſſe nec ullam pati diviſionem partium, nec ullam ſuſcipere diſtinctionem, ſed abſque ſummæ ſuæ ſimplicitatis diſpendio varias atque diverſas induere formas, in quibus multiplex apparet, quas offendens imaginatio, quæ in rerum ſuperficiebus hæret, facit ut in materia diverſas opinemur partes, quæ in illa reapſe nullæ ſunt. Argumenta, quibus hæc ſe perſuadere credit, refert Joannes Franciſcus Buddæus, pag. 237. libri inſcripti: *Traité de l'Atheiſme, & de la Superſtition* Amſtelodami editi anno 1740. Sunt autem hæc. Primum definit ſubſtantiam *ens quod ipſum per ſe intelligi poteſt, ſive cujus notio a notione alterius non pendet*. Ex quo elicit duas aut plures ſubſtantias nihil habere communis, adeout ſi ſunt diſtinctæ, ſint etiam prorſus diverſæ in omnibus attributis; quia ſi aliquod haberent commune, notio alius ab alia penderet. Inde vero colligit alteram ex hiſce ſubſtantiis eſſe non poſſe creatricem, alteram aut alias creatas, eoquod cauſſa aliquid cum effectu commune debet habere, itaut alterum per alterum percipi debeat, cum ut diximus §. 176. Ont. nemo det quod non habet. Id quod hac etiam ratione concludi poteſt. Subſtantia, quæ ab alia creetur, & ideo etiam perpetuo conſervetur, ut in Ontologia §. 201. docuimus, foret ſimul ſubſtantia & non foret; foret ut ponimus; non foret, quia ſine ſubſtantia creante & neceſſario conſervante ut perſtet, percipi nequiret, quod eſt contra poſitam ſubſtantiæ definitionem. Quod ſi nulla ſubſtantia creari poteſt, manet omnem ſubſtantiam eſſe a ſe. Cumque ex altera parte ſi forent plures ſubſtantiæ a ſe, in aliquo attributo, ſcilicet in exſiſtentia a ſe convenirent, & ex altera duæ aut plures ſubſtantiæ nihil commune poſſint habere; tandem conſequitur unam tantum eſſe ſubſtantiam, atque idcirco a toto mundo nequaquam diſtingui. Confirmatur ex eo, quod natura ſubſtantiæ eſt exſiſtere atque idcirco eſſe æternam & a ſe.

10. Tam impium ſyſtema inter alios ſecuti ſunt Cuffelerus, atque Tollandus,

Digitized by Google

dus, quorum primus apud Buddæum citato libro pag. 84. hæc habet in Opere inſcripto: *Specimen Artis ratiocinandi naturalis &c.* edito Hamburgi an. 1684. *Quibus præmiſſis ſequitur mundum in ſtatu, in quo jam eſt, dependere a Deo, hoc eſt quod contineatur in eſſentia Divina, æque fere ac æqualitas inter quadratum ex AC & rectangulum ex BC & CD continetur in eſſentia circuli BAD; & quemadmodum illa æqualitas ſemper in circulo contenta fuit & erit, licet memoratæ lineæ numquam ductæ fuiſſent, eodem fere modo eſſentia mundi ab omni æternitate in eſſentia Dei fuit contenta & ex ea emanavit, atque in æternum in ea continebitur: illa autem nullo modo eſt ex nihilo juxta innatam in nobis veritatem, qua nobis a Deo ipſo dictatur, quod ex nihilo nihil fit.* Alter vero apud eumdem pag. 192. in diſputatione *de Originibus Judaicis* Spinoſiſmum ſub nomine Pantheiſmi palam defendit, nec veretur quibuſdam Strabonis verbis innixus ipſum Moyſem facere Pantheiſtam.

11. Quibus expoſitis aggredior ad eorum refutationem, & primum adverto me nullo pacto poſſe aſſentiri Bælio, qui hoc impugnaturus ſyſtema in verbo Spinoſa cum communi Philoſophorum ſententia tamquam certum & exploratum ponit materiam, ſive ſubſtantiam extenſam ſine partibus reapſe diſtinctis eſſe non poſſe, atque ideo nec cogitari. Si fundamentum hujuſce refutationis in hoc poneretur cum citato Scriptore & cum aliis, qui ipſum ſequuntur, non immerito apud eumdem Spinoſiſtæ negarent ſui Præceptoris ſyſtema manifeſtæ falſitatis ab aliquo fuiſſe convictum. Nam ex iis quæ in Ontologia §. 78. & ſeq. & §. 157. diſſerimus, conſtat partes reipſa diſtinctas in una ſubſtantia extenſa minime exſtare, nec ab ipſomet Deo in plures partes eamdem ſubſtantiam poſſe ſecari. Quamobrem nos alio vertamus oportet, ſi contra Spinoſam aliquid proficere cupimus. Nec hac noſtra ſententia aliquod Spinoſæ diſcipulis ſuppeditamus telum, quo ſe tueantur. Nam & aliæ ſunt præſto certæ & evidentes rationes, quibus homines confodias, & ex eadem ſententia firmiſſimæ eruuntur ad eorum ſyſtema penitus evertendum. Primo enim labefactatur ob illud unum, quod ut invictis prorſus rationibus in Pſychol. §. 111. docui, eadem ſubſtantia non poteſt eſſe extenſa ſimul & cogitans. Secundo ſi foret una tantum extenſa ſubſtantia a ſe atque ab æterno, eadem eſſet ita abſolute & in omni genere, non in aliquo tantum infinita, ut major ſubſtantia extenſa nec eſſe, nec cogitari poſſet. Cujus licet a Spinoſa conceſſi rationem prorſus evidentem duco ex iis quæ de infinitate entis a ſe in anteceſſum diſputavi, poſitam in principio ſufficientis rationis, cur ſubſtantia a ſe hanc potius extenſionem, quam alium majorem haberet. Jam vero paulo poſt oſtendemus ſubſtantiam extenſam abſolute & in omni genere infinitam eſſe nequire. Tum etſi ſubſtantiam extenſam abſolute infinitam eſſe poſſe daremus, tamen non foret hæc una in mundo ſubſtantia. Nam ex hac hypotheſi ſequeretur id quod ex ſuo ſyſtemate Spinoſa collegit, corpora & animas non eſſe niſi varios modos & determinationes ejuſdem ſubſtantiæ, illa ſcilicet eſſe diverſos ipſius motus, has eſſe diverſas ejuſdem cogitationes. Jam vero in una ſubſtantia extenſa, cujus partes reipſa diſtinctæ non ſunt, alii in alias eaſque contrarias plagas motus eſſe non poſſunt, quia ut docui in Ontologia §. 228. inteſtinus & perturbatus motus, quo ſitus partium variatur, poſtulat partes reipſa diſtinctas ſuiſque terminis ſingulas undequaque circumſcriptas, qui ſingularum partium termini profecto non ſunt in uno extenſo prorſus continuo, quod ter-

terminos habet in libramento communes, non illos proprios, quibus alia ipſius pars ab aliis ſecernatur §. 78. Ont. Nec eoſdem Spinoſiſtæ admittere poſſunt, ſi ſecum conſtare velint, eoquod multæ partes ſuis undique propriis terminis circumſcriptæ debent eſſe plures diſtinctæ ſubſtantiæ. In hac autem rerum univerſitate multos eſſe obſervamus hujuſmodi in diverſas atque contrarias plagas motus, quibus fit ut multimodis varietur partium mundi ſitus ac diſpoſitio. Ergo corpora, in quibus iidem perficiuntur, non ſunt puræ unius extenſæ ſubſtantiæ determinationes, ſed veræ partes diſcretæ, totidemque diſtinctæ ſubſtantiæ.

12. Nec ajat apud citatum Belium ad num. 2. adnot. litt. N. Spinoſa, ut duæ materiæ portiones ſint duæ ſubſtantiæ diſtinctæ, opus eſſe eaſdem intercepto vacuo diſcerni, quod nequaquam uſuvenit. Nam ut mittam argumenta, quibus ſanior Philoſophorum pars vacui neceſſitatem demonſtrat, do inane inter corpora nequaquam exſiſtere, & ajo ex hoc uno, quod hujus mundi diverſæ partes variis & in omnes partes etiam contrarias motibus cientur, colligi eaſdem ſuis undique terminis propriis circumſcribi atque idcirco eſſe totidem diſtinctas ſubſtantias. Nec aliam video rationem, qua Spinoſa tantam plagam repellat, niſi cum aliquibus Philoſophis, quos in Ont. §. 236. luculenter refutavimus, confugiat ad ſubſtantiam continuate quidem ſine partibus diſtinctis extenſam, ſed prorſus mollem, & flexilem, omnibuſque figuris ſuſcipiendis idoneam, quam eſſe impoſſibilem ita perſpicue citato loco monſtravi, ut nullum in eadem effugium Spinoſiſtas arbitror poſſe invenire.

13. Sed videamus quænam abſurda ſequantur ex eo, quod una tantum ſit ſubſtantia quæ cogitet. Duo ex intimo ſenſu tamquam certa colliguntur, alterum meam mentem eodem tempore pluribus affici cognitionibus, quia non poſſet relationes, uti ſimilitudines, & convenientiam atque diſcrepantiam cognoſcere, ut revera noſcit, niſi ſaltem duo ſimul perciperet: nam quod aliqui ajunt reſiduam eſſe memoriam primi, dum mens idea ſecundi afficitur, id valde obtuſum eſt & eodem revolvitur, quia memoria non eſt niſi præſens rei alias perceptæ cognitio §.46. n.2.Pſych. alterum autem non poſſe, quantumcumque conetur, meam mentem eidem prorſus propoſitioni plene aſſentiri & plene diſſentiri §. 219. Log. eamdem prorſus rem amare & odio habere. Ex primo ſequitur in Spinoſiano ſyſtemate non unam tantum, ſed duas eodem tempore in anima eſſe divinæ ſubſtantiæ determinationes cognitioneſque. Quidni ergo duæ quoque conſequantur aſsenſiones appetitioneſque prorſus contrariæ? Nam fieri poteſt ut anima mea ſimul cognoſcat & rationes, quibus alicui propoſitioni aſsentiri debeat & aliquod objectum amare, & rationes, quibus eidem diſsentiri, & idem odio habere. Aliis Philoſophis, qui cujuslibet hominis animam eſse volunt unam tantum ſubſtantiam diſtinctam ab animis aliorum hominum, integrum eſt reſpondere, nullam eſse contradictionem in pluribus percipiendis, eſse vero in aſsenſu & diſſenſu, in amore & odio erga idem prorſus objectum. At Spinoſiani id non poſsunt, quia cum experientia conſtet in pluribus hominibus hos erga eamdem rem aſsenſus atque diſsenſus, amores & odia reperiri, concedere debent in eadem & una Dei ſubſtantia has adeo contrarias determinationes exſtare poſse. Quod ſi in quolibet homine eſse poſsunt diverſæ ejuſdem ſubſtantiæ determinationes, quod attinet ad cognitionem tum rationum, ob quas aliquod objectum eſt appetendum, tum

ra-

Digitized by Google

rationum, propter quas eſt reſpuendum, quid ni eſse poſsunt & obſervantur etiam quod attinet ad aſsenſus & diſsenſus, ad amores & odia erga idem prorſus objectum? Cum vero intimus ſenſus & experientia doceant in eodem homine id nequaquam fieri poſse, bene vero in diverſis, planum fit cujuſlibet hominis mentem eſse ſubſtantiam diverſam ab iis, quæ in aliis hominibus cogitant, aſsentiuntur, & appetunt.

14. Ceterum hæ variæ, multiplices, aliæ aliis ſuccedentes, infinitæ ſubſtantiæ extenſæ determinationes, ſive quod attinet ad diverſos motus, ſive quod ad varias ideas appetitioneſque, in eaſdem incurrunt difficultates, ac mundum cum ſuis mutationibus incurrere ſupra vidimus num. 1. & ſeq. quia vel ab æterno fuerunt hujuſmodi mutationes, vel aliquando eſſe cœperunt, adeout per totam æternitatem fuerit quidem ſubſtantia extenſa, ſed ſine ulla prorſus mutatione ſucceſſioneque determinationum; quorum utrumque cum evidenti ratione pugnare confecimus. Ex quo fit ut Spinoſæ adſtipulatores & ſuis premantur difficultatibus & iis etiam, quibus ceteri impiorum dogmatum defenſores. Nec ad ſui Dei immutabilitatem cum harum determinationum variatione conciliandam ajant omnes, quæ nunc ſunt, determinationes ſemper & ab æterno fuiſſe, & aliud nihil factum fuiſſe, niſi ut ab alia ad aliam potentialem infinite extenſæ ſubſtantiæ partem migrarent, itaque uſuvenire ut Spinoſæ Deus, quod pertinet ad ſuam totam ſubſtantiam, prorſus idem perſeveret. Nam præterquamquod puræ determinationes interiorem extenſam ſubſtantiam peragrare non poſſunt, & ideo ab aliis ad alias ejuſdem partes migrare, quia ut vidimus §. 237. n. 2. Ont. non amplius forent determinationes, ſed ſubſtantiæ; denuo peto an ab æterno in iiſdem prorſus potentialibus partibus perſtiterint, an vero ab æterno ab aliis ad alias tranſmiſerint. Quodcumque dicatur, nullum Spinoſiani exitum habebunt. Nam ſi primum ajant, nulla foret ratio ſufficiens, cur in tempore loca commutare cœperint; eoquod eſt quidem ratio ſufficiens in noſtra ſententia, qui volumus Deum libere ſe determinare ad mundum cum ſuis omnibus mutationibus creandum; non autem in eorum, qui hanc ſubſtantiam extenſam neceſſario operari contendunt. Quod enim neceſſario operatur, aut ſtatim ac eſt, operatur, aut numquam. Hæc autem extenſa ſubſtantia ab æterno fuit; quemadmodum & ipſius determinationes. Ergo aut ab æterno mutarunt locum vel ſua, vel ſubſtantiæ, in qua ſunt, virtute, aut numquam mutare potuerunt. Sin autem ſecundum, incidemus in eadem abſurda, quæ in anteceſſum conſequi oſtendimus num. 1. & ſeq. Quod ſi novas etiam determinationes, quæ antea non fuerint, exſtare concedant, quantumcumque apud Bælium in annotatione ad litteras CC conentur divinam defendere immutabilitatem, eoquod hæ mutationes non ſubſtantiam ipſam afficiunt, ſed ejuſdem determinationes, quod quam inepte dicatur, idem Bælius declarat; tamen urgebuntur iis rationibus, quibus in ſuperioribus docuimus n. 5. & ſeq. Enti a ſe, utpote complectenti omne poſſibile ens, nihil novi, quod ante non erat, accedere; nihil ejus, quod prius inerat, decedere poſſe. Ex quibus omnibus fit manifeſtum hanc Spinoſæ hypotheſim eſſe omnium, quas oſcitans Philoſophus comminiſci poteſt, maxime abſurdam.

15. Præſertim ſi animum advertamus ad levitatem rationum, quæ a communi aliorum hominum ſenſu Spinoſam dejecerunt. Nam primo expendamus, ſi placet, illam enuntiationem, quod duæ aut plures ſubſtantiæ ejuſdem attribu-

ti eſſe non poſſunt. Si auctor contenderet duas aut plures eſſe non poſſe prorſus ſimiles ſubſtantias, non valde pugnarem; quamquam id etiam refutabo, cum Leibnitianorum de hac re ſententiam examinabo §. *96*. At cum duarum aut plurium ex parte ſimilium, & ex parte diſſimilium ſubſtantiarum poſſibilitatem negaverit, nulla ratione ferre poſſum. Quid enim repugnantis eſt in eo ut eſſe poſſint duo aut plura corpuſcula extenſa quidem, ſed ut explicavimus §. 235. Ont. cum diverſis ſubſtantialibus determinationibus, ſcilicet ut alia alius figuræ, denſitatis & magnitudinis reperiantur? Quæ corpuſcula ſi concrete, ut ajunt, accipiantur, omnia differant; ſi abſtracte, in genere extenſionis conveniunt. Quamobrem cum apud citatum Buddæum pag. 238. ait Spinoſa duas ſubſtantias differre non poſſe niſi aut propter diverſitatem ſubſtantiæ, aut propter diverſitatem attributorum, neceſſe non video ad tertium diſtinctionis caput petitum ex unis individualibus differentiis cum Buddæo confugere, eo quod ad Spinoſam refellendum ſatis eſt tenere commemoratas corpuſculorum ſubſtantiales differentias, nec juvat deſperatam ipſius cauſſam cum Leibnitiana confundere. Cum vero ait duas ſubſtantias quæ diverſis attributis utuntur, nihil habere commune, ſatis ſuperque refellitur ea diſtinctione ſenſus abſtracti & concreti, & illa generum doctrina in Logicis explicata §. *129*. quod genus antequam conjunctum intelligatur cum differentiis, poteſt aut cum hac aut cum illa indifferenter copulari; poſtquam vero conjunctum eſt cum aliqua ex iis, neutrum amplius disjungi poteſt, quin tota ſubſtantia intereat; illuſtrata exemplo corpuſculorum, in quibus extenſio abſtracte conſiderata poteſt eſſe hujus, vel illius denſitatis, atque his vel illis magnitudine atque figura definita; at poſteaquam cum aliqua ex his determinate conjuncta eſt, ut debet conjungi quo exſtet, ſine corruptione totius ſubſtantiæ corpuſculi hæc amplius ſeparari non poſſunt. Quid autem cauſſam Spinoſæ juvat ratio illa, quod ſi duæ ſubſtantiæ aliquid haberent communis, altera per alteram intelligi poſſet; id quod eſt contra definitionem ſubſtantiæ, cujus, ut per ſe exſiſtentis, idea ab idea alterius pendere non poteſt? Siquidem aliud eſt ideam unius ſubſtantiæ neceſſario pendere ab idea alterius, aliud eſt eam poſſe ſine ulla neceſſitate pendere. Illud ſuaderet eam ſubſtantiam, cujus idea ſine alterius idea non poteſt haberi, non eſſe per ſe, id quod paulo poſt accuratius declarabimus; hoc autem nequaquam: ſiquidem in vera originis idearum ſententia idea, quam anima ſuimetipſius habet, pendet ab idea corporis, quatenus idea corporis prius in anima excitatur, & deinde ad eam anima reflectens ſui quoque metipſius ideam acquirit §. 121. Log. tametſi anima ſit ſubſtantia a corpore ſecreta, propterea quod id accidit ſine abſoluta neceſſitate, quia poſſet mens ſui notione prius informari, quam ullam corporum habeat. Jam vero ſi duæ ſubſtantiæ aliquid habent commune, uti duo corpuſcula, quæ in extenſione conveniunt, poſſum ex cognitione unius ex. g. corpuſculi venire in cognitionem alterius, non quidem perfectam atque concretam, ſed ſolum imperfectam & abſtractam, eo quod aliæ in alio corpuſculo ſunt denſitates, magnitudines atque figuræ, & idea generis, quod eſt in utroque, non repræſentat omnes ſubſtantiales differentias, quæ aliæ in alio corpuſculo ſunt, quæque ad perfectam ſubſtantiæ utriuſque cognitionem acquirendam ſunt neceſſariæ. Verum neceſſe non eſt ut primi cognitionem hauriam ex ſecundo, aut ſecundi ex primo, quia tam primi cognitionem ſine ſecundo, quam ſecundi ſine primo poſ-

Digitized by Google

poſſum mihimetipſi comparare. Ergo ex hoc, quod ex cognitione unius poſſum in cognitionem alterius venire, non ſequitur quod Spinoſa contendit, neutrum ex iis eſſe per ſe.

16. At enim is poteſt urgere corporum & animarum cognitionem haberi non poſſe ſine cognitione Dei etiam in Chriſtianorum ſententia, propterea quod illa intelligi nequeunt ſine continuato profluxu a Deo, qui eadem non ſolum ab initio creare, ſed etiam conſervare, ideſt continuate creare debet. Ergo per ſe eſſe non poſſunt. Ex quo fit, ut potius dici debeant modi & determinationes divinæ ſubſtantiæ, quam ſubſtantiæ.

17. Ad hæc primum adverto perfectam quidem animarum & corporum cognitionem ſine cognitione entis a ſe obtineri non poſſe, eoquod animæ & corpora cum a ſe eſſe nequeant, ſed debeant ab ente a ſe creari, ſine continuata Dei creantis & conſervantis actione perſtare non poſſunt, & idcirco hic perennis a divina ſubſtantia effluxus tamquam ſubſtantialis differentia in eorum eſſentiam ingreditur: at neminem poſſe inficiari contendo aliquam a nobis imperfectam eorum cognitionem acquiri ſine ulla cognitione entis a ſe, atque idcirco ſine ulla cognitione profluxus ab ejuſdem ſubſtantia. Siquidem ante anima informatur ideis corporum per ſenſus illapſis, atque idea ſuimetipſius ex ideis corporum per reflexionem comparata, quam adminiculo utriuſque, entis a ſe notionem eliciat. Id autem ſatis eſt ad oſtendendum animas & corpora non eſſe puras interiores divinæ ſubſtantiæ determinationes, eoquod harum nulla nec imperfecta cognitio poſſet haberi ſine cognitione ſubſtantiæ, quam ut internæ determinationes afficiunt. Et revera nec motum poſſumus intelligere ſine corporibus, quia relativa ſine abſolutis quæ referantur, percipi nequeunt, & purus motus eſt pura inter corpora relatio, quod attinet ad ſucceſſivum contactum §. 97. & ſeq. Ont. nec vim motricem, tametſi ſit accidens abſolutum, eoquod ſine relatione ad motum vis motrix percipi nequit. Quod idem cadit in appetitiones animæ vireſque appetendi. Ergo ſi animæ & corpora non forent niſi puræ ſubſtantiæ a ſe determinationes, ſine illius cognitione nec imperfectam ipſorum notitiam comparare poſſemus. Quod cum aliter ſe habeat, ut docuimus, perſpicuum facit animas & corpora non eſſe puras interiores ſubſtantiæ a ſe determinationes. Atque hanc arbitror eſſe aliam rationem, qua Spinoſianum ſyſtema labefactatur.

18. Deinde ajo ex hoc, quod perfecta & abſoluta corporum & animarum cognitio ſine cognitione entis a ſe acquiri non poſſit, ſequitur quidem corpora & animas non eſſe ſubſtantias perfectas qualis eſt Deus, ut non ſolum non indigeant ente, in quo inſint tamquam internæ ipſius determinationes, verum nec illo, a quo ducant originem & continuo conſerventur §. 13. non autem efficitur eadem nec inter ſubſtantias imperfectas eſſe numeranda, quæ indigent ente a quo creentur & conſerventur, non vero in quo tamquam in ſubjecto ipſa tamquam interiores mutabiles determinationes exſiſtant. In hoc enim hujus cardo quæſtionis poſitus eſt; nam etiam nos concedimus corpora & animas non eſſe ſubſtantias prorſus abſolutas, & damus ab ente a ſe neceſſario & continuate pendere, ſed imus inficias eadem in ente a ſe tamquam internas ipſius determinationes, uti vis motrix aut motus in corpore exſiſtunt, reperiri; idque ob illas evidentes rationes, quas in anteceſſum attulimus, quas certe Spinoſiani nec ſuis reſponſionibus labefactant, nec aliis alicujus momen-

Digitized by Google

ti contrariis rationibus infirmant. Nam quod aliqui ex ipſis objiciunt corpora & animas eſſe in Deo, qui omnia pervadit & ubique eſt, atque idcirco Deum ab hoc mundo nequaquam diſtingui, ut quidam putat apud Cl. Genuenſem part. 3. Elem. Met. num. 11. Appen. ad Caput I., id nihil habet momenti, cum ex poſſibilitate contactus inter corpora poſſibilitatem elicuerim mutuæ duorum in interiori ſubſtantia penetrationis §. *91*. n.4. Ont. ſine ulla utriuſque ſubſtantiæ confuſione, & quin accidens unius ſubſtantiæ ad alteram ullo modo pertineat. Etenim docui §. 237. n.4. Ont. ſine expultrice vi, quæ eſt accidens corporum, corpus vi motrice præditum pervadere interiorem alterius in quod incurrit, ſubſtantiam, & ab altera ad alteram partem tranſmittere, quin alterum corpus loco pellat, & cum eo partem aliquam ſuæ vis motricis communicet. Hic autem duo juvat advertere, primum eſt Genuenſem ad hanc difficultatem optime reſpondere Deum poſſe omnia corpora penetrare & pervadere, quin cum iiſdem confundatur; verum hæc nequaquam cohærere cum iis quæ in prima parte diſſeruerat, ſubſtantias, quæ ſe invicem penetrant, eſſe unam tantummodo ſtatuens: alterum eſt & ex hoc loco, & ex aliis pluribus in anteceſſum tractatis apparere, quam omnia in meo ſyſtemate ſint inter ſe apta atque connexa, & in iis præſertim, quæ in Ontologia ſtatui, quantum momenti ſit ad præcipua Philoſophiæ capita conſtituenda, & ab Adverſariorum objectis enucleate vindicanda.

19. Verum hæc obiter, redeo ad Spinoſam & ajo ex iis, quæ in Ont. diſſerui §. 177. jam conſtare quid corpora & animæ habeant cum Deo commune, ſcilicet id quod veri entis eſt in iiſdem; quid proprium, ſcilicet negationes, & quomodo Deus infinita virtute præditus poſſit ex nihilo non tamquam ex ſubjecto, ſed tamquam ex termino, aliquas ſubſtantias creare, ut nihil inde præſidii Spinoſiani petere poſſint ad negandam creationem, quæ alioquin invictis rationibus in anteceſſum monſtrata fuit; quidquid effutierint aut Cuffelerus ſectæ Spinoſianæ defenſor, aut Bælius ipſe, qui quamquam Spinoſam acriter confutat, nimium tamen eidem & omnibus Atheis tribuit, dum ſuis inſiſtens falſis & vitioſis principiis, quod ratio naturalis aliquando clariſſime tamquam vera monſtrat ea, quæ eſſe falſa ex fide divina didicimus, id quod vocat fidei triumphum §. *236*. Log. vetus axioma *ex nihilo nihil fit* creationi rerum palam adverſari contendit.

20. Quod vero exſcripſimus ex Cuffelero quam ſit alienum ab omni ratione, nemo non videt. Nam ea quæ reipſa non ſunt, nec reipſa æqualia eſſe poſſunt. Jam vero ſi ſolus circulus reipſa ſit, ideſt ſolum corpus uti cylindrus, cujus ſuperficies ſit circularis, non continuo ſunt etiam aliæ duæ planæ ſuperficies, quarum altera ſit rectangulum, cujus baſis ſit primum diametri circuli ſegmentum, altitudo ſit ſecundum; altera ſit quadratum, cujus radius ſemiordinatam circuli iis ſegmentis reſpondentem exæquet. Ergo cum ſolus circulus reperitur, illa æqualitas actu & reipſa in eo non eſt, ſed tantum in potentia. Quare ſicut ad hanc æqualitatem ad actum redigendam præter corpus in quo eſt circuli ſuperficies, alia duo ponenda ſunt in quibus quadrata & rectangula ſuperficies habentur; ita ſiquid in Cuffeleri exemplo momenti eſt ad mundum, qui in Deo ſolum potentia reperitur, ad actum redigendum, neceſſe eſt ponere quidpiam, quod a Deo diſtinguatur. Nec dicat ſaltem illas lineas, quamvis deſcriptæ non ſint, ita in circulo reperiri, ut ex nihilo non educantur. Id enim

Digitized by Google

enim ſiquam habet vim in falſa & obſcura quantitatis continuæ notione, quæ apud alios obtinet, nullam habet in illa vera & perſpicua, quam ego explicavi in Ont. par. 2. cap. 2. Si enim ſit unus vere continuus cylindrus, qui corpuſculum primitivum eſſe debet, cujus proinde baſis ſit verus continuus circulus, in ejuſdem area nulla vera linea recta, quæ eſt limes ſuperficiei rectilineæ, aut eſt, aut eſſe poteſt, eoquod ille cylindrus & ipſius baſis nec ab ipſomet Deo in partes diſpeſci poſſunt, adeout reſtet primum ſolus ſemicirculus, & vera linea recta, quæ diametrum æquet, & inde diviſione ſemicirculi ſecundum ordinatam reſidua ſint duo ſegmenta, in quorum altero ſit linea æqualis uni ſegmento diametri & linea æqualis ſemiordinatæ; in altero linea æqualis alteri ſegmento, & pariter linea ſemiordinatæ æqualis. Sed ad hujuſmodi lineas reipſa obtinendas alia ſunt ponenda corpora, in quibus dictæ ſuperficies iis lineis tamquam ſuis limitibus circumſcriptæ reperiantur. Ergo tantum abeſt, ut ex Cuſſeleri exemplo aliquod pro cauſſa Spinoſiana præſidium peti poſſit, ut ex illo potius eadem quammaxime labefactetur.

21. Operæ pretium arbitror huic diſputationi finem imponere iis, quæ Bælio objecerunt quidam Spinoſianæ doctrinæ defenſores, ut idem refert in altera editione Dictionarii in adnotatione ad lit. DD. Volunt enim Bælium non ſatis percepiſſe mentem auctoris, qui animas & corpora eatenus negavit eſſe ſubſtantias, & determinationes ſubſtantiæ a ſe appellarit, quatenus non ſunt omnino per ſe, ſed a Deo pendent tum in creatione, tum in conſervatione, tum in operationibus, & Deo non attribuit niſi intelligibilem quamdam extenſionem illo Theologorum ſenſu, quo dicitur Deum eſſe ubique, & omnia in Deo eſſe, vivere atque moveri.

22. Si talis foret Spinoſæ mens, quod falſum eſſe clariſſime oſtendit Bælius, nulla eidem cauſſa fuiſſet novum condendi ſyſtema, in quo idem ſentiret ac alii, verbis diſſideret. Quamquam in Ontol. §. 51. num. 4. peſpicuam attulimus rationem ex regulis cudendi vocabula erutam, cur ſubſtantiæ nomen in exprimendis animabus atque corporibus ſit retinendum. Cum enim ex altera parte Deus, animæ, & corpora in hoc conveniant inter ſe, & differant a viribus, & mutationibus corporum & animarum, quod illa tria ut exſiſtant, non indigent ſubjecto, in quo tamquam internæ determinationes reperiantur, contraquam in hiſce uſuvenire compertum eſt; & ex altera qualibet idea abſtracta ſuum nomen ad illam ſignificandam accommodatum habere debeat §. 148. Log. rationi conſentaneum fuit, ut duo cuderentur vocabula quorum alterum primis tribus ſignificandis deſtinaretur, alterum vero ſecundis. Quo factum eſt ut prima vocarentur ſubſtantiæ, ſecunda vero accidentia. Cum vero Deum inter & corpora & animas hoc differat, quod animæ & corpora ſubjecto indigent, a quo creentur, conſerventur, ac vires agendi recipiant, Deus autem nequaquam; rationi pariter fuit conveniens, ut alia duo fingerentur vocabula, quibus utrumque ſubſtantiæ genus exprimeretur, hæcque apud nos in Ont. §. 51. fuerunt ſubſtantiæ perfectæ, quæ in Deum, & ſubſtantiæ imperfectæ, quæ in corpora & animas cadit.

23. Intellectualis vero illa divinæ ſubſtantiæ extenſio, a qua valde abeſt Spinoſa, qui extenſionem corporum perſæpe Deo tribuit, aliud eſſe non poteſt, quam poſſibilitas in ſe recipiendi & continendi extenſa, quam in Ont. §. 63. in Deo eſſe docuimus, non quatenus Deus ſit ſubjectum, in quo inſint cor-

Digitized by Google

corpora & animæ tamquam internæ illius determinationes, ſed quatenus a Deo tamquam a cauſſa efficiente creantur, & perpetuo conſervantur, & Deus eſt in omnibus corporibus & animabus creatis, quæque in infinitum creari poſſunt, non per partes diffuſus, ſed totus in quolibet maximo vel minimo loco.

24. Fuit etiam Bælio reſponſum, ut is monet in adnot. CC., tametſi corpora & animæ perpetuo varientur, non tamen inde conſequi variationem in divina ſubſtantia reperiri, ſed totam eſſe penes accidentia. Quæ reſponſio majorem habet vim in noſtra ſententia qui volumus dari accidentia abſoluta, ſcilicet vires, quæ ad corpora & animas jam conſtituta accedunt. Nam Spinoſæ diſcipuli affirmare poſſunt hæc accidentia & has vires eſſe illas quæ in divina ſubſtantia mutantur, dum hæc immutabilis perſeverat. Verum ut omne adverſariis præcludam effugiu n; adverto aliud eſſe ipſam veluti virium ſubſtantiam, aliud eſſe effectum a viribus genitum. Nam vires accidentales ſunt aliquid abſolutum ſubſtantiis accedens, quod eſt ultima ratio cur hæ ſubſtantiæ ſtatum mutent §. 42. Ont. Quare vires ut aliquid abſolutum a ſubſtantiis diſtinguuntur; at mutationes ab iis genitæ ſolum ut aliquod relativum. Unde aliud eſt mutari vires, aliud mutari ſubſtantiam, in qua ſunt. Vires mutantur cum aut augentur, aut minuuntur, aut corrumpuntur. Viribus autem iiſdem permanentibus ſubſtantia ope illarum perpetuo mutatur. Immo tantum abeſt ut mutatio in ſubſtantiis genita a viribus in ipſis viribus reperiatur, non in ſubſtantiis, ut potius vires eædem in ſubſtantiis permaneant neceſſe ſit, quo ſubſtantiæ in eadem ac antea, mutatione perſeverent. Ex qua tam perſpicua doctrina palam fit, ſi corpora & animæ forent abſoluta accidentia & vires, quæ ad divinam ſubſtantiam adhæreſcerent, divinam ſubſtantiam futuram eſſe internis obnoxiam mutationibus. Quod cum ſubſtantiæ a ſe prorſus adverſetur ut mox oſtendam, manet corpora & animas, ſive hunc univerſum eſſe ſubſtantias ab ente a ſe ita diſtinctas, ut non ſint ejuſde n interiora accidentia.

25. Sed miſſo cum ſuis diſcipulis Spinoſa, qui ex impio ſyſtemate alia plura non minus impia colligit, ut Deum neceſſario operari, leges motuum eſſe abſolute neceſſarias, nullumque idcirco dari poſſe verum miraculum, de quibus alias enucleate diſſeram, tranſeamus ad alia, quæ ad hunc exſiſtentiæ Dei pertinent locum. Auctor impii Commentarii inſcripti, *L' Homme Machine*, de quo mentionem fecimus in Pſych. §.123. num. 23. tamquam nullius momenti pag. 49. & ſeq. traducit rationes, quas pro Supremi Numinis exſiſtentia in medium produxerunt Fenelonii, Neuvienthiti, Abadieſii, Derhami, Raiſii aliique quamplurimi, quas vocat moleſtas repetitiones, quibus tantum abeſt ut fundamenta Atheiſmi evertantur, ut potius magis magiſque ſtabiliantur; quibuſque Athei objicere poſſunt alias fortaſſe æqualiter firmas & abſolute contrarias. „Nam ſi Naturæ Scrutatores audiamus (ſunt ejus verba e gallica lingua in latinam tranſlata) hæc nobis obtrudent, quarum adminiculo cauſſarum fortuita variorum corporum commixtione Chymiſtæ primum ſpeculum compoſuerunt, earumdem auxilio natura puram aquam, qua utitur ſimplex Paſtor, effecit; qui motus poteſt mundum conſervare, idem creare potuit; quodlibet corpus eam petiit plagam, quam illi natura deſtinavit; aer circa terram fundi debuit ob eamdem rationem, qua ferrum & alia metalla in ipſius cuduntur viſceribus; ſol eſt opus ita naturale, quemadmodum electricitatis phænomena; neque plus comparatus eſt ad calefaciendum terram ejuſ-

que

Digitized by Google

que incolas, quos interdum deflagrat, quam pluvia ad germinationem granorum, quæ non raro corrumpit; oculus quidem eſt genus feneſtræ per quam anima poteſt rerum imaginem contemplari, qualem hæc corpora exhibent, ſed oſtenſum non eſt hoc organum fuiſſe data opera huic fini deſtinatum, nec data opera in orbita collocatum: tandem fieri poteſt, ut ratio ſtet pro Lucretio, Lamyo Medico, aliiſque Epicureis antiquis & recentioribus affirmantibus oculum non alia de cauſſa videre, quam quia tali ratione conformatus, talique in ſitu collocatus eſt; poſitiſque iiſdem motus legibus, quas Natura ſequitur in generatione & evolutione corporum, fieri non potuiſſe, ut hoc mirabile Organum aliter conſtructum foret & collocatum „. Hactenus auctor, qui ex Dideroto in libro inſcripto, *Penſées Philoſophiques*, quem vocat *ſublime ouvrage qui ne convaincrà pas un Athée*, putat omnes ſcriptorum rationes hoc uno infirmari, quod ſimul ac monſtratum eſt caſu hæc omnia non exſtitiſſe, non continuo ſequitur certis argumentis confici exſtare ſupremum Numen, quia potuit eſſe rerum cauſſa aliquod, quod non ſit nec caſus, nec Deus, ſed Natura, cujus meditatio non poteſt niſi incredulos facere, ut probant exempla eorum, qui eam felicius ſcrutati ſunt.

26. His ut ſatisfaciam, primum adverto rationem, qua homines in Supremi Numinis cognitionem venirent, talem eſſe debuiſſe, ut facilis foret, & omnium etiam imperitorum ingenio accommodata, nec ad eam percipiendam acumine ingenii & ſingulari doctrina opus foret. Nam ſi hujuſmodi non eſſet, auctoris rerum cognitio majorem hominum partem magno ipſorum damno lateret, ut latent Geometricæ veritates. Hæc ratio ducitur ab admirabili hujuſce mundi pulchritudine & ordine, quæ ut in omnium oculos incurrunt, ita omnium animis notionem cujuſdam ſapientiſſimi Conditoris ac Moderatoris ingerunt ſecundum celebrem Pauli Apoſtoli ſententiam: *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*. Dei cognitione per omnes omnium temporum & regionum populos, ut mundi hiſtoria teſtatur, hoc pacto propagata, opus non fuiſſet aliis exquiſitioribus rationibus ad confirmationem veritatis ejuſdem, niſi adverſus communem conſenſum aliqui tum veteri tum recenti memoria exorti fuiſſent, & quo pollebant ingenii acumine, ſubtiles quaſdam rationes ad notionem Numinis ex hominum mentibus evellendam excogitaſſent. Quamobrem ad hanc adeo neceſſariam notionem ab eorum objectis vindicandam neceſſum fuit, ut viri præſtantes ingenio & in philoſophicis meditationibus exculti & contriti alias ſubtiliores, quæque nullo modo infirmari poſſent, comminiſcerentur. Quas aut in Log. §. *96.* & ſeq. aut in Ont. §. *191.* & ſeq. aut hoc loco & in peculiari Commentario infra inſerendo protulimus, tales eſſe non ſine cauſſa putamus, utpote ductas a ſimpliciſſimis & maxime evidentibus Entis & ejuſdem proprietatum principiis. Nec auctor objiciat non minoris momenti & perſpicuitatis eſſe illas, quas Athei produxerunt. Nam adverſus Bælium, qui in eadem ſententia eſt, jam diluimus præcipuas §. *6.* & ſeq. & in conſequentibus alias diluemus, illud oſtendentes ex rationibus quas Athei collegerunt, nihil effici, quod Dei exſiſtentiam perſpicue evertat. Quo jure ac merito exiſtimamus nos noſtro muneri plane ſatisfeciſſe, propterea quod jam in Logica §. 243. num. 15. advertimus veritatem clariſſime demonſtratam nulla ex parte labefactari iis objectis, quæ quamquam non poſſint a nobis clariſſime dilui,

ta-

Digitized by Google

tamen nec ſententiam noſtræ contrariam clare conficere oſtendimus.

27. At enim ſi res ita foret, nulli exſiſterent Athei præter eos inſanos Philoſophos, qui nihil ſe ſcire poſſe arbitrantur. Nam quæ claræ & evidentes rationes pro demonſtranda unius entis a ſe exſiſtentia afferuntur, eædem ab omnibus, qui cognitionibus evidentibus aſſentiuntur, aſſenſum extorquerent. Jam vero plures & veteri & recenti memoria exſtitiſſe Atheos ex hiſtoriæ monumentis exploratius eſt, quam ut opus ſit argumenta proferre in hanc rem. Ergo id argumento eſt aut rationes, quibus Deum exſtare conficitur, non eſſe ita evidentes, quemadmodum Theiſtæ gloriantur, aut paris evidentiæ eſſe alias rationes, quæ in contrariam partem afferuntur.

28. Equidem puto hac in re uſuveniſſe, quod in diſputatione de continuo extenſo deque vacui poſſibilitate uſuvenire animadvertimus in Logica §.243. n.17. & ſeq. & in Ont. §.155. Tametſi hæc duo, *poſſe inter cubiculi parietes reperiri vacuum*, & *extenſum ex inextenſis componi nequire*, clariſſimis notionibus contineantur, tamen multi ne iiſdem aſſentirentur, deterriti ſunt iis graviſſimis difficultatibus, quas ibidem expendimus, propterea quod aut ignorantes, aut non advertentes ad ea, quæ nos attulimus, ab iiſdem ſe extricare non potuerunt. Ceterum cum ex altera parte evidentia ſit certum noſtræ cognitionis principium §. 220. Log. & ex altera ex duabus propoſitionibus contradictoriis altera neceſſario vera ſit, altera falſa §.193. Log. fieri non potuit, ut tam rationes pro affirmante propoſitione, quam rationes pro negante, eadem evidentia mentes Philoſophorum contraria defendentium laceſſerent. Sed alterutri aut non ſatis attenderunt ad ſuas notiones quas ex aliqua parte obſcuras deprehendiſſent, ſi ſingulas enuntiationes, ex quibus quidpiam elicuerunt, diligenter examinaſſent ſecundum ea, quæ in Log. §.243. n.17. monuimus, aut ex claris perſpicuiſque notionibus nimium quam rite conſequeretur, collegerunt. Cujus inſigne exemplum attulimus in Logica §. 243. num. 18. petitum ex iis prorſus evidentibus rationibus quibus continui diviſibilitas uſque in infinitum oſtenditur. Cum enim ex iiſdem id unum ſequatur in extenſo continuo deſignari poſſe partes minores atque minores in infinitum, atque idcirco dari poſſe continuum extenſum aliud alio minus pariter in infinitum, Philoſophi inde elicuerunt quod omnino falſum eſt, & toti de continuo diſputationi denſiſſimas offundit tenebras, quodlibet continuum in infinitas partes reipſa poſſe ſecari, atque hoc pacto ſe in difficultates inextricabiles induerunt. Similiter ex principiis omnino claris atque perſpicuis deducitur exſiſtere ens a ſe & ab æterno, hoc ens a ſe eſſe unam tantum ſubſtantiam ſimplicem atque inſecabilem, eſſe cognitione & libera voluntate donatum, immutabile ſummeque perfectum, animas & corpora omneſque mutabiles ſubſtantias ab æterno & a ſe exſtare non potuiſſe, atque idcirco ab Ente a ſe creata fuiſſe, aliaque cum his apta & connexa admitti oportere ab iis qui in omnibus aliis Philoſophiæ quæſtionibus perſpicuitate ducuntur. Verum illud veterum Philoſophorum principium, *ex nihilo nihil fit*, ab aſſenſu deterret aliquos non advertentes perſpicue quidem conſtare aut ex nihilo tamquam cauſſa materiali nihil fieri poſſe, aut ex nihilo tamquam ex principio, a quo ducatur rei initium, potentia finita & finiti entis nihil effici quire; non vero ſimiliter liquere ex nihilo tamquam ex principio infinita entis infinite perfecti virtute nihil effici poſſe, cum potius rationi conſentaneum ſit Ens infinitum & virtute infinita præditum poſſe

tran-

Digitized by Google

tranſire intervallum relative infinitum, quale reperitur inter nihil & aliquod finitum ens §. 248. Ont. & ex nihilo tamquam principio rem, quæ antea non erat, procreare, cum rationi pariter congruum ſit, corpus ſi velocitate infinita cieretur, tranſire ſpatium pariter infinitum. Quod de hac ratione, quæ apud Atheiſtas præcipua eſt, hic oſtendi, idem partim confeci, partim conficiam de omnibus aliis, & docebo eas potuiſſe nonnullos præcipites agere in Atheiſmum, non quia ipſorum animos evidenter percellerent, quemadmodum contrariæ rationes percellunt eos, qui aciem ingenii in eaſdem intendunt, ſed quia non ſatis ad ipſas adverterunt, & quantum quæque valeret & conficeret, accurate non examinarunt. Ex quibus intelligitur & cur Athei fuerint & etiamnum exſtent, & cur nihilominus rationes pro exſiſtentia Dei ſint omnino evidentes, non autem illæ quæ in contrarium afferuntur.

CAPUT SECUNDUM.

De immutabilitate Dei, & quomodo hæc cum ejuſdem libertate concilietur.

§. 21. Propoſitio

Ex eo quod Deus cohibet in ſe omne ens, & nihil negantis habere poteſt, in Ont. §. 182. jam elicuimus nec poſſe aliquid, quod antea habebat, amittere, nec aliquid, quo prius carere intelligatur, acquirere, atque idcirco eſſe immutabilem. Nunc vero ſeorſim id eſt oſtendendum de ipſius voluntate, tametſi libera ſit, ut infra monſtrabimus. Itaque ajo Deum, quidquid nunc vult, ab æterno id voluiſſe, & in æternum idem eſſe voliturum, adeout numquam contingat, ut nunc velit quod antea nolebat, aut nunc repudiet, quod prius appetebat. Nam voluntas hominum ideo mutatur, & alio tempore alia res appetit, quod eorum anima non omnia bona aut mala cognoſcit; ex quo fit ut cum bonum ſit ratio quæ voluntatem movet ad illud appetendum, malum ſit ratio, quæ ad illud reſpuendum, §. 58. n. 2. Pſych. nunc tamquam bona cognoſcat, quæ ante tamquam mala percipiebat, & idcirco velit, quæ prius averſabatur; & e contrario. At Deus ab æterno omnia perfectiſſime novit, adeout nulla nova cognitio in ipſius mentem cadere poſſit. Ergo quæ tamquam bona voluit, aut tamquam mala repudiavit, ab æterno voluerit aut repudiarit neceſſe eſt, & in æternum ſit voliturus, aut repudiaturus, & nulla umquam ſit ratio ſuperventura, quæ ipſius voluntatem ad alias appetitiones, aut averſationes determinet. Ergo divina voluntas eſt immutabilis.

§. 22. Objectio

Deus in creatione mundi mutatus eſt. Ergo &c. Prob. ant. Ex

non creatore factus eſt creator. Ergo mutatus eſt.

§. 23. Reſponſio

Diſt. Ergo mutatus eſt extrinſecus & relate co. intrinſecus & abſolute ne. Cum enim Deus mundum condidit, res creatæ intrinſecus & abſolute mutatæ ſunt, quia tranſierunt a non eſſe ad eſſe; ipſe vero ſolum extrinſecus & relate, quam relativam & externam mutationem ſine ulla abſoluta & interna poſſe exſiſtere jam docuimus in Ontologia §. 42.

§. 24. Inſtantia

Atqui Deus in creatione intrinſecus & abſolute mutatus eſt. Ergo &c. Prob. min. ſub. Enti non poteſt ſupervenire nova relatio cauſſæ, niſi intrinſecus & abſolute mutetur. Sed in creatione Deo ſupervenit nova relatio cauſſæ. Ergo &c. Prob. maj. Non poteſt mutari effectus, niſi prius mutetur cauſſa. Ergo &c. Prob. ant. Quidquid eſt in effectu, prius eſſe debuit in cauſſa. Ergo &c.

§. 25. Reſponſio

Diſt. non poteſt mutari effectus, niſi prius mutetur cauſſa ſolum virtute communicandi prædita co. virtute creandi prædita ne. Nam ſubſtantia ſolum virtute communicandi prædita non poteſt in altera ſubſtantia mutationem efficere, niſi cum illa communicet quidpiam ſui, ideſt partem ſuæ vis §. 243. Ont. non poteſt autem communicare, niſi amittat; non poteſt amittere, niſi intrinſecus mutetur, eo quod prius eam habebat partem vis, quæ eſt aliquid abſolutum §. 42. Ont. & poſt communicationem amplius non habet. Quem efficiendæ mutationis modum inter ea, quæ fieri non poſſunt, numerari oportere planum fecimus §. 237. 254. Ont. At ſubſtantia virtute creandi donata nihil ſui dare debet, ſed ex nihilo educit aut alteram ſubſtantiam, aut vim mutandi ſtatum, quam in ſubſtantia jam ex nihilo educta pariter creat. Ergo cauſſa virtute creandi prædita, qualis eſt Deus, cum in creandis mundi ſubſtantiis, aut agendi viribus nihil ſui intrinſecus amittat, & nihil novi intrinſecus acquirat, intrinſecus & abſolute mutari non debet.

§. 26. Inſtantia

Atqui etiam cauſſa virtute creandi prædita intrinſecus mutari debet, cum aut ſubſtantias, aut vires e nihilo educit. Ergo &c. Prob. min. ſub. Deus non potuit eſſe idem in momento, quo mundum non creavit, & in momento, quo creavit. Ergo &c. Prob. ant. Si fuiſſet idem, non eſſet ratio ſufficiens cur in primo momento mundum non crearet, in ſecundo crearet; atqui nihil eſt abſque ſuffi-

Digitized by Google

ſufficienti ratione. §. 74. Log. Ergo &c. Prob. maj. Identitas non poteſt eſſe ratio ſufficiens diverſorum; ergo &c.

§. 27. Reſponſio

Diſt. Si Deus in momento quo non creavit, & in momento, quo creavit, fuiſſet idem: tum abſolute, tum relative, non eſſet ratio ſufficiens cur &c. co. ſi fuiſſet idem abſolute, non autem relative ne. Nam Deus libere ab æterno decrevit hunc creare mundum; idem autem abſolute & intrinſecus fuiſſet, ſi aut decreviſſet nullum creare mundum, aut alium ab hoc diſcrepantem. Hunc vero liberum ſuæ voluntatis actum direxit & retulit ad mundum poſt æternitatem creandum, eo quod, ut infra oſtendemus, ab æterno creare non potuit. Jam vero ante mundi creationem ſicuti nullum erat ſpatium & ideo nullum ſpatii initium aut finis, quia vacuum eſt ſola poſſibilitas recipiendi extenſa, non vera extenſio §.57.& ſeq. Ont. ita nullum quoque erat tempus, aut momentum temporis, quod eſt ejuſdem, initium aut finis, quia cum tempus ſit continuata rerum ſucceſſio §. 122. Ont. in Deo non eſt ſed ſolum in rebus creatis. Ergo ſicuti ſi quis ajat nullam fuiſſe rationem ſufficientem, cur Deus crearit mundum potius in hac infiniti vacui parte, quam in alia quacumque, negari poteſt ſuppoſitum, quia vacuum utpote actu minime extenſum, non habet has partes diſtinctas, in quarum altera mundus collocari poſſit, in aliis nequaquam; ita iis qui volunt afferri oportere rationem ſufficientem, cur Deus mundum crearit in hoc inſtanti, quo mundum creavit, non in alio quocumque ante ipſum, ſuppoſitum ſimiliter negari poteſt, quia cum ante mundi creationem nullum ſit tempus, nec eſt aliquod inſtans, aut momentum, quod eſt illius initium & finis.

§. 28. Objectio II.

Si Deus eſt liber in volendo, poteſt mutari; atqui Deus eſt liber; ergo poteſt mutari. Prob. maj. Si Deus eſt liber in volendo, poteſt nunc velle quidpiam, & paulo poſt idem nolle. Ergo &c.

§. 29. Reſponſio

Diſt. Si Deus eſt liber in volendo, poteſt nunc velle quidpiam, & mox idem nolle potentia quæ numquam redigatur ad actum co. quæ aliquando redigatur ad actum ne. Ergo ſi Deus eſt liber in volendo, poteſt mutari abſolute ne. relative ſubd. potentia quæ numquam redigatur ad actum co. quæ aliquando redigatur ad actum ne. Nam Deus ab æterno potuit velle creare hunc mundum, & potuit velle creare alium quempiam ab hoc diverſum,

 aut

Digitized by Google

aut nullum prorſus e nihilo educere. Quodcumque ex his tribus Deus ab æterno decreviſſet, ſubſtantia actus divinæ voluntatis eadem abſolute fuiſſet; fuiſſet ſolum diverſa ejuſdem relatio, quia in primo eventu, qui nunc obtinet, ad hunc mundum referretur, in ſecundo ad alium diverſum, in tertio vero ad nullum. Simul ac vero ab æterno decrevit aliquid extra ſe ipſum facere, poteſt quidem aliter velle & decernere potentia, quæ numquam reducatur ad actum, non autem potentia, quæ aliquando reducatur, eo quod cum ab æterno omnia poſſibilia perfecte cognoverit, & rationes omnes, propter quas ſe ad aliqua ex iis creanda determinavit, nullam novam cognoſcere quit rationem, propter quam ſe ad aliquid aliud volendum determinet.

§. 30. Inſtantia

Si Deus eſt liber in volendo, poteſt aliquid nolle eorum, quæ ante volebat, potentia quæ reducatur ad actum. Ergo &c. Prob. ant. Quia voluntas hominis eſt libera, poteſt modo velle, modo nolle eamdem rem potentia, quæ reducatur ad actum. Ergo &c.

§. 31. Reſponſio

Diſt. Si Deus eſt liber in volendo libertate imperfecta, poteſt aliquod &c. co. ſi eſt liber libertate perfecta ne. Cum enim voluntas non appetat, niſi bonum, quod cognoſcit, & averſetur malum, quod pariter novit: illa mens perfecte libera eſt, quæ omnia bona & mala, uti reipſa ſunt, perfecte cognoſcit; illa vero imperfecte libera eſt, quæ omnia non novit, vel cognoſcit tamquam bonum, quod revera malum eſt, aut tamquam malum, quod bonum. Prima mens, qualis eſt divina, ab æterno omnia vult & averſatur, nec in poſterum aliter appetet aut averſabitur propter rationem modo allatam, & §. 21. num. 2. & ob eamdem altera mens, qualis eſt hominum, in ſuis appetitionibus perpetuo mutatur.

§. 32. Inſtantia

Atqui etiamſi Deus ſit liber libertate perfecta, poteſt in poſterum velle, quæ antea nolebat, & e contrario, & quidem ea potentia, quæ reducatur ad actum. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Si hæc potentia numquam reduceretur ad actum, non eſſet vera potentia. Ergo &c. Prob. ant. Si hæc potentia numquam reduceretur ad actum, ideo id foret, quod eſſet ratio ſufficiens cur numquam ad actum reduceretur; atqui ſi eſſet ratio ſufficiens cur numquam reduceretur ad actum, nec poſſet ad actum reduci. Ergo &c. Prob. min. Illa ratio ſufficiens determinaret Divinam voluntatem

luntatem ad actum contrarium, ex. g. ad mundi conſervationem quam ab æterno decrevit, & idcirco impediret actum non conſervandi mundum; atqui ſi ratio ſufficiens hunc actum impediret, potentia ad illum actum non poſſet ad actum reduci. Ergo &c.

§. 33. Reſponſio

Diſt. min. non poſſet ad actum reduci, ſi impediret actum determinando neceſſario voluntatem ad actum contrarium co. determinando ſolum infallibiliter, non neceſſario ne. Rationes enim quæ Deum ad mundum creandum & conſervandum determinant, tales quidem ſunt, ut illum infallibiliter moveant, non autem ut neceſſario. Ex quorum altero fit, ut aliter contingere poſſit, & ideo Deus ſit liber; ex altero, ut numquam aliter eveniat, aut eventurum ſit, & idcirco Divina voluntas nec relative mutetur.

CAPUT TERTIUM.

De immateriali & ſpiritali natura Dei.

§. 34. Propoſitio

DEus eſt ſubſtantia cognoſcens & volens. Probatur primum ex eo, quod cognitio & voluntas ſunt entia & aliquod poſitivum & ideo perfectiones; atqui Deus utpote ens a ſe, continet omne poſſibile ens, omneſque perfectiones §. 182. Ont. nec poſſunt cognitio & voluntas eſſe in aliqua re, ut revera ſunt, quin prius in Ente a ſe reperiantur §. 177. Ont. nam ut operationes aliquam abſolutam vim poſtulantes §. 42. Ont. non poſſunt ex plurium conjunctione proficiſci, ſed in ſingulis ſubſtantiis inſint oportet §. 122. Pſych. Ergo Deus eſt ſubſtantia cognoſcens & volens.

§. 35. Altera Ratio

Probatur ſecundo ex eo, quod mundus nec eſt a ſe, nec potuit ab Ente a ſe creari ab æterno §. 147. & 158. Ont. Cum igitur mundus exſiſtat, neceſſe eſt ut non ab æterno, ſed in tempore incœperit eſſe. Ergo Deus mundum non neceſſario creavit; ſi enim neceſſario creaſſet, mundus aut ſtatim ac eſt Deus, exſtitiſſet, ideſt ab æterno, aut numquam. Quod ſi non neceſſario mundum e nihilo eduxit; ſe libere ad illum efficiendum determinarit neceſſe eſt. Subſtantia vero non poteſt ſe libere ad aliquid efficiendum determinare, niſi rem, quam debet efficere, noſcat. Ergo ex his colligitur Deum habere cognitionem, & voluntatem etiam libertate donatam.

§. 36.

Digitized by Google

§. 36. Propoſitio

Deus eſt ſubſtantia immaterialis. Prob. Subſtantia materialis eſt idem ac ſubſtantia extenſa, ut pluribus docui in Ont. §. 203. & ſeq. Sed Deus non eſt ſubſtantia extenſa. Ergo &c. Prob. min. Primo ſubſtantia extenſa & cognitione donata ſimul eſſe nequit, ut oſtendi in Pſych. §. 111. & ſeq. Atqui Deus eſt ſubſtantia cognitione donata §. 35. Ergo Deus ſubſtantia non eſt extenſa.

2. Deinde Extenſum cum una ſui parte eſt in una parte loci, non autem in aliis; atqui non eſſe in aliis locis eſt negatio; negationes vero in Deum non cadunt, eoquod is continet omne poſſibile ens §. 175. Ont.; eſſe autem in loco eſt ens. Ergo illa pars foret imperfecta & ideo nequaquam in Deo reperiretur. Igitur extenſio, unde id oritur, in Deo eſſe non poteſt.

§. 37. Inſtantia

Verum hanc rationem ſic infirmare poſſunt Materialiſtæ. Non eſſe in aliis locis eſt negatio relationis ad alia loca; atqui negatio relationis ad alia loca in Deo eſſe poteſt. Ergo etiam extenſio ex qua hæc relatio ſequitur. Prob. min. Ante mundi creationem Deus non referebatur ad alia loca, quia cum vacuum non ſit actu extenſum, ſed ſola corpora hujuſmodi ſint §. 57. & ſeq. Ont., Deus tunc non erat præſens alicui loco, qui actu extenſus eſſe debet. Ergo &c.

§. 38. Reſponſio

Diſt. Ante mundi creationem Deus non habebat proximam potentiam hujus relationis ad alia loca ne. non referebatur actu ſubd. ob defectum ipſius ne. ob defectum locorum quæ non erant co. Ergo negatio relationis ad loca quæ non ſunt, in Deo eſſe poteſt co. ad loca, quæ reipſa ſunt ne. Quamquam Deus ante mundi creationem ad loca reipſa non referretur, proximam tamen habebat potentiam ut ad eadem referretur, eo quod ipſi nihil deerat, ut præſens omni loco foret; deerat tantum locus extenſus, cui præſens eſſet, eo quod nulla etiamtum corpora condita erant, ex quibus ſolis locus extenſus exſiſtere poteſt §. cit. Ont.; ut ſi ignis in vacuo foret, proximam ipſe per ſe calefaciendi potentiam haberet, eo quod nihil eidem ad calefaciendum deeſſet intrinſecus; deforet ſolum corpus aliud, quod calefieri poſſet. Unde hæc negatio non includit negationem alicujus entis in Deo, ſed ſolum corporum extra Deum, & idcirco in eumdem cadere poteſt. At ſi Deus foret extenſus, quædam ipſius pars, quæ eſt præſens ex. g. Europæ illamque contingit & penetrat, non foret præſens, nec eſſet in aliis orbis terraquei locis & partibus, quæ revera exſiſtunt.

Er-

Digitized by Google

Ergo hic non foret defectus externus aliorum locorum, quæ revera ſunt, ſed internus ipſius Dei ejuſque illius partis, quæ eſt in Europa tantum, non in aliis partibus, tametſi reipſa ſint.

§. 39. Inſtantia

Atqui licet Deus ea ſui parte, qua contingit Europam, non ſit proxime in Aſia & in aliis locis, quæ revera exſiſtunt, tamen nulla vera negatio in Deum cadit. Ergo nulla diſt. Prob. min. ſub. Quæ pars proxime contingit Europam, dici poteſt eſſe quoque in Aſia & illam contingere. Ergo &c. Prob. ant. cum ſubſtantia extenſa per nos nullas habeat partes reipſa diſtinctas §. 78. Ont. ea pars, qua ſubſtantia Dei contingit Europam, non erit diſtincta ab iis ejuſdem partibus, quibus Aſiam & alias regiones contingit. Ergo illa pars dici poteſt eſſe quoque in Aſia & in aliis orbis terraquei partibus, ſi non proxime, ſaltem remote.

§. 40. Reſponſio

Diſt. Ergo illa pars dici poteſt eſſe quoque in Aſia &c. ita tamen ut in hac ſubſtantiæ extenſæ Dei hypotheſi vera entis negatio in Deum cadat co. aliter ne. Nam ſubſtantia Dei vel ponitur finita in extenſione ſive quod attinet ad denſitatem, ſive quod attinet ad expanſionem in longum, latum, atque profundum; vel ponitur infinita. Si primum, primo loco nego id poſſe admitti; quia quod eſt a ſe, non poteſt eſſe finitum ſive in denſitate, ſive in expanſione: nam ex altera parte quotieſcumque extenſio in utroque finita eſt, ſunt poſſibiles alii denſitatis & præſertim expanſionis gradus; & ex altera nulla eſt ratio, cur ſubſtantia a ſe ad talem potius gradum, quam ad alium quemcumque poſſibilem ſit determinata. Deinde ſi foret finita, fieri poſſet, ut non in omnibus locis & extenſis ſubſtantiis reperiretur nec proxime, nec remote, eaſdemque ſubſtantias nulla prorſus ſui parte contingeret. Id quod foret omni ex parte negatio, quæ in Ens a ſe cadere nequit.

2. Sin autem ſecundum, vel ponitur infinita ſolum relate & in aliquo ſolum gradu, adeout eſſe poſſit extenſio adhuc infinite major ſecundum ea, quæ in Ont. §. 140. & ſeq. diſſeruimus; vel ponitur infinita abſolute & in omni poſſibili gradu, adeout nec denſitas, nec expanſiones majores eſſe queant. Si primum, iiſdem urgetur difficultatibus, quibus ſubſtantia a ſe finita, quia ſubſtantia a ſe infinite extenſa ſolum relate & in aliquo gradu eſt veluti finita, ſi cum infinite extenſa altioris gradus comparetur §. 140. Ont.

3. Aliud igitur nihil eſt reliquum, niſi ut ſit infinite extenſa in

in ultimo ſenſu. Si hoc eſt, vel ponitur capax, ut ab altera ſubſtantia extenſa penetretur, ex iis, quæ in Ont. §. 91. docuimus; vel ſecus: ſi capax, tunc hæc ſubſtantia a ſe non eſſet abſolute infinita in denſitate, eo quod dari poſſet gradus major, ille nempe, qui exſiſtit, cum divina extenſa ſubſtantia ab aliis extenſis ſubſtantiis penetratur; nam ubi fit compenetratio, ibi eſt major denſitas, quæ in infinitum augeri poſſet, eo quod ſimul ac duæ ſubſtantiæ extenſæ ſe viciſſim penetrant, aliæ in infinitum in eaſdem ſe intrudere poſſunt §. 91. Ont.

4. Si ſecus, nulla alia ſubſtantia extenſa præter infinitam divinam eſſe quiret. Ubi enim eſſe poſſet? non intra divinam, quia ſequeretur majoris denſitatis abſurdum, poſteaquam denſitas abſolute infinita in ſola divina ſubſtantia poſita fuit: non extra, quia tunc ex ſubſtantia divina, & ex hac ſubſtantia extenſa extra ipſam locata major exſiſteret expanſio quam ex ſola divina. Id quod eſt contra hypotheſim expanſionis divinæ ſubſtantiæ abſolute infinitæ, ut alia nulla major dari poſſit. Ergo quodcumque dicatur, repugnat ſubſtantiam entis a ſe eſſe extenſam quocumque modo, indeque ſemper ſequitur vera entis negatio.

§. 41. Inſtantia

Atqui in ultima hypotheſi ſubſtantiæ a ſe abſolute infinitæ tum in denſitate, tum in expanſione, nullum ſequitur abſurdum, aut vera entis negatio. Ergo &c. Prob. ant. Ideo per nos ſequeretur, quia dari poſſent præter ſubſtantiam extenſam abſolute infinitam aliæ extenſæ ſubſtantiæ, quæ vel intra illam, vel extra eſſe deberent. Atqui in ſyſtemate Spinoſæ nullæ ſunt, nec eſſe poſſunt aliæ ſubſtantiæ extenſæ præter unam infinitam §. 12. Ergo &c.

§. 42. Reſponſio

Diſtin. min. Atqui in ſyſtemate Spinoſæ &c. idque aſſeritur contra omnem rationem co, aliter ne. Explicatio tradita eſt §. 13., quem videſis.

§. 43. Objectio

Quod a nobis percipi nequit, affirmari non poteſt exſiſtere, aut eſſe poſſibile. Atqui ſubſtantia immaterialis & inextenſa a nobis percipi nequit. Ergo non poteſt affirmari exſiſtere, aut eſſe poſſibilis. Prob. min. Si ſubſtantia foret inextenſa, eſſet veluti punctum; atqui punctum non poteſt percipi ut ſubſtantia. Ergo &c.

§. 44. Reſponſio

Diſt. maj. Si ſubſtantia foret inextenſa in eo ſenſu ut eſſet principium extenſionis, eſſet veluti punctum co. ſi foret in eo ſenſu

ut

Digitized by Google

ut eſſet aliquod ab extenſione prorſus diverſum ne. Et diſt. conſeq. Ergo ſubſtantia inextenſa a nobis percipi nequit idea negativa ne. idea poſitiva ſubd. percipi nequeunt ipſius operationes ne. ipſamet ſubſtantia co. Punctum percipitur inextenſum ita ut ſit tamen aliquod ad extenſionem pertinens, ſive illius principium & modus. At Deus & animi percipi non debent inextenſi in hoc ſenſu abſtracto, ut ſint modi extenſionis, ſed tamquam ſubſtantiæ per ſe exſiſtentes, ab extenſione prorſus diverſæ. Hujuſmodi vero ſubſtantiarum notionem habemus poſitivam quod pertinet ad ipſarum operationes, quia noſcimus eaſdem intelligere & velle; negativam autem quod attinet ad illarum interiorem naturam, quatenus novimus quid eæ non ſint, ſcilicet extenſione carere, non autem quid ſint. Quod ſatis eſt ut affirmare poſſimus eaſdem ſubſtantias eſſe poſſibiles, quemadmodum convicti rationibus, quas in anteceſſum attulimus, certo affirmamus eſſe poſſibile Ens a ſe, cujuſque nullum fuerit initium, tametſi infinitatis in duratione ideam ſolum negantem habeamus §. 7.

§. 45. Inſtantia

Atqui Deus nullo modo percipi poteſt tamquam ſubſtantia extenſionis expers. Ergo &c. Prob. min. ſub. Deus percipi debet tamquam ſubſtantia omni loco præſens. Atqui non poteſt eſſe omni loco præſens, ſi careat extenſione. Ergo &c.

§. 46. Reſponſio

Diſt. maj. Deus percipi debet tamquam ſubſtantia, quæ tota ſit in qualibet loci parte co. quæ cum una ſui parte ſit in una parte loci, & cum alia in alia ne. Et diſt. min. Atqui ſi caret extenſione, non poteſt eſſe præſens omni loco in ſecundo ſenſu co. in primo ne. Alio modo exſiſtit extenſum in loco, ſive in alio extenſo, cum in Ontologia §. 93. planum fecerimus nullum eſſe verum ante corporum creationem locum; alio Deus & animæ. Primum ita exſiſtit, ut cum aliis ſui partibus in aliis loci partibus reperiatur. At Deus & animi toti ſunt in qualibet loci parte. Ita fit ut ſint in loco ſine ulla extenſione & diffuſione partium, & præſertim Deus, utpote infinitus, omni loco præſens ſit; de quo infra enucleatius.

§. 47. Inſtantia

Hic modus, quo Deus præſens dicitur omni loco, a nobis percipi nequit tamquam poſſibilis. Ergo non eſt admittendus. Prob. ant. Intelligi non poteſt, quomodo Deus ſit unus, & tamen totus in ſingulis iiſque pluribus locis. Ergo &c.

§. 48. Reſponſio

Diſt. Ergo hic modus percipi nequit tamquam poſſibilis ita tamen ut neque tamquam impoſſibilis monſtrari poſſit co. aliter ne. Ergo non eſt admittendus, ſi nulla ratio nos cogat ad eum admittendum co. ſi cogat ne. Concedo equidem clara & perſpicua ratione a priori a noſtra finita mente percipi non poſſe quomodo Deus ſit unus, & nihilominus ſit totus in ſingulis iiſque pluribus loci partibus. At eodem tempore ajo neque Adverſarios poſſe monſtrare hunc præſentiæ modum eſſe impoſſibilem, & cum unitate Dei non poſſe conciliari, & addo, ſi non a priori, ſaltem a poſteriori ejuſdem poſſibilitatem oſtendi, eo quod ex aliis propoſitionibus evidenter monſtratis colligitur hunc præſentiæ modum revera obtinere, ex quo etiam illius poſſibilitas a poſteriori eruitur. Nam ex altera parte oſtendimus Deum eſſe inextenſum §. 36. ex altera vero, oſtendemus Deum non occupare punctum inextenſum, eoquod eſt ſubſtantia, non modus ſubſtantiæ, ſed eſſe in omni loco in quo operatur, & in omnibus creatis ſubſtantiis eumdem operari. Ergo cum ex prima propoſitione eruatur Deum non eſſe ita loco præſentem, ut cum una ſui parte ſit in una parte loci, & cum aliis in aliis, manifeſte ſequitur Deum eſſe totum in ſingulis partibus mundi. Qua de re vide quæ diſſeruimus in Pſychologia §§. 83. 109. n. 4. 200. n. 13.

§. 49. SCHOLION II.

Si Deus ſit materialis, & extenſus, eſſe debere extenſum omnino & abſolute infinitum & omnium, quæ eſſe poſſunt, maximum, adeout nullum majus exſiſtere poſſit, ratione §. 40. allata evidenter confecimus. Extenſum autem abſolute infinitum & omnium maximum dari non poſſe rationibus ſimiliter evidentibus ibidem docuimus adverſos eos, qui perpetua ſenſuum experientia convicti alias ſubſtantias extenſas eaſque finitas præter hanc infinitam exſtare aſſentiuntur. Verum id non oſtendimus adverſus illos, qui hanc unam admittunt, tametſi altera ex parte homines refutaverimus, cum planum fecimus alias etiam ſubſtantias admitti oportere, eoquod mundi & animorum phænomena ſine pluribus ſubſtantiis explicari non poſſunt. Sed ad eos magis magiſque coarguendos operæ prætium arbitror hoc extenſum abſolute infinitum eſſe non poſſe docere propriis argumentis & ſuis. Fac itaque ab hoc puncto verſus ſeptentrionem hoc extenſum abſolute infinitum ſe expandere; illud profecto in data hypotheſi tantum ſe expandet, ut verſus ſeptentrionem major expanſio haberi non poſſit; quod ni ita foret, extenſum quod ſe illorſum longius explicaret, eſſet majus eo, quod abſolute omnium poſſibilium maximum ponimus. Conſtat ergo expanſionem ab hoc puncto eſſe abſolute infinitam & maximam omnium earum, quæ illorſum contendunt. Simile oſtendemus de expanſionibus ab hoc eodem puncto verſus meridiem in directum, verſus occaſum, & verſus ortum in contrariam pl gam. Nunc expanſioni meridiem

ver-

verſus & ſeptentrionem cogitatione adjunge expanſionem alteram ortum & occaſum verſus, habebiſque longitudinem ex utriſque coalitam ſola verſus meridiem & ſeptentrionem longitudine majorem. Si his alias aliaſque verſus alias plagas interceptas adjicias, in tua mente longitudo ex hiſce omnibus conſtans longe, immo in infinitum major ac major exſiſtet. Ergo longitudo a borea ad auſtrum directa non erit, ut Adverſarii ponunt, abſolute infinita, ideſt omnium quæ eſſe poſſunt, maxima.

2. Dices, aliud eſt longitudinem alteram alteri mentis vi adjungere, & longitudinem ex utriſque compoſitam ſibi comminiſci; aliud eſt eaſdem revera conjungi, & longitudinem ex utriſque coaleſcere quire. Primum quidem in hac hypotheſi fieri poteſt, ſed ſine ullo fundamento in re. Cum enim ab hoc puncto verſus meridiem corpus abſolute infinitum tantum ſe expandat, quantum poteſt, & pariter ab eodem boream verſus; nullum aliud eſſe poteſt corpus quod eas verſus plagas longius pertineat. In ſolo autem extenſo vera longitudo eſſe quit etiam in noſtra ſententia, qui docuimus vacuum reipſa extenſum non eſſe. Quare mens errat, cum primæ longitudini alteram in directum adjungit perinde ac ſi hoc fieri poſſet, quod tamen abſolute fieri nequit.

3. Sed id ipſum eſt, quod evincit hanc extenſi abſolute infiniti hypotheſim inter ea, quæ eſſe non poſſunt, enumerari oportere. Nam longitudo abſolute infinita eſſe debet hujuſmodi, ut ne quidem virtute finitæ mentis imaginari poſſim longitudinem illa majorem. Qui enim fieri poreſt, ut finita mens habeat notionem, quæ exhibeat aliquid majus eo, quod abſolute infinitum eſt & maximum omnium, quæ eſſe poſſunt? Jam vero mens ſibi repræſentare poteſt ideam longitudinis ex utriſque coalitæ, quæque una tantum ſit major. Ergo dicendum eſt hujuſmodi extenſum abſolute infinitum, ex quo hæc adeo repugnantia ſequuntur, nulla ratione eſſe poſſe.

4. Præterea cum extenſum infinitum, utpote increatum, a ſe eſſe debeat, ſit una tantum ſubſtantia neceſſe eſt §. *199.* Ont. Jam vero una tantum ſubſtantia tametſi infinita phænomenis corporum & animarum explicandis idonea non eſt, ut adverſus Spinoſam luculenter oſtendimus. Dices cum Pantheiſtis ab hac infinita extenſa ſubſtantia decerptas fuiſſe particulas quaſdam, quæ ſunt corpora & animæ, quæque poſt aliquod tempus iterum cum hac infinita ſubſtantia confunduntur, ut aquæ guttæ quæ ab oceano disjunguntur, & cum illo denuo poſt aliquod tempus permiſcentur. Quæ ſententia in eo differt a Spinoſiana, quod Spinoſiſtæ volunt ſemper unam tantum eſſe infinitam ſubſtantiam a ſe extenſione & cogitatione donatam; corpora vero & animas non eſſe niſi varia ejuſdem ſubſtantiæ a ſe accidentia: at Pantheiſtæ volunt ex infinita ſubſtantia extenſa a ſe per ſeparationem quarumdam particularum quæ veræ ſubſtantiæ ſint, formari corpora & animas tamquam diſtinctas ab infinita ſubſtantia a ſe ſubſtantias.

5. Verum hæc ſententia duabus firmis rationibus labefactatur. Nam ex altera parte hæc ſubſtantia una eſſe debet ut infra conficiemus & oſtendimus etiam in Ont. §. *199.*, ex altera autem evidentibus omnino rationibus in Ontologia §. *78.* confecimus neque ſubſtantiam extenſam quæ vere una ſit, poſſe in ullas partes diſpeſci, nec ab ipſomet Deo, tametſi potentia infinita donetur, eoquod repugnat invenire partes reipſa diſtinctas ubi nullæ ſunt, & ipſos per ſe terminos facere, qui ante non erant, quique, utpote aliquod re-

Digitized by Google

lativum, proxime gigni nequeunt, ſed ſolum remote proxima generatione rerum, quæ terminis circumſcribantur. Deinde Ens a ſe eſt intrinſecus immutabile §.182.n.3. Ont. Jam vero intrinſecus mutaretur, ſi ex ſe ipſo ita extenſo, ut ſit una tantum extenſa ſubſtantia in Pantheiſtarum ſyſtemate, aliquas decerperet partes, quæ totidem diſtinctæ inter ipſas, & ab Ente a ſe ſubſtantiæ fierent. Ergo ex ente a ſe, tametſi foret extenſa ſubſtantia, nullæ poſſunt detrahi particulæ, ex quibus corpora & animæ exſiſtant. Ita fit ut prorſus corruat Pantheiſtarum ſyſtema etiam quod attinet ad alteram partem. Nam quod ex aquæ gutta, quæ primum ex oceano extrahatur, & deinceps cum illo denuo conjungatur confundaturque, exemplum depromunt, nimis eſt pingue, quam ut imponere poſſit iis, qui extenſionis naturam penitus examinarunt. Sciunt enim & minimas Oceani particulas ſuis quaſque donatas eſſe figuris & terminis, antequam aliquæ earum ab aliis disjungantur, & ſuas quaſque retinere figuras & ſuperficies, cum iterum cum aliis permiſcentur. Nec tolerabile eſſe norunt Cl. Fromondi ſyſtema, qui aliter ſentit, poſt ea præſertim quæ adverſus eumdem tom. III. Phyſ. Gen. §. *164.* accurate diſputavi. Ex quibus confirmatur quod pluribus locis in Ontologia & in Pſychologia docui, in noſtra de continuo extenſo doctrina multum eſſe momenti ad obſcuriſſimas Philoſophiæ qnæſtiones in clariſſima luce ponendas, atque ad graviſſimas in præcipuis ejuſdem locis difficultates ſolvendas.

6. His accedit quod hujuſmodi abſolute infinitum extenſum nulla ratione moveri poſſet, atque idcirco non eſſet idoneum explicandis corporum motibus, qui in natura obſervantur. Nam moveri non poſſet nec motu rectilineo, nec curvilineo; non primo, quia ſi tali motu cieretur, locum in quo eſt, ex parte relinqueret, & ad alium occupandum tranſiret, quod manifeſte pugnat cum hypotheſi aſſumta; nam perſpicuum foret ſolidum illud, quod occuparet & partem loci a primo relictam, & partem ab eodem motu acquiſitam, eſſe majus ſolido quod omnium poſſibilium abſolute maximum poſitum eſt, & ob rationes ſupra allatas poni debet, ſi eſt increatum & a ſe: non altero, quia primum motus curvilineus ſine ullis ſaltem infinite parvis, ſi infinite parva eſſe queunt, motibus rectis eſſe nequit ob illas perſpicuas rationes qua attulimus in Ontologia §. *297.*: ſecundo quia etſi daremus exſtare poſſe motum prorſus curvilineum, qui ex motibus per lineolas rectas nequaquam conſtaret, is cadere non poſſet in extenſum abſolute infinitum. Nam vel hoc extenſum nullam habet externam ſuperficiem & figuram, quemadmodum neceſſe eſt naturæ extenſi abſolute infiniti, vel aliquam habet; ſi nullam, qui fieri poteſt ut torqueatur in gyrum? Ubi enim foret revolutionis axis in extenſo prorſus verſus omnes partes abſolute infinito? Deinde cum hæc revolutio fieri poſſet circa infinitos axes, eo quod nullus eſſet exacte medius, cujus centrum ab extremitatibus utrimque æqualiter diſtaret, ex neceſſitate naturæ ad nullum ex hiſce axibus determinaretur, cum poſſet indifferenter circa alios revolvi, nec ſit major ratio per aliquo eorum, quam pro aliis. In rebus autem neceſſariis quando plura eſſe poſſunt, ſed non ſimul, major ratio ſufficiens eſſe debet pro aliquo eorum, & ſine hac ratione nihil eſſe poteſt §.75. Log.n.2. Deinde revolutio verſus omnes plagas eſſe poteſt, nec eſt major ratio pro una plaga quam pro aliis. Ergo neque ad revolutionem verſus talem potius plagam, quam verſus aliam quamcumque ex neceſſitate naturæ determinari quit. Sin au-

autem aliquam habet figuram, præter hanc ultimam rationem, quæ valet etiam in hujuſmodi eventum, hæc non poteſt eſſe niſi rotunda, quia ſi foret alterius figuræ ex aliqua parte a centro remotioris quam ex aliis, ſpatium a partibus remotioribus in revolutione deſcriptum majus eſſet globo, qui abſolute infinitus poneretur & non foret. Poſita vero figura rotunda intelligi poſſet cubus circumſcriptus eidem, qui profecto major foret globo, contraquam poſitum fuit. Ergo quocumque ſe vertant, qui extenſum abſolute infinitum ponunt, in inextricabiles laqueos ſe induunt, & ideo manet extenſum a ſe eſſe nequire.

7. Qui de hac re plura deſiderat, doctum adeat Moniliam, qui in libro inſcripto, *Diſſertazione contra i Materialiſti ... in Padova* 1750. tom. I. hæc duo accurate docet, extenſum, ſi ſit a ſe, debere eſſe abſolute infinitum ſine ullis prorſus limitibus, & hujuſmodi extenſum cum ratione pugnare. Quo loco non valde moror difficultatem, quam is tomo ſecundo pluribus expendit, petitam ex eo, quod aliqui Philoſophi volunt ſpatium vacuum dari poſſe, idemque eſſe aliquod æternum atque divinum. Nam poſt ea quæ ſcripſi aut tom. I. Phyſ. Gen. §. *9*. & ſeq. aut in Ontologia §. 57. & ſeq. & §. 154. clare conſtat hoc inane eſſe quidem poſſibilitatem recipiendi extenſa, quæ ut relata ad actum poſitivum, qualis eſt corporum receptio, debet eſſe in ente poſitivo atque idcirco in Deo, qui omnium rerum ab æterno continet poſſibilitates, ſed non eſſe reipſa extenſum, ut Philoſophi comminiſcuntur, ideoque non pugnare cum divina natura quæ extenſionem repudiat. Sed ut iis, qui meam Generalem Phyſicam non viderunt, magis magiſque compertum id fiat, operæ pretium arbitror, hic exſcribere quæ tom. I. Phyſ. Gen. §. *9*. & ſeq. diſſerui.

8 *Excerpta ex tomo I. Phyſ. Gen.*

Primam itaque rationem poſſibilitatis vacui, quam hic tueor, ex eo deduco, quod ſimul ac Adverſarii illud non poſſe exſiſtere certis argumentis non docent, poſſibilitas ejuſdem invicte clareque probatur. Nam ſi exempli gratia duos cubiculi parietes conſideremus, certum & exploratum eſt eorum exſiſtentiam in eo loco in quo ſunt, non pendere ab exſiſtentia corporum quæ intercepta ſunt, uti aeris, tum quod ſubſtantia parietum penitus perfecteque diſtincta eſt a ſubſtantia interpoſiti aeris, tum quia totus aer nunc incluſus ab eo ſpatio abeſſe poteſt, quominus aut in nihilum revertantur, aut ad ſe mutuò accedant, ſaltem ea ratione, ipſis quoque Adverſariis fatentibus, ut in locum exeuntium aliæ aeris vel alterius fluidi particulæ continuata ſerie ingrediantur. Hoc conſtituto quis non videt omnem ab eo loco aerem poſſe educi & prohiberi ſimul nequid corporis intro ſe inſinuet, quin aut acceſſus parietum aut interitus conſequantur; idque ex perfecta parietum & corporum interceptorum diſtinctione concludi, & poſſibile factu clariſſime percipi, niſi eoſdem parietes ſine aliquorum corporum interpoſitione ſe non contingere tamquam repugnans aliunde perſpicuum fiat? Si enim ſemel repudiamus ea, quorum poſſibilitatis clariſſimam habemus notionem, tametſi nullis, quibus ſatisfieri nequeat, difficultatibus premantur, quotumquodque in Philoſophia nobis certum & exploratum erit, in dubium vocata perſpicuitate idearum, perinde ac ſi nobis imponere poſſet; qua una Philoſophi omnes, etiam ii, qui primum Carteſii veritatis criterium non probant, in rebus ſolo naturali lumine no-

notis dijudicandis utuntur? Re autem vera vacui inter duo corpora ſe non contingentia poſſibilitatem Carteſiani & Wolphiani non impetunt iis rationibus quæ facile refutari non poſſint. Nam quod ajunt inde ſequi, illud inane eſſe ſimul aliquid & nihil, nihil, quod eſt cujuſcumque corporis negatio, aliquid, quod rei proprietates illi conveniunt, ſcilicet in longum, latum & profundum expanſio, id nihil eſt & non difficulter diluitur: non quidem ea ratione quæ vulgo adhiberi ſolet, quæque tantum abeſt, ut propoſitæ difficultati ſatisfaciat, ut potius eam confirmet, & contrariæ ſententiæ Patronos a noſtra maxime deterreat. Quid enim eſt extenſio negativa & increata quam inani tribuunt, & in quanam ſubſtantia eadem reperitur, cum alioquin certum & evidens ſit negationes omnes, utpote relativum aliquid continentes, ipſas per ſe non poſſe exſiſtere, ſed in aliqua ſubſtantia eſſe oportere? Certe iis Philoſophis qui non delectantur niſi notionibus realibus, hanc negativam ſimul & actualem extenſionem numquam obtrudent. Igitur ut veram difficultatis ſolvendæ rationem proponam; ex veræ Philoſophiæ principiis conſequi adverto ſolum dari duplicem extenſionem, actualem & potentialem, ſeu tantum exſtare poſſe aut veram extenſionem, aut potentiam recipiendi extenſa. Quo conſtituto ajo inane inter parietes interceptum actu vere extenſum non eſſe, propterea quod nulla ibidem ſubſtantia eſt extenſione donata, ſed eſſe ſolam & meram potentiam recipiendi extenſa, videlicet hujuſmodi ut inter illos duos parietes extenſa corpora intercipi queant. Quod in cauſſa eſt cur vacuum numquam appellarim extenſum aut ſpatium, & paulo ante monuerim eos valde falli qui hæc duo ſpatium in longum, latum & profundum extenſum, & inane ſive negationem cujuſcumque extenſi corporis non pugnare inter ſe conficere conantur. Hinc vero ſequitur nullam eſſe oppoſitam ab Adverſariis contradictionem. Siquidem vacuum eſt aliquid potentia, & nihil actu, quæ duo poſſe optime cohærere tum per ſe patet, tum ex rebus creatis quæ antequam e nihilo educerentur, actu nihil, potentia aliquid erant.

2. Sed Adverſarii urgere poſſunt difficultatem eodem revolvi. Nam ut negatio ipſa per ſe eſſe nequit, ſed in aliqua ſubſtantia reperiatur oportet, ita & potentia ſeu poſſibilitas recipiendi extenſa, utpote atributum, cum alia re neceſſario cohærens, in alio inveniatur neceſſe eſt; immo multo magis, cum illa ſit poſſibilitas ad actum poſitivum, uti eſt corporum receptio, quæ proinde ens poſitivum, in quo inſit, neceſſario deſiderat. Huc nimirum eos volebam; nam hujus cardo quæſtionis in eo vertitur, in explicando qui hæc potentia vera & realis ſit, non imaginaria & commentitia. Siquidem ab aliis etiam inſinuatum eſt inter duos cubiculi inanis parietes eſſe potentiam recipiendi extenſa, dum affirmarunt poſſe rurſus introduci ea corpora quæ hinc educta fuerunt. Verum quia ubinam eadem eſſet, & in quo ſubjecto inhæreret, non docuerunt, nihil proficere & rem aliis perſuadere non potuerunt. Itaque ajo hanc potentiam recipiendi extenſa non eſſe quidem in aliquo creato ſubjecto, quod ibi nullum eſſe ponitur, ſed in increato, ſcilicet Deo, ſive eſſe Dei attributum, illud ſcilicet quod immenſitas appellatur. Quod & efficaci ratione conficitur, & in nullas difficultates incurrit. Siquidem primo poſſibilitas recipiendi extenſa eſt, ut paulo ante docui, potentia quædam poſitiva; ſtatus enim potentiæ pendet a ſtatu actus, ad quem refertur; receptio vero corporum eſt actus, qui habet aliquid poſitivi. Ergo hæc potentia recipien-

Digitized by Google

piendi extenſa ipſa ſit aliquod poſitivum neceſſe eſt. Deinde hæc poſſibilitas ipſa per ſe eſſe non poteſt. Nam id quod ipſum per ſe eſt, actu & reipſa eſt; quod autem actu eſt, nequit eſſe tantum poſſibile, nec poſſibilitas modi, ut eſt corporum receptio, eſſe quit primum cujuſdam rei attributum, ſed dumtaxta ſecundum, quod aliud deſiderat ante ſe quodque ab eodem proficiſcitur. Quare cum potentia recipiendi extenſa ſit ex altera parte poſitiva, ex altera ipſa per ſe conſtare nequeat, in aliqua ſubſtantia, quæ eſt aliquod poſitivum per ſe ipſum conſtare potens; reperiatur neceſſe eſt. Hæc autem ſubſtantia nequit eſſe niſi Deus, qui ſolus per immenſitatem inter illos duos parietes eſſe quit.

3. Nec id incurrit in aliquam difficultatem quæ ſolvi non poſſit; mihi enim aliud nihil objici poſſe videtur, niſi aut Deum non habere hanc recipiendi extenſa potentiam quod extenſione careat, aut vacuum quod eſt aliquod negans, dedecere Deum, quod eſt res undequaque poſitiva. Sed primum facile refellitur, quia quemadmodum Deus tametſi non extenſus extenſa creare poteſt, ita quamvis extenſionis expers, extenſa creata recipere potis eſt: quod congruit cum ſententia Apoſtoli Pauli ſcribentis: *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus*. Quo vero alterum ſolvamus, prius explicandum eſt diſcrimen inter perfectiones, quas tum Philoſophi tum Theologi ſimpliciter ſimplices vocant, interque illas, quæ *ſecundum quid* ab iiſdem appellantur, ſive ut preſſius loquamur, inter veras & puras perfectiones, interque illas quæ mixtæ ſunt, & ex aliquibus imperfectis coagmentatæ. Nam vulgo traditæ definitiones eo laborant vitio quo pleræque Ariſtotelæorum, quod aut nullas complectuntur notas quibus res explicatæ ipſæ in ſe cognoſcantur, & ab aliis internoſcantur, aut ſi quas, nullius tamen fere uſus & parum accommodatas ad id, ad quod declarandum conficiendumque ſunt comparatæ. Cum enim in conſtituenda differentia inter utrumque perfectionum genus ſibi propoſitum habeant oſtendere ac definire, quænam in Deum cadant & quænam ſecus, ad hunc finem conſequendum quid prodeſt dicere perfectionem puram ſive ſimpliciter ſimplicem eſſe illam, *quæ eſt melior ipſa quam non ipſa*; mixtam autem & ſecundum quid, *quæ eſt melior non ipſa quam ipſa?* Periculum faciant, & comperient ſe illarum adminiculo nihil in hoc negotio poſſe proficere. Quare ut alias potioris uſus ſubſtituam, ajo perfectionem puram eſſe illam quæ eſt ſolum ens, nihilque negantis ſive non entis includit; mixtam vero, quæ præter ens aliquid etiam negativi ſive non entis complectitur, quæque iccirco habet tum ens tum negationem entis, quorum altero diſcrepat a pura perfectione, in qua nihil negantis admixtum eſt; altero a pura imperfectione, quæ nihil continet entis. Ex iis autem facile eſt eruere quænam ex ſingulis tum animæ noſtræ tum corporum perfectionibus in Deum conveniant, qui cum ſit Ens a ſe, a quo omnia alia entia dimanant, omne verum ens in ſe habeat oportet, atque ideo ſit purum ens, nihilque negativi complectatur. Ex. gr. quia intelligere, quod eſt in anima noſtra, eſt eſſe; intelligere autem hæc tantum, non alia, eſt negatio entis: inde colligimus primum cadere in Deum, non autem ſecundum. Cum vero negatio negationis ſive non entis ſit affirmatio & ens, ex his efficitur etiam negationes negationum in Deum convenire. His conſtitutis, de quibus alibi enucleatius, propius accedo ad id, quorſum hæc ſpectant, & ajo in qualibet re extenſa duo eſſe diſtinguenda, alte-

rum

Digitized by Google

rum eſſe in loco, quod eſt poſitivum & ens, alterum non ſolum in alio non reperiri, verum etiam cum parte alia aliis in loci punctis eſſe, non in omnibus, quod eſt negativum & non ens. Quare negatio primi, utpote entis, eſt vera negatio, nec in Deum cadit; negatio vero ſecundi, utpote negatio negationis, eſt ens & iccirco illi adſcribenda. Quo fit ut cum natura Divina non pugnet vacuum, quatenus negat id quod imperfecti & negationis eſt in corporibus, cum alioquin Deus utpote totus in toto & totus in qualibet loci parte, id omne habeat quod veræ perfectionis verique entis corpora complectuntur. Quibus mihi videor penitus amoviſſe id quod Carteſianos alioſque Philoſophos ab admittenda vacui poſſibilitate jure ac merito deterrebat. Nam aliis Philoſophis qui pro ea ſtabant, ad extenſionem negativam & increatam confugientibus, eamque ſatis non explicantibus, ſemper reſtabat inquirere, quid illa extenſio negativa foret, qui merum nihil eſſet, & tamen negative extenſum & recipiendis extenſis poſitive idoneum.

4. At enim ſi res ita foret, vacuum illud, quod inter cubiculi parietes intercipitur, eſſet ſimul finitum & infinitum; finitum, quia quatuor parietibus, fornice & pavimento tamquam finitis corporibus finitaſque ſuperficies habentibus contineretur; infinitum vero, propterea quod noſtra ſententia eſſet attributum Divinæ naturæ, atque idem ac Divina Immenſitas, quæ nullis coercetur limitibus. Hujus difficultatis ſolutio rei de qua agimus, majorem afferet lucem; & viam muniet ad meam quamdam opinationem, quæ licet a communi diſſentiat, nihilo tamen minus, niſi valde fallor, certa & vera eſt. Utor autem hac diſtinctione: vacuum illud eſt quidem extrinſecus finitum; circumſcribitur enim tamquam extrinſecis finibus quatuor parietum libramentis; intrinſecus tamen infinitum eſt, quod corpus aliud alio denſius in infinitum, tametſi omnia omnino continua ſint, in eodem a Deo creari & collocari poteſt, quæ corpora omnino continua alia aliis denſiora in infinitum non repugnare infra ſuadebimus. Quo prorſus infirmatur ratio ab Adverſariis objecta. Non enim cum ratione pugnat Deum ejuſque attributum extrinſecus coerceri iis limitibus, quos ſibi ipſe fixit atque refigere poteſt, ſi modo intrinſecus & quod attinet ad ſubſtantiam, infinitus permaneat.

5. Si vero hic urgere non deſiſtas, vacuo inter utrumque diſtantem parietem intercepto veram extenſionem in longum, latum & profundum convenire, propterea quod ejus partes ut ante quamlibet corporum extractionem, ita poſt extra ſe invicem ſunt, cum eædem permaneant, & iccirco a Deo fore diſtinctum, & nihil, atque nihilominus extenſum, quæ duo pugnant inter ſe; cauſſa tamen non caderem. Nego enim in illo vacuo quamdam eſſe actualem extenſionem; nam ſi quæ ſunt ejus partes, aliæ nequeunt eſſe niſi eſſentiæ divinæ, quæ nullas habet extra ſe poſitas, quæque cum ſit tota in toto & tota in qualibet parte loci, facere nequit ut vacuum illud actu veram habeat extenſionem. Cum vero dicitur eductis omnibus ex cubiculo corporibus illud ſpatium idem permanere, verum eſt ſi de potentia recipiendi extenſa id intelligas; eo quod in immenſitate Dei, quæ eadem perſeverat, eadem quoque manet quæ antea, potentia recipiendi corpora parietem inter utrumque; non autem ſi hoc dictum velis de actuali extenſione.

6. Nam quod in ejus rei confirmationem afferre potes, ſcilicet diſtantiam inter parietes, eamdem quæ antea erat, permanere, ex. gr. 10 pedum, & iccir-

circo etiam interpoſitam extenſionem, ſine qua nihil ab alio diſtare poteſt, illud hac ratione refuto. Una ex proprietatibus relationis eſt ut in aliqua re nova poſſit exoriri relatio ſine ulla ejuſdem mutatione, modo alia res ad quam prior refertur, quamdam mutationem ſubeat. Ita ſi ſolus ſit paries albus A, nulla eſt in eo ſimilitudinis relatio cum alio. At ſi e regione ponatur paries albus B, in A relatio ſimilitudinis cum B continuo exſiſtit, tametſi nihil in A mutatum fuerit. Jam vero diſtantia inter duos ex. g. parietes eſt illorum relatio exigens quoque interpoſitum aliquid, quo eorum diſtantiam metiamur. Unde cum dicimus, paries alius ab alio 10 pedes diſtat, id intelligi nequit ſine pedibus extenſis atque corporeis, qui inter utrumque parietem intercedere cogitentur. Quamobrem ſi nullum omnino corpus inter eoſdem interſit, actualis quidem 10 pedum diſtantia non erit, cum non ſint interpoſita corpora, quæ ad hanc actualem relationem conſtituendam ſunt neceſſaria; exoriri tamen poterit ſine ulla parietum mutatione aut translatione, ſi modo quæ corpora intereſſe queunt ob potentiam recipiendi extenſa, revera interponantur. Ex qua reſponſione colligitur inter hoſce parietes eſſe potentiam tantummodo actualis diſtantiæ, quæ non requirit aliud niſi potentiam in Deo ſitam recipiendi extenſionem. Atque id in cauſſa fuit cur a primo non dixerim parietes diſtare, ſed ſe non contingere. Quo mihi videtur penitus ſatisfieri omnibus iis quæ ab Adverſariis contradicta ſunt. Quamobrem cum nullo modo probetur, hoc vacuum inter utrumque parietem repugnare, poſſibile a Philoſophis eſſe putandum prima ratione concludo.

7. Alteram poſſibilitatis vacui rationem ex eo duco, quod motus in rerum natura conſtare poteſt ſaltem eo modo, ut quamvis omnia plena ſint & ſe invicem tangant, tamen aliud in alius locum ſuccedat; ut accidit in circulari canaliculo, quem decem ex. cauſſa globuli repleant. Nam ſi unus ex iis propellitur, omnes in gyrum torquentur, & antecedentis quiſque locum ſubit. Quo poſito animum advertamus ad tres proximos hujuſmodi globulos, quorum alius in alius locum meat, & diſtinctionis cauſſa tribus primis alphabeti litteris deſignemus, ut A ſignificet globulum qui in locum interpoſiti ingreditur, B medium & interpoſitum, C denique tertium, cujus locus a B ſubinde occupatur. Qua in re dico A poſſe moveri, etſi nullus foret inter A & C interpoſitus globus B: nam in B nulla eſt ratio cur A poſſit in ejus locum intrare. Nam quatenus B eſt ſolidum, extenſum, & penetrationi reſiſtens, motui A pariter ſolidi, quique cum alio penetrari non quit, potius obſiſtit; quatenus B eſt ipſum ſpatium & locus, ut Carteſiani volunt, & ſequitur ex noſtra ſententia, qui in vacuo nullam eſſe extenſionem oſtendimus, nullam quoque rationem habere intelligitur cur A moveri queat. Nam A moveri non poteſt niſi cedat B, quem penetrare non poteſt; decedente autem B diſcedit etiam ſpatium & locus qui ſecundum Carteſianos & Wolphianos a B non diſtinguitur. Ergo B nullam intelligitur habere rationem cur A poſſit in ejus locum motu ſuccedere. Quoniam vero nihil eſt abſque ſufficienti ratione, reſtat ut hæc ratio ſit vel in ipſomet vacuo inter A & C interjecto, vel in A: ſi in vacuo eſt, jam teneo quod volebam, poſſe inter duo corpora ſe non contingentia exſiſtere inane. Sin autem in globulo A hæc ratio ineſt, propterea quod in Adverſariorum & etiam noſtra ſententia ſuum ſpatium internum a quo non diſtinguitur, ſecum defert, eodem tamen quo ſpecto, res evadet,

Nam inde perſpicuum fit poſſe globum A perinde moveri, ſive illi proximum ſit aliud corpus ſive non, quia ſcilicet tota ratio in eo eſt, ſive attendas ad vim qua percellitur, ſive ad ſpatium. Quod ſi corpus finitum & undequaque circumſcriptum, quale eſt globus A, moveri poteſt, etiamſi cum nullo proximo corpore contiuuetur; quis non videt, ſi locus unde incipit moveri, ſola mente & cogitatione deſignetur, ab eodem ad alium, ad quem motu pervenit, inane & vacuum intereſſe?

8. Atque hinc tertia ratio pro vacui poſſibilitate deducitur. Fac enim mundum ita, ut eſt, eſſe finitum, & aliquod in ejus extima ſuperficie corpus imaginare quod cum aliis quidem cohæret, ſed nihilominus ab iiſdem ſecernitur; niſi aliunde vacui repugnantiam oſtenderis, ut revera non oſtenditur, nonne perſpicuum eſt quam quod maxime eidem ſoli poſſe imprimi vim contrariam vi qua alia corpora proxima ad centrum mundi propelluntur? Hac impreſſa vi vel corpus illi obſequitur vel non; ſi etiam, extra mundum movebitur & poſt aliquem motum a reliquo mundo ſaltem in potentia diſtabit, ideoque inter mundum & illud corpus intercipietur inane. Alia enim a corpore pulſo diſtincta, ut quæ illa vi carere ponuntur, diſcedens a mundo corpus conſequi nequeunt. Sin autem non obtemperat, quid eſt extra mundum quod illi obnitatur? Non ſolidum aliquod, quia finis univerſitatis corporum ibi eſſe ſtatuitur; nec loci defectus, quod ex altera parte negatio loci vim habere ipſa per ſe non poteſt, qua vi alteri obſiſtat, ex altera vero corpus ſuum ſpatium habet & ſecum defert. Conſequens igitur eſt poſſe dictum corpus moveri, itaque fieri ut inter duo corpora ſe non contingentia nihil ſolidi interſit quod ibidem intercedere poſſit, quin ullus in iis corporibus motus præcedat.

Has & ſimiles concluſiones Adverſarii viderunt ex mundo finlto conſequi, cumque earum vi ſe obrui experirentur, mundum vel infinitum vel indefinitum voluerunt. Sed horum alterum, ut leviſſime dicam, indignum eſt Philoſopho Chriſtiano, alterum autem difficultatem eludit, nec facit quin mundi finitudinem concedere debeamus, ſi Chriſtianæ fidei decreta id velint; de quo Theologorum eſto judicium. Interim ſatis certo concluditur inter duo ſe non contingentia corpora poſſe intercedere vacuum, quod alius corporis recipiendi ſit capax, quin eadem ullo modo moveantur & alterum ab altero abſcedat.

9. Porro ex his concluditur vacuum eſſe infinitum; nam ſi mundus eſt infinitus, ante illius creationem erat poſſibilitas infiniti vacui; ſin autem finitus, ultra fines mundi corpus in infinitum pergere poſſe dicta ratione conficitur, atque iccirco infinitam illius recipiendi capacitatem inveniri. Quod congruit cum eo quod ſupra notavimus, inane & vacuum idem prorſus eſſe ac Divinam Immenſitatem.

10. Quæ concluſio ſi, quomodo a me defenditur, ita a Carteſii Diſcipulis admitteretur, credo eos nihil facturos contra proprium ſyſtema eſſentiæ corporum in extenſione poſitæ, quod potiſſimum in cauſſa fuit ut a communi ſententia poſſibilitatis vacui diſcederent. Siquidem ea non efficitur, inter duo corpora ſe non contingentia actu exſiſtere extenſionem aliquam negativam quæ faciat ut extenſio generatim accepta ſoli corpori non conveniat, ut ſoli corpori convenire neceſſe eſt, ſi ad ejuſdem pertinet eſſentiam, quemadmodum hi Philoſophi volunt. Quamobrem puto eoſdem facile in noſtram ſententiam ituros, ſarta tecta una ex iis cnunciationibus, quæ in ipſorum Philoſophia ſi-

Digitized by Google

familiam ducunt, de qua alias enucleate diſſeremus. Immo futurum ſpero ut omnes diffidentes Philoſophi in eamdem conveniant. Nam cum diſcordiæ cauſſa in eo poſita eſſet, quod utrique ex parte verum attingebant, ex parte ab eodem aberrabant, illi qui poſſibilitatem vacui tuebantur, quod ſimul tamquam actu, tametſi negative, extenſum defendebant, illi vero qui eam negabant, quod ſimul hypotheſim duorum corporum ſe non contingentium, tametſi nullum extenſum corpus intereſſet, tamquam impoſſibilem judicabant; ea nunc ſublata rationibus quas attulimus, conſequens eſſe videtur ut etiam litibus finem imponant.

11. Quod ut magis magiſque comprobetur, audiamus unam ex præcipuis Leibnitii rationibus adverſus Clarkium in Commercio Epiſtolico, quam referens Cl. Femina Domina du Chaſtellet in Inſtitutionibus Phyſicæ §. 74. pag. 75. editionis Italicæ Venetiis an. 1743. negat eſſe hujuſmodi ut quidpiam reſponderi poſſit. Sic autem preſſe ab ea concluditur. „ Si ſpatium eſt quidpiam „ reale & ſine corporibus ſubſiſtens & corpora in eodem collocari poſſunt, res „ eſt prorſus indifferens in quacumque hujus ſimilaris ſpatii parte corpora col- „ locentur, modo eumdem ipſa inter ſe ſitum tueantur. Nulla igitur foret „ ratio ſufficiens cur Deus mundum creaſſet in hoc potius loco in quo eſt, „ quam in quolibet alio, quoniam locare illum poterat in plaga 10000 leu- „ cas diſtante, aut Orientem ponere ubi Occidens reperitur, aut tandem ſus de- „ que vertere quin alius rerum ſitus exſiſteret „. Hactenus laudata Mulier quæ nobiſcum ſentire poteſt, quin aliquid de hujuſce rationis vi detractum putet; propterea quod inane quod a nobis defenditur, non eſt aliquod ſpatium extenſum, in quo corpora tamquam in loco extenſo conſtitui poſſint, non habet plures partes & plagas, in quarum aliqua ut mundus collocetur, opus ſit ſufficienti ratione quæ Divinam voluntatem alioquin indifferentem determinet, uno verbo aliud non eſt niſi pura potentia recipiendi extenſa quæ in Deo ſine ulla prorſus diſtinctione partium tamquam ipſius attributum exſiſtit. Quod ſi credat hinc effici, exſtare non poſſe vacuum neque in eo ſenſu quem nos defendimus, & ideo corpora omnia ſe proxime quaquaverſum contingere, valde fallitur. Equidem ſcio ad id efficiendum aliam etiam rationem eodem rationis ſufficientis principio nixam ab ipſa uſurpari, ſed nullum in ea eſſe momenti faciemus perſpicuum, cum de corpuſculorum figura & limitibus, in quibus illa poſita eſt, diſputabimus.

12. Quemadmodum autem in hac mea vacui ſententia nihil eſt quod Carteſianos deterreat, ita multo minus quidpiam offenditur quod Chriſtianos Philoſophos abſterrere poſſit. His enim, immo & iis, quæ ſequuntur, ſcriptis ad meas manus pervenerunt Elementa Phyſicæ Petri Muſſchembroechii edit. Venetæ apud Bertellum an. 1752. in duos tomos diſtributa cum adnotationibus Anonymi, & in adnotatione ad §. 89. T. I. duo legi, alterum præſtantiſſimis viris Henrico Moro, Joſepho Rapſon, Newtono, Clarkio & in primis Leonardo Leſſio Societatis Jeſu in libro de Divinis Perfectionibus cap. 2. eam jamdudum fuiſſe ſententiam quam nos defendimus, quod ſpatium ab ipſo Deo ejuſque immenſitate non diſtinguatur; alterum eamdem *audentiſſimam* eſſe & ad Spinoſæ doctrinam proclivem. Quam Spinoſiſmi notam eidem aſſeverantius inuſtam offendi in parte priore Elem. Metaph. Cl. Antonii Genuenſis prop. 84. edit. Ven. apud Bettinelli an. 1748. hiſce verbis: *Si ſubſtantia ſpatii vacui eſt*

 Deus,

Deus, Deus eſt ſubſtantia Spinoſæ & Deus Stoicorum. Dem. Si ſubſtantia ſpatii penetrat ſubſtantiam materiæ, ſubſtantia ſpatii & materiæ una eſt (prop. 82.): cum autem quæ eidem ſunt unum, inter ſe ſint unum (prop. 49.), ſi Deus eſt ſubſtantia ſpatii, Deus & ſubſtantia materiæ ſunt eadem ſubſtantia, nempe Deus eſt ſubſtantia Spinoſæ [vide Scholion prop. 21.) & Stoicorum Deus, ſeu mundi το ποιοῦν *..... Certum mihi eſt eos qui ſtatuunt ſubſtantiam ſpatii eſſe Deum, ſtatuere quoque Deum eſſe materiæ ſubſtantiam. Nam cum ſubſtantia ſpatii ſit primum materiæ fundamentum materiamque permeet ita ut nequeat materia exſiſtere ſine ſpatio hoc, profecto materiæ primum fundamentum, ideſt ſubjectum & ſubſtantia, Deus eſt. Quid concludi apertius poſſit non video.*

13. Verum hac cenſura obſtringuntur, qui ſimul vacuum eſſe attributum Dei & tamquam ſpatium in longum, latum & profundum negative extenſum defendunt. Hoc enim pacto extenſionem ſupremo Numini attribuunt, itaque parum internoſcunt a materia, quicum Deus ab impio Spinoſa confunditur. Hos vero falli nos jam docuimus, hujuſque erroris jam reſeravimus fontem, rationem ſcilicet illam ſubtiliter concluſam, ductam ex eo quod extractis e cubiculo corporibus interceptis, & parietibus ejuſdem ſine ullo motu ibidem manentibus, eadem, ac antea, 10 palmorum inter parietes diſtantia permaneat, confirmatam ludificatione quadam imaginationis, quæ eodem tempore corpora omnia e cubiculo exceſſiſſe fingit, & 10 palmos corporeos in eodem ſubſtituit. In meam ergo ſententiam, qui vacuum aliud nihil eſſe volo, quam puram recipiendi extenſa potentiam in Deo poſitam omniſque extenſionis expertem, quomodo dicta cenſura cadere poſſit non video, niſi quis velit nigro theta notare Chriſtianos omnes qui potentiam creandi corpora ab æterno in Deo fuiſſe arbitrantur. Sane Muſſchembroechius §. 91. non impugnat niſi eos Philoſophos qui ita ſpatium vacuum cum Deo confundunt, ut extenſionem ipſimet Deo attribuant: laudatus quoque Anonymus eodem ſpectat. Genuenſis autem aut eodem collimavit ut credo, aut ſi aliud ſpectavit, a ſcopo mihi aberraſſe videtur. Nam vis demonſtrationis in eo poſita eſt, quod duæ ſubſtantiæ ſe perfecte compenetrantes una & eadem ſubſtantia ſint. Ut vero nunc mittam id nec ab eo propoſitione 60, nec a Lochio, quem citat, ulla certa ratione monſtrari, non inficias iverit hanc eſſe communem Theologorum ſententiam qui corpora compenetrari poſſe & revera compenetrata fuiſſe ſine ulla confuſione credunt. Quod ſi hæc tamquam fidei parum conſona non exploduntur, nec illa explodenda eſt, quæ ponit in Deo recipiendi extenſa potentiam & extenſam materiam ſine ulla confuſione Dei & materiæ in Deo eſſe tamquam in loco proprio ſed inextenſo, de quo poſtea diſputabimus: præſertim cum, ut proprie loquamur, Deus non compenetretur cum corporibus, uti extenſum cum alio extenſo, ſed iiſdem dici poteſt ſua ſubſtantia intime præſens, quemadmodum nec ab iis circumſcribitur, tum quia Deus potius eſt in ſeipſo, tum quod in aliis in infinitum quæ creari poſſent, corporibus eſſe poteſt, quin ab alio ad alium locum migret.

14. Concludendum eſt ergo vacuum aliud non eſſe niſi recipiendi extenſa potentiam, hancque, uti & alias rerum poſſibilitates, in Deo tamquam illius attributum ineſſe, nec tamen inde quidpiam detrimenti capere Criſtianam Religionem: quo conſtituto facillime ſolvuntur omnes aliæ quæſtiones quæ circa vacuum agitantur, in quibus dijudicandis dum Auctores verſantur, mirum eſt

in

Digitized by Google

in quos ſe laqueos induant, ut tolerabilius videatur vacuum inter ea, quæ eſſe non poſſunt, reponere, quam illud ita defendere, ut velis eſſe aliquid re ipſa negative extenſum & a Dei ſubſtantia diſtinctum. Quæritur enim a Muſſchembroechio §. 89. citati libri, utrum ſit increatum an creatum. Ex noſtra ſententia manifeſtum fit eſſe increatum & æternum, quin id in aliquam difficultatem incurrat, quemadmodum increatæ ſunt & æternæ, utpote attributa Divina, omnes aliæ rerum creatarum potentiæ ſive poſſibilitates, quin huic omnium qua Philoſophorum qua Theologorum opinioni quidpiam faceſſat negotium. At defendente Muſſchembroechio illius creationem, nemo non videt quibus difficultatibus ea ſententia prematur. Si quis eruditas Anonymi ad eum locum adnotationes adeat, id manibus tanget. Sed non levioribus obruuntur qui ſimul increatum & reipſa extenſum, atque a Deo diſtinctum propugnant, ut ipſum per ſe patet, & videre licet apud eumdem Auctorem qui in re adeo intricata judicium ſuſtinere maluit, quam prava & abſurda proferre. Cujus conſilium univerſim non improbo; in hac autem re ſatis probare non poſſum propter periculum ne impii homines, quibus nunc Europa ſcatet, inde occaſionem arripiant alicujus chriſtiani dogmatis evertendi. Cum enim res a Chriſtianis Philoſophis eo deducta ſit, ut ſimul oſtendatur eſſe poſſe vacuum minime a Deo creatum, & nihilominus ab eodem ſecerni dicatur, quis eos jure cohibere poterit ne ex his efficiant, quidpiam eſſe increati & æterni præter Supremum Numen, quod Chriſtianæ Religioni quantum, ut leviſſime dicam, incommodet Theologi norunt. Quæritur etiam utrum ſit ſubſtantia, vel accidens. Subſtantiam eſſe ex noſtra ſententia plane colligitur ſaltem in ſenſu, ut ajunt, *identico*, quatenus omnia divina attributa ſunt idem ac Deus. At doctiſſimus meique amiciſſimus P. Fortunatus a Brixia, quem honoris cauſſa nomino, tom. 1. Philoſoph. Senſuum Mechanicæ §. 73. edit. an. 1745. neutrum dici poſſe ait, propterea quod eſt ens quidem reale, ſed negativum, non poſitivum, quod ſolum in ſubſtantiam & accidens diſtribui poteſt. Sed entia negativa per ſe exſtare non poſſe eadem ratione ſuadetur, qua poſſibilitates rerum per ſe eſſe non poſſe ſupra evicimus. Reſtat ergo inquirenda ſubſtantia in qua hæc negatio ſit. Quamquam nec veram eſſe negationem jam docuimus. Quæ omnia luculentius confirmant noſtram ſententiam eſſe tenendam, in qua & cum ratione naturali & cum fide Divina omnia mirifice congruunt.

15. Hæc olim diſſerui in Phyſica Generali, ex quibus apparet hanc ſententiam a fidei myſteriis non diſſentire ob illud unum, quod vacuum nulla prorſus extenſione a me donatum ponitur & conficitur. Et revera laudatus Monilia ſimilem Leſſii ſententiam tom. 2. dicti Operis pag. 41. in adnotationibus ſanam vocat ob hanc eamdem rationem. Il *Leſſio* (ſunt ejus verba) *non riconoſce ſpazio reale, eterno, increato, indipendente che conſiſta, in quantità, in eſtenſione, e in parti diſtinte delle quali una non ſia tutte le altre*. Ergo & noſtra ſententia, quæ nullam extenſionem, nullas quantitates, nullaſque partes in Deo ponit, cum ſacra doctrina cohærere dicenda eſt.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Infinita abſolute perfectione Dei.

§. 50. Propoſitio

DEus habet infinitam abſolute perfectionem. Prob. Quod continet in ſe omne poſſibile ens, continet omnes poſſibiles perfectiones, quia ens & perfectio idem ſunt §. 29. Ont. quod continet omnes poſſibiles perfectiones, habet perfectionem abſolute infinitam. Deus autem utpote Ens a ſe, continet omne poſſibile ens §. 175. Ont. Ergo Deus habet perfectionem abſolute infinitam.

§. 51. Objectio

Non oſtenditur Deum habere perfectionem abſolute infinitam, ſi poſſit habere terminos & limites. Atqui poteſt habere terminos & limites, quamvis eoſdem ob imbecillitatem noſtræ mentis ignoremus. Ergo &c.

§. 52. Reſponſio

Poteſt habere terminos & limites, ſi ejuſdem natura eoſdem evidenter non excludat co. ſi excludat ne. Nos enim non tuemur Deum eſſe abſolute infinitum, & nullis circumſcribi limitibus, eo quod nullos cognoſcamus hujuſmodi limites, ſed quia perſpicue novimus talem eſſe Entis a ſe naturam, ut eoſdem omnino reſpuat, quemadmodum noſcimus potentiam recipiendi extenſa eſſe abſolute infinitam, & ſine ullis prorſus limitibus, eoquod quantacumque & quotieſcumque corpora extenſa juxta ſe poni intelligamus, alia in infinitum plura & majora aliis adjungi poſſe evidenter percipimus.

§. 53. Inſtantia

Atqui Entis a ſe natura quoſcumque terminos non reſpuit. Ergo &c. Prob. min. ſub. Ideo reſpueret, quia contineret omne poſſibile ens; atqui hæc ratio non efficit Ens a ſe eſſe abſolute infinitum, & quibuſcumque terminis carere. Ergo &c. Prob. min. Hæc ratio id non efficit, ſi non conſtet entia poſſibilia eſſe abſolute infinita; atqui non conſtat entia poſſibilia eſſe abſolute infinita. Ergo &c. Prob. min. finita mens noſtra id evidenter noſcere nequit. Ergo &c.

§. 54. Reſponſio

Diſt. Noſtra finita mens id evidenter noſcere nequit idea poſitiva co. negativa ne. Nam §. 7. & ſeq. explicavi, qui noſtra finita mens in-

Digitized by Google

infinitum negative cognoſcat. Hac vero idea negativa in certam cognitionem venimus Deum numquam pervenire poſſe ad illum corporum & animarum numerum creandum, ultra quem alia corpora aliaſque animas e nihilo educere nequeat. Simul ac enim unum ex iis creare potuit, manifeſto ſequitur potentiam ipſius eſſe infinitam, utpote quæ infinitam, qualis eſt inter nihil & ens, diſtantiam tranſilit, §. 17.; & nullam eſſe rationem cur potius creare poſſit 100, quam 1000, potius 1000 quam 10000, aut alium determinatum eorum numerum, quam alium quemcumque. Cum ergo Deus ab æterno habere debeat id omne, quod veri entis eſt in rebus, quæ ab ipſo creari poſſint §. 175. Ont. perſpicuum fit infinitam abſolute perfectionem in eodem eſſe oportere, ſi corpora & animas in infinitum creare poteſt.

§. 55. Inſtantia & Reſponſio

Atqui hæc infinita corpora & animæ, quæ a Deo creari poſſunt, minime evincunt infinita entia infinitaſque perfectiones in Deo reperiri. Ergo &c. Prob. min. ſub. Id non evincunt, ſi quod attinet ad ſubſtantiam, ſimilia ſunt, & ceteroquin in Deo non debeat eſſe exſiſtentia omnium entium quæ ab ipſo creari queunt, ſed ſolum eſſe ſimile illi, quod in rebus creatis exſiſtit: atqui corpora ſimilia ſunt quod attinet ad ſubſtantiam, & de animis ſaltem id ignoramus, atque alterum ex iis quæ ſumſimus, conſtat ex iis, quæ §. 177. diſputavimus. Ergo &c.

1. Mitto majorem, quæ jure ac merito negari poſſet; cum enim Deus non ſolum a principio creare debeat, verum etiam perpetuo conſervare res ab ipſo creatas, ut in Ontologia §. 201. docuimus, utque etiam infra docebimus, quis non videt ipſius virtutem ac perfectionem eſſe abſolute infinitam ex eo ſolum, quod infinitis ſubſtantiis tametſi ſimilibus creandis ac eodem tempore ſimul conſervandis ſufficere poteſt? Mitto, inquam, majorem, & ſic minorem propoſitionem diſtinguo; atqui corpora quod attinet ad ſubſtantiam, ſimilia ſunt in communi ſententia co.; in noſtra, quæ invicte monſtrata eſt, ne. Cum enim ex altera parte docuerim unum continuum extenſum aliud alio in infinitum denſius eſſe poſſe §. 91. Ont. & ex altera quodlibet creatum corpuſculum, utpote minime compreſſionis aut diviſionis capax, invariabiles habere eas denſitates, figuras, atque magnitudines, quibuſcum ab initio creatum eſt §. 235. Ont. manifeſte colligitur tres ſubſtantiales denſitatis, magnitudinis atque figuræ differentias eaſque in infinitum, ut de prima jam oſtenſum eſt, & de ſecunda & tertia

per

per ſe conſtat, variabiles inter ſingula, quæ in infinitum creari poſſunt, corpuſcula poſſe reperiri. Cum ergo in Deo eſſe debeat omne illud ens, quod in rebus creatis eſſe poteſt, & hæc diſſimilia entia in ipſiſmet corporibus in infinitum eſſe queant, multo magis perſpicuum ſit infinita abſolute entia infinitaſque perfectiones in eodem eſſe oportere.

§. 56. Corollaria

Ex his intelligitur primo quid ſit perfectio pura & ſimpliciter ſimplex, quid ea quæ eſt mixta & appellatur ſecundum quid. Prima eſt ea quæ eſt ſolum ens, quia ens & perfectio idem ſunt §. 29. Ont. ſecunda quæ eſt partim ens, partim negatio entis.

2. Intelligitur ſecundo omnes rerum creatarum perfectiones eſſe in Deo meliori modo quam in creatis rebus; nam in his ſunt conjunctæ cum negationibus, ideſt cum imperfectionibus, quia negatio & imperfectio idem ſunt; nam infra oſtendemus omnes creatas res eſſe finitas debere, aut ſaltem abſolute infinitas eſſe non poſſe. In Deo vero omnes ſimul poſſibiles perfectiones, ſive omnia entia reperiuntur, atque idcirco ſine ulla prorſus imperfectione.

3. Inde ſit Deum nullam ex rebus creatis perfectionem atque ideo bonum acquirere, atque idcirco ipſum per ſe eſſe beatiſſimum, eoquod ſeipſum utpote ſummum bonum cognoſcit & amat, & ſui ipſius cognitione & amore ſummo bono fruitur, quin ad aliquod novum gaudium percipiendum opus habeat creatione corporum & animarum, propterea quod nullam Deo jam perfectiſſimo res creatæ perfectionem addere poſſunt.

§. 57. Scholion III.

Iſrael Theophilus Canzius in libro inſcripto, *Philoſophiæ Leibnit. & Wolph. uſus in Theologia*, edito Francofurti & Lipſiæ an. 1749. cap. 1. ſect. IV. §. 277. & ſeq. ex rationis ſufficientis principio elicit nullos perfectionum limites eſſe in Deo, atque idcirco Deum eſſe abſolutum, quia cum natura cujuslibet rei univerſe conſideratæ ex æquo capax ſit his aut aliis limitibus gradibuſque recipiendis, in Ente a ſe nullo modo ab aliis pendente nulla poteſt eſſe ratio, cur hos potius habeat, quam alios quoſcumque. Verum hæc ratio ſatis quidem eſt ad illud oſtendendum nullum ex entibus poſſibilibus ſive perfectionibus in ente a ſe poſſe deſiderari, atque ad id obtinendum jam illam in ſuperioribus uſurpavi. Sed quo efficiamus has perfectiones eſſe in eodem abſolute infinitas, neceſſarium eſſe puto docere id, in quo paulo ante verſatus ſum, prorſus repugnare, ut in poſſibilibus perfectionibus terminus aliquis definiri poſſit. Nam ſi entia poſſibilia forent numero finita, ens a ſe, in quo omne poſſibile ens contineatur oportet, haberet quidem limites ſed neceſſarios, & in has neceſſitate foret ratio ſufficiens, cur eoſdem haberet. Siquidem ut alias ad-

Digitized by Google

adverti §.75. Log. cum plura eſſe poſſunt, non autem ſimul, tunc ut aliquid eorum potius exſiſtat, quam aliud quodcumque, ratio ſufficiens eſſe debet. At cum unum tantum eſſe neceſſarium eſt, ipſa neceſſitas eſt ratio ſufficiens cur ſit. Quare ſi poſſibilia entia forent numero finita, Ens a ſe neceſſario ea tantum haberet, & idcirco foret finitum, horumque limitum ea foret ſufficiens ratio, quod nullum aliud ens nullaque alia perfectio in eo poſſet exſiſtere. Igitur orationem in ſuperiorem locum inducere neceſſe fuit ad omne effugium præcludendum adverſariis, inter quos recenſeri poteſt Hobbeſius, qui ſolam agnoſcit in Deo relativam infinitatem, non abſolutam, ut ex his verbis lib. *de Cive* Cap. 15. §. 14. apparet. ***Qui cum Deum infinitum vocat, hoc tantum illa oratione indicat ſeſe neſcire an & ubi Deus terminetur, is profecto non ſtatuit Deum revera nullis finibus aut limitibus contineri aut potentiam, ſapientiam & reliquas perfectiones omni modo carere, ſed hoc tantum ſcire vult alios, tametſi nihil repugnat ne Deus finitus ſit, ſeſe tamen quouſque limites ejus pertineant, non intelligere.***

2. Hic vero locus etiam magis magiſque illuſtrabitur ex aliis ejuſdem attributis. Nam ſi exempli loco in medium proferamus divinum intellectum, ex natura entis a ſe & ex iis quæ ſupra diſputavimus, perſpicuum fit Deum omnia poſſibilia cognoſcere; poſſibilia autem nullo determinato numero contineri paulo ante docuimus, & ſi aliquis infinitus eorum numerus reipſa extra Deum exſtare poteſt, jam oſtendimus in Ontologia §. 140. & ſeq. in infinitum alia aliis majora exſiſtere poſſe. Mens autem quæ objecta nullo prorſus termino aut numero circumſcripta cognoſcit, ſit prorſus & abſolute infinita neceſſe eſt.

3. Aliqua poteſt eſſe difficultas in divina immenſitate. Nam ſi vera foret ſententia Suarezii re ipſa exſiſtere ſpatia imaginaria, eademque infinita, facile defendi poſſet Deum reipſa eſſe immenſum, utpote infinitis ſpatiis præſentem. Verum cum hæc prorſus a vero aberret, quod inane nihil eſt extra Deum, nec reapſe extenſum, ſed ſola recipiendi extenſa potentia, quæ in Deo reperitur; qua de re Canzius citat etiam Wittichium qui in *conſenſu veritatis* pag. 86. & ſeq. adverſus Suarezium de ſpatiis imaginariis Deo repletis ſcribentem diſputat, inde compertum fit Deum vere non poſſe dici præſentem niſi mundo creato, atque idcirco loco finito, quia mundus limitibus coercetur. Nihilo tamen minus Deus dici poteſt immenſus, non quia reapſe ſit præſens infinito loco, ſed quia proximam habet potentiam, qua præſens fiat aliis aliiſque ſine ullo termino locis, & nihil illi deeſt ad hoc ut fiat præſens, deſunt tantum infinita loca, ad quæ reipſa poſſit referri; quæ ſi ab ipſo creentur, fit continuo præſens ſine ulla interiori ſui mutatione, ut paulo ante §. 38. explicavimus.

CAPUT QUINTUM.

De æternitate Dei.

§. 58. Propoſitio

DEum ab æterno fuiſſe & in æternum eſſe duraturum jam oſtendimus in Logica §. 100. Nunc vero ſtatuimus nullam

Digitized by Google

ante mundi creationem durationem actu & reipſa ſucceſſivam fuiſſe. Quod ita conficimus. Succeſſiva duratio non poteſt eſſe ſine rebus, quarum aliæ aliis ſuccedant, quia duratio non eſt ſubſtantia, quæ per ſe poſſit exſtare, ſed modus rerum, quæ durant, qui modus ſine rebus hujuſmodi eſſe non poteſt. Atqui ante mundi creationem non erant res, quarum aliæ aliis ſuccederent; erat enim ſolus Deus ſive Ens a ſe, in quo, utpote immutabili, eadem omnia quæ nunc ſunt, ab æterno fuerunt, & in æternum erunt §. 27. Ergo ante mundi creationem nulla erat reipſa ſucceſſiva duratio.

§. 59. Objectio

Apud laudatum Canzium citat. libro cap. I. ſect. V. illuſtris quidam auctor contendit eſſe in Deo ſucceſſivam durationem, itaque ſuadere conatur. Sunt in Deo plura momenta inter ſe diſtincta. Ergo in Deo eſt ſucceſſiva duratio.

§. 60. Reſponſio

Diſt. ant. ſunt in Deo plura momenta in potentia co. actu ne. & ſimiliter diſtinguo conſequens. Nam ſicuti in Deo ante mundi creationem non eſt actu & reipſa aliquis locus extenſus & verum ſpatium, ſed ſola potentia creandi corpora extenſa, quæ ſunt verum ſpatium & locus, eaque in ſe recipiendi §. 57. & ſeq. Ont. ita non eſt ulla reipſa ſucceſſiva duratio propter allatam rationem, ſed ſolum potentia creandi res, quarum aliæ aliis ſuccederent, & una cum rebus ſucceſſivam durationem, atque idcirco ſola cum iiſdem rebus exſiſtendi potentia. Momenta autem, utpote initium, continuatio, aut finis durationis, non ſunt actu ante mundi creationem, ſed ſolum potentia, quemadmodum eſt etiam ſola potentia durationis, cujus ſunt termini, & ſine qua reipſa eſſe non poſſunt.

§. 61. Inſtantia

Atqui momenta & duratio, in qua illa ſunt, ante mundi creationem re ipſa in Deo reperiuntur. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Si non forent hæc plura in Deo momenta, Deus ſuum æternum mundi creandi decretum non retuliſſet nec potuiſſet referre ad hoc potius momentum, in quo creavit, quam ad aliud quodcumque. Atqui ſi æternum creandi mundi decretum ad hoc potius momentum, quam ad aliud, non retuliſſet, aut referre potuiſſet, ab æterno neceſſario creaſſet. Id autem omnino falſum eſt. Ergo &c. Prob. min. Nulla tunc fuiſſet ratio ſufficiens, cur mundum ab æterno non crearit, ſicuti ab æterno habuit voluntatem creandi. Ergo &c.

§. 62.

§. 62. Reſponſio

Diſt. ant. ſi mundus ab æterno eſſe poſſet co. aliter ne. Nam præter ea quæ ad hanc difficultatem §. 27. reſpondimus, adverto, ſi quis ita argumentum concludat, ſi Deus non decrevit condere mundum in hac potius vacui parte, quam in alia quacumque, debuit mundum creare in toto infinito vacuo atque idcirco infinite extenſum, facilem eſſe reſpondendi rationem, quia cum ſit hoc extenſum vacuum, atque idcirco nec ullas habeat partes, in quarum altera mundus collocari poſſit, non in aliis, non eſt neceſſarium, ut Dēus ſuam dirigat voluntatem ad illum potius in una parte creandum, non in aliis, nec ex eo, quod hac voluntate caruerit, ſequitur mundum eſſe infinitum, ſi aut talis eſſe nequeat, aut etiamſi poſſit, Deus ad illum finitis quibuſdam limitibus circumſcriptum creandum ſe libere determinarit. Res vero ita ſe habet etiam in duratione. Ante mundi creationem nulla eſt reipſa ſucceſſiva duratio, & idcirco nullæ ipſius diſtinctæ partes, aut momenta, in quorum uno Deus præ ceteris mundum creare poſſit. Ergo ex eo, quod Deus ſuam voluntatem ad nullum æternitatis momentum direxit, non continuo ſequitur mundum creatum fuiſſe ab æterno; eoquod ab æterno eſſe non poteſt, ut infra docebo, & ſi etiam quiret, poſſet tamen Deus ſe libere determinare ad illum non ab æternitate creandum, quemadmodum mundum in extenſione finitum creavit, aut quia infinite extenſus, ut aliqui putant §. 141. & ſeq. Ont. eſſe nequit, aut etiamſi poſſit ut ibi docuimus, ſua libera voluntate eumdem cum talibus terminis condere potuit.

§. 63. Inſtantia

Sed urget laudatus auctor. Etiamſi Mundus ab æterno eſſe non potuerit, tamen Deus poterat illum creare prius quam creavit; atqui ſi poterat creare prius quam creavit, ſunt ante mundi creationem prius atque poſterius, atque idcirco temporis & ſucceſſivæ durationis partes. Ergo &c. Prob. maj. Deus ſemper habuit liberam creandi mundi & expeditam potentiam, quotieſcumque eidem libuerit. Ergo &c.

§. 64. Reſponſio

Diſt. conſ. ſunt ante mundi creationem prius atque poſterius potentia co. actu ne. Nam ſi quis contendat ante mundi creationem fuiſſe ſpatium, concedam quod attinet ad potentiam, negabo quod ad actum; primum, quia quamvis Deus non ſit extenſus, habet tamen potentiam creandi & in ſe recipiendi extenſa, in quibus ſolis poteſt eſſe ſpatium, quod reapſe extenſum eſſe debet §. 57.

Ont. ſecundum autem, quia cum nulla in Deum reipſa cadat extenſio, nec reipſa ante mundi creationem eſſe quit ſpatium, quod ſine extenſione eſſe non poteſt. Similiter me gero hac in re. Cum Deus nullam habeat in ſe ipſo rerum ſucceſſionem, nec aliquando eſſe incipiat, ſed tamen poſſit creare res, quarum aliæ aliis ſuccedant, poſtquam incœperint exſiſtere, ſequitur in ipſo ante mundi creationem fuiſſe tempus & rerum ſucceſſionem, & prius atque poſterius, quæ ſunt temporis partes, potentia, non vero actu, & prius in mundi creatione incœpiſſe, poſterius autem in ejuſdem duratione exſtitiſſe.

2. Quamobrem cum has voces uſurpamus, mille annos, biſmille, termille &c. ante mundi creationem & ſimiles, ideis imaginariis abutimur, nobiſque fingimus curſus & periodos, quæ fuerint antequam fuerint, perinde ac cum dicimus eductis ex cubiculo omnibus corporibus inter parietes decem palmorum diſtantiam reſtare; nam hoc pacto eodem tempore ponimus omnia corpora extracta fuiſſe, & ſimul decem palmos, qui non poſſunt eſſe niſi corpora, mente ſubſtituimus. De quo vide, quæ in Ontologia §.57.& ſeq. diſputata ſunt.

CAPUT SEXTUM.

De unitate Dei.

§. *65*. Propoſitio

JAm oſtendimus in Ontologia Ens a ſe eſſe unam tantum ſubſtantiam §. *199*. eamque ab animabus atque corporibus diſtinctam, & infra quoque accuratius oſtendemus. Nunc aliqua objecta ſolvenda ſunt.

§. *66*. Objectio

Nulla ratione evidenti conficitur repugnare duo aut plura entia a ſe. Ergo Ens a ſe non eſt unum tantum. Prob. ant. nulla evidenti ratione conficitur repugnare duo aut plura infinita. Ergo &c. Prob. ant. Nos id oſtendimus §. Ont. Ergo &c.

§. *67*. Reſponſio

Diſt. conſ. Nulla evidenti ratione conficitur repugnare duo infinita relativa co. abſoluta ne. Infinitum relativum eſt infinitum quidem ratione habita unius rei, non autem ratione habita omnium aliarum, ad quas ſi referatur, poteſt eſſe vel æquale, vel minus etiam in infinitum, cujuſmodi ſunt illæ infinitæ quantitates,

quas

quas in Ontologia citato loco explicavi, quæ ad aliquas relatæ ſunt infinitæ, ad aliquas alias finitæ, ad aliquas alias infinite parvæ. Hæc autem infinita plura eſſe poſſe conſtat ex iis, quæ citato loco diſputavimus, & ex hoc uno, quod ſi numerus hominum eſſet infinitus, multo major eſſet numerus capillorum: & ratio a priori eſt, quia hæc infinita non continent omne poſſibile. At infinitum abſolutum, cujuſmodi eſt ens a ſe, eſt infinitum in omni genere, & ideo continet omne poſſibile ens. Ergo cum non poſſint eſſe duo, quorum quodlibet continet omne poſſibile ens, quia unum ex iis non contineret ens, quod eſt in altero, conſtat ens a ſe ſive Deum eſſe unum tantum.

§. *68.* Inſtantia

Atqui nulla evidenti ratione conficitur repugnare duo aut plura infinita abſoluta. Ergo &c. Prob. min. ſub. Allata ratione probatur repugnare quidem duo infinita abſoluta diſſimilia, non autem duo ſimilia. Ergo &c. Prob. ant. Quodlibet ex iis duobus abſolutis infinitis nihilominus haberet in ſe omne poſſibile ens. Ergo &c. Prob. ant. Ideo unum ex iis non haberet, quia omne poſſibile ens foret etiam in altero; atqui hæc ratio non obſtat. Ergo &c. Prob. min. Quamvis per nos Deus habeat omne poſſibile ens, non obſtat quominus ſint alia entia diſtincta in individuo, ſed quod attinet ad id, quod eſt entis in ipſis, eidem ſimilia §. 177. Ont. Ergo ratio ducta ab eo, quod Ens a ſe continet omne poſſibile ens, non obſtat quominus duo aut plura eſſe poſſint Entia a ſe infinita prorſus ſimilia.

§. *69.* Reſponſio

Nego conſeq. & paritatem. Nam etſi in corporibus & animis ſit aliquod ens, cujus ſimile eſt in Deo, quodque ab eo, quod in Deo eſt, diſtinguatur, tamen ortum & exſiſtentiam recipit ab Ente a ſe. Unde Ens a ſe ſi non habet tamquam aliquid internum id quod eſt in rebus creatis, tamen continet tamquam ejuſdem cauſſa. At in duobus entibus a ſe ens quod in altero eſt, nulla ratione pendet ab altero ente, & idcirco hoc alterum Ens contineret omne poſſibile ens, ut in ſuperioribus oſtendimus, atque ut hic evincitur, nulla ratione contineret illud, quod in altero reperiretur.

2. De duobus vero aut pluribus Entibus a ſe diſſimilibus eadem non eſſe poſſe manifeſte colligitur ex eo, quod in hujuſmodi eventu Ens a ſe foret indifferens ut poſſet conjungi aut cum hac, aut cum illa differentia. Ens autem a ſe ita indifferens eſſe nequit. Cum enim duo eſſe poſſint, non vero ſimul, ratio ſufficiens eſſe debet, cur primum Ens a ſe conjungatur cum hac prima differen-

rentia, non cum altera; ſecundum vero cum hac altera, non cum prima. Hæc autem ratio eſſe non poteſt nec externa in alio tertio Ente, eoquod Entia a ſe a nullo pendere poſſunt, nec interior & inſita in natura Entis a ſe, proptereaquod Ens a ſe cum utraque poſſet indifferenter copulari. Quare cum debeat eſſe ratio ſufficiens, cur aliquid potius ſit quam aliud, quando duo eſſe poſſunt, non ſimul §. 75. Log. inde conficitur duo aut plura entia a ſe diſſimilia in hac rerum univerſitate conſtare nequire.

3. Quo uno evertitur ſyſtema Manichæorum putantium duo reperiri entia a ſe, alterum bonum quod ſit Principium & cauſſa omnium bonorum, alterum malum, quod omnium malorum. Rationi autem ab inſanis productæ, & depromtæ, quod idem Ens a ſe non poteſt eſſe bonorum, atque malorum principium, in conſequentibus ſatisfaciemus.

§. 70. Inſtantia

Atqui nulla evidenti ratione conficitur duo aut plura entia a ſe prorſus ſimilia eſſe nequire, etiamſi alterum ab altero non pendeat. Ergo &c. Prob. min. ſub. Nulla evidenti ratione id conficitur, ſi nulla pariter evidenti ſuadetur duo aut plura Entia a ſe prorſus ſimilia, unum tantum individuum unamque ſubſtantiam eſſe; atqui nulla evidenti ratione ſuadetur duo Entia a ſe prorſus ſimilia eſſe unum tantum individuum. Ergo &c. Prob. min. Principium Indiſcernibilium Leibnitii, quod in eo poſitum eſt, ut nihil eſſe poſſit alteri prorſus ſimile, eoquod illa unum ſunt, quæ non poſſunt diſtingui, & ſi prorſus ſimilia ſunt, nulla in re diſcerni queunt, hoc, inquam, Principium aut falſum eſt, aut dubium. Ergo &c.

§. 71. Reſponſio

Diſt. ant. Hoc principium eſt falſum aut dubium in Entibus ab alio co. in Entibus a ſe ſubd. ſi habeatur ratio ſolius generalis rationis, quam affert Leibnitius pro omnibus entibus co. ſi alio modo uſurpetur & confirmetur ne. Supra laudatus Canzius cap. I. ſect. VI. rationes ab aliis allatas pro Dei unitate nullius eſſe momenti vult, niſi dicto Leibnitii principio confirmentur. Verum diſplicet rem, in qua eſt cardo univerſæ Theologiæ Naturalis, tali niti principio, quod ut leviſſime dicam, ſaltem valde incertum eſt, ſi univerſe accipiatur. Quis enim concoquere poteſt Deum nullo prorſus pacto poſſe creare duo corpuſcula omnino æqualia, æqualiter denſa, & iiſdem limitibus circumſcripta atque idcirco omni ex parte ſimilia, immo etiam in hac rerum univerſitate ſimiliter poſita, ſi eadem, ut fieri poteſt §. 91. Ont. compenetrata ponamus?

Quid

Digitized by Google

Quid repugnantis eſt in hac re? In nullo, inquiunt Leibnitiani, differrent. Ergo eſſent idem & unum corpuſculum. At ex eo, quod non diſcreparent aliqua differentia ſpecifica, non continuo ſequeretur nec individualibus diſſidere. Prius doceant oportet individuales differentias ſine aliqua ſpecifica non poſſe conſiſtere. Quod ſane non ita facile præſtiterint.

2. Quamobrem ajo hoc principium poſſe quidem uſurpari in entibus a ſe, ſed non ob eam generalem rationem, propter quam Leibnitiani volunt idem ad entia quoque ab alio pertinere, ſed ob eam particularem, quam in Ont. §. 199. concluſimus, quod cum entia ab alio etiam omnino ſimilia poſſint in ſtatu ſolius poſſibilitatis reperiri, ens vero a ſe ita neceſſario exſiſtat, ut in ſtatu meræ poſſibilitatis tamquam poſſibile amplius intelligi nequeat, illa quidem poſsunt ut adhuc ad ſingulares determinationes indifferentia plures ex iiſdem accipere; hoc autem ut pote omnino determinatum etiam quod attinet ad exſiſtentiam, nequaquam; niſi velimus exſiſtentiam, per quam res omnino determinatur §. 111. Log. eſse adhuc indifferentem ad plures ſingulares determinationes, ſive, quod eodem revolvitur, ad plures exſiſtentias. Hanc autem a me allatam rationem, quæ alia eſt atque illæ communes, quas Canzius impugnat, in Diatriba, quæ mox ſequetur, latius dilatabo, & acrius urgebo.

§. 71. SCHOLION IV.

Cum duobus ab hinc annis Academia Leidenſis, propoſito premio, demonſtrationem poſtulaſſet hujus enuntiationis, *ex eo quod aliquid exſtat, ſequitur exſiſtere ens neceſſarium, æternum, immutabile, atque ab hoc mundo diſtinctum atque ſecretum*, ad eamdem oſtendendam commentarium exaravi, quem operæ pretium arbitror hic edere in lucem, propter eaquod meas hanc in rem cogitationes latius explicavi, & niſi fallor, ad Atheos convincendos firmius propoſui.

Diatriba de Exſiſtentia Dei.

I.

Neminem latet, quam multi hodiernum ſint in Europa, qui ad Chriſtianæ Religionis fundamenta evertenda ingenio atque rationibus a Philoſophia depromtis abutuntur. Cui malo, quod in dies longius manat, ut occurreretur, alia aliis in locis excogitata ſunt. In Cl. vero Leidenſi Academia captum eſt conſilium varias doctis viris alternatim proponendi quæſtiones, quæ ad Naturalem Theologiam atque ad Chriſtianam Moralem pertinerent, in quibus ſolvendis dum ſe exercerent, totius veræ Religionis bono conſulerent. Nunc vero Cl. Profeſſores initium ab illa enuntiatione ducentes, quæ in uniuerſa Theologia ducit familiam; *ex eo quod aliquid exſtat, ſequitur exſiſtere ens neceſſarium, æternum, immutabile, atque ab hoc mundo diſtinctum atque ſecretum*, ejuſdem poſtulant demonſtrationem.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De exſiſtentia Entis a ſe.

3.

QUo ipſorum votis pro virili portione ſatisfaciam, oſtendendum ſuſcipio, ex eo, quod exſiſtit aliquod ens, neceſſario conſequi exſtare quoque ens a ſe. Quod profecto evidentiſſime patet, ſi entia ſint numero finita, uti centum; nam etſi præter ultimum alia ab aliis continuata ſerie proficiſcantur, ultimum tamen uti centeſimum, ab alio nullo procedere poteſt, eo quod aliud nullum ultra ipſum conſtare poſitum eſt. Nec enim expecto, dum quis ajat ultimum a primo, vel ab alio ejuſdem ſeriei ortum ducere; propterea quod ſi res ita foret, ultimum eſſet eodem tempore & cauſſa primi, dum hoc ab illo adminiculo interjectorum oriri ponitur, & effectus, ſi etiam ultimum eſſe a primo ſuſtineremus. Id quod manifeſtam complectitur contradictionem. Quare ſi quæ exſtant entia, finito numero continentur, aliquod ſaltem ens ab alio exſiſtere nullo, atque idcirco eſſe a ſe neceſſario conſequitur.

3.

Verum Athei ut latebram ſibi quærant, hanc entium, quorum alia ab aliis exſiſtunt, ſeriem continuant in infinitum; cumque infinitum tranſiri non poſſit, nec ultimum in eo deſignari, negant ſe ullo modo premi ratione modo concluſa, eo quod in ſerie infinita perveniri nequit ad ultimum ens ab alio, quod neceſſario procedere debeat ab ente a ſe.

4.

Multa a multis excogitata ſunt ad hoc effugium Divinitatis oſoribus præcludendum. Sunt enim qui arcem ipſam Atheorum invadunt, & eſſe poſſe negant infinitam cauſſarum ſeriem, iiſque docent rationibus, quæ vulgo a Philoſophis qua Ariſtotelæis, qua Recentioribus afferuntur, ad perſuadendum exſtare non poſſe in continuo aut permanenti, qualia ſunt corpora extenſa, aut ſucceſſivo, qualis eſt motus & tempus, aliquod reipſa infinitum. Verum mihi hanc inſiſtere viam integrum non eſt, qui tomo I. Phyſicæ Gen. §. 88. & ſeq. & II. §. 435., atque in Ont. §. 140. & ſeq. docuerim nullis confici rationibus ex numero rerum, quæ eſſe queunt, quantitatem infinitam excludi oportere, & præſertim iis ſatisfecerim, quæ a Cl. Viris Achardo tom. 2. Comment. Acad. Berolinenſis, & Buſchovichio S. J. in Collegio Romano Matheſeos Profeſſore in medium productæ fuerunt: immo eodem tomo II. §. 434. num. 11. infinite parva aut magna reapſe eſſe quire tantum non demonſtrarim. Quamobrem alio nos vertamus neceſſe eſt, ſiquid hac in re adverſus Divini Numinis hoſtes tenere volumus.

5.

Primum ergo ſtatui poteſt eum, qui quantitatem aliquam infinite parvam aut magnam admiſerit, non poſſe inficiari poſſibilitatem aliarum, quæ illam aut exæquent, aut etiam tum finitis partibus ſuperent, tum infinitis. Alterum enim ex altero neceſſario conſequitur, ut iidem locis plane confeci, & cuique compertum fieri quit ex uno circulo infinitæ diametri, ex qua ſi abſciſſa finita ſumatur, & ad eam reſpondens ſemiordinata uſque ad peripheriam du-

ducatur, ex geometrica inter reſiduam ex diametro, ſemiordinatam & abſciſſam proportione manifeſtum ſit dari infinitum alio majus in infinitum. Quamobrem ſi eſt infinita ſeries entium, quorum alia ab aliis proficiſcuntur, dari etiam poſſunt numerus, progreſſio, motus, aliaque id generis infinita. Quo poſito aſſentior quidem ſeriem infinitam numero & progreſſione finitis pertranſiri non poſſe, ajo tamen id fieri poſſe infinitis; quemadmodum ſpatium infinitum finita velocitate peragrari non quit, bene vero infinita. Quod ſi res ita eſt & ad horum entium finem perveniatur, ratio ſupra concluſa adhuc tenet, & extra illam ſeriem entium ab alio ratio cur exſtent, quærenda eſt in alio ente, a quo omnia proficiſcantur.

6.

Quod ſi Adverſarii ſe his premi negent, & nihilominus velint eam ſeriem eſſe ab alio nullo extra illam poſito, atque ideo a ſe, ſic homines urgeo. Illa ſeries foret ſimul a ſe, & non a ſe; foret a ſe, quia ut ab ipſis ſtatuitur, ab alio nullo extra eamdem collocato penderet; non foret a ſe, quia iiſdem fatentibus, nullum ex ejuſdem entibus foret a ſe. Hæc autem duo manifeſte repugnant. Ergo cauſſam adverſus eoſdem obtineo.

7.

At enim id cum ratione non pugnat; fieri enim poteſt, ut illud attributum a ſe, quæ eſt ratio ſufficiens per quam intelligi poteſt, cur ſeries exſiſtat, in entia ab alio infinita ſimul conjuncta conveniat, tametſi in nullum cadat ex iis ſeorſim acceptum, ut figura rotunda partibus ſphæræ copulatis, aut exercitus militibus & ducibus ſimul junctis conveniunt, quamvis aut illa in nullam ex ſingulis partibus, aut hic in neminem ex ſingulis ducibus atque militibus quadret.

8.

Huc eos volebam; nam ex hujus ſolutione difficultatis manifeſte conſtabit neceſſitas entis a ſe, niſi quis primis Philoſophiæ principiis nuntium velit remittere. Eam vero peto ex Ontologiæ principiis quæ §. 173. Ont. diligenter expoſui. Nam ex his conſtat duo eſſe genera eorum, quæ in rem ex pluribus compoſitam cadunt; alia enim ſunt in ſingulis partibus etiam ſeorſim acceptis; alia vero ſolum in iis, quatenus inter ipſas conjunctæ ſunt, repeniuntur. Unde prima a conjunctione partium non pendent, bene vero ſecunda, quæ proinde relationem inter partes ſignificent neceſſe eſt. Nam cauſſa quæ pura relatio eſt, non poteſt gignere niſi relativum effectum. Jam vero copulatio eſt pura inter partes relatio. Ergo ipſa per ſe effectum tantummodo relativum gignat oportet. Ex quo fit ut prima ſi in ſingulis partibus, aut in aliqua earum non ſint, nec in iis ſimul copulatis eſſe queant; qualis eſt vis motrix, quæ cum relationem inter partes ſibi non velit, ab earum conjunctione ducere non poteſt originem, & ſi ſingulis corporum particulis non inſit, neque in iiſdem copulatis reperitur. Secunda vero non in ſingulis ſeorſim acceptis, ſed ſolum in iiſdem copulatis, utpote ex ipſamet orta conjunctione, deprehenduntur; qualis eſt exercitus, qui non in ſingulis ducibus atque militibus, ſed in iiſdem conjunctis poſitus eſt, qualis eſt etiam figura rotunda, quæ relationem inter plures ſphæræ partes complectitur, & qualis eſt quoque numerus, qui exſiſtit ex pluribus unitatibus, quæ unum aliquod facere intelliguntur.

Digitized by Google

9.

Quibus ex Ontologia prælibatis, nemo non videt ſummam quæſtionem eo revolvi, ut videamus, an illud attributum *eſſe a ſe*, ſit ex primo genere, an vero ex ſecundo, & exempla ab Adverſariis allata non facere ad rem, qua de agimus, niſi *eſſe a ſe*, exercitum, atque figuram eodem genere contineri monſtrent. Quod certe ab iis præſtari non poſſe ex eo manifeſte colligitur, quod producta ab ipſis exempla ſunt ex genere relativorum, ut docui; eſſe vero a ſe non ſolum eſt abſolutum, verum eſt omnium maxime, ſive ſimpliciter abſolutum. Nam abſolutum eſt res ipſa in ſe conſiderata, quæque intelligi poteſt ſaltem quod attinet ad eſſentiam, quin alia res ab ipſa diſtincta intelligatur §. 11. Log. Relativum autem eſt res, quatenus cognoſcitur ratione habita alterius, ſive quæ cognoſci nequit, quin alia res ab ipſa diſtincta percipiatur. Jam vero entia ab alio etſi cognoſci queant ſine relatione ad aliud ens pariter ab alio, ut certus homo ſine reſpectu ad alterum hominem, tamen quod pertinet ad ipſorum eſſentiam, intelligi nequeunt ſaltem ſine relatione ad aliud ens, a quo ducunt originem, quia cum eſſe non queant a ſe, origo & effluxus ipſorum ab alio interiorem eorumdem eſſentiam ſaltem ex parte conſtituit. At ens a ſe ſine ulla prorſus relatione ad aliud ens quit intelligi ob id ipſum, quod eſt a ſe, & ab aliquo alio non pendet. Quamobrem ens a ſe non ſolum eſt abſolutum, verum etiam eſt omnium maxime & ſimpliciter tale.

10.

Cum vero entia abſoluta ſi non ſunt in ſingulis partibus, aut ſaltem in aliqua earum, nec in iis conjunctis exſiſtere poſſint; qui fieri poteſt ut quod attributum a ſe eſt omnium maxime & ſimpliciter abſolutum, in illius infinitæ ſeriei, quæ eſt compoſitum infinitorum entium aliorum ab aliis, nullo ente ſeorſim reperiatur, & nihilominus ex iiſdem copulatis exſiſtat? Quamobrem manet, quod propoſitum eſt, illa duo, ſeriem infinitorum entium aliorum ab aliis eſſe ſimul a ſe, & non a ſe, ex Atheorum hypotheſi conſequi, & manifeſtam continere contradictionem.

11.

Verumtamen urgere poſſunt etiam ea, quæ relationem inter partes rei compoſitæ nequaquam ſignificant, poſſe ab earum conjunctione proficiſci, in iiſque copulatis reperiri, tametſi in eaſdem ſeorſim acceptas non cadant. Nam ex. g. ſonus tubæ relationem inter partes ſibi non vult, eoquod vim deſiderat tamquam ſui cauſſam, quæ profecto hanc relationem non exprimit §. 42. Ont.; nihilotamen minus in partibus tubæ conjunctis invenitur, non vero in iiſdem ſejunctis, ſi tuba in multa fragmenta diſpeſcatur. Ergo principium a me inductum etſi ad trutinam rationis expenſum tamquam certum & exploratum videatur, tamen experimenta, quæ nobis minus imponere poſſunt præ ſubtili ratione, illud falſitatis coarguunt.

12.

Ad id ſolvendum utor diſtinctione inter ipſam vim & ſonum ea genitum, interque ipſorum magnitudinem, quæ valere poteſt etiam in alia exempla, quæ in hanc ſententiam poſſunt afferri. Ipſa vis, & ſonus, ſive fibrillarum ſonori corporis tremitus & oſcillatio ſunt aliquid relationem non exprimens inter unam & aliam moleculam, & revera eſſe queunt in una tantum ex ipſis.

At

At magnitudo vis, & tremitus ſunt quidpiam ex hoc genere relativorum, eo quod pendent a numero partium oſcillantium, ab eo ſcilicet quod hujuſmodi relationem ſignificat num. 8. Ad eum vero finem ut ex collectione partium major vis & ſonus quantitas exſiſtat, nemo non videt eſſe neceſſarium, ut in ſingulis minimis partibus minima vis & ſoni particula reperiatur. Ita res ſe habet in tuba; ſingulis exiguis tubæ partibus ineſt ſua minima pars vis, & ſoni ſive tremoris, & ideo ex ipſis conjunctis magna vis magnuſque ſonus oriuntur. Hac de cauſſa fit ut quia in ſingulis fragmentis eſt minimus ſonus ſive partium oſcillatio, exaudiri non poſſit; quia vero ex earum collectione magnus exſiſtit, aures feriat & exaudiatur.

2. Jam vero in ſingulis entibus ab alio ne minima quidem hujus attributi *a ſe* particula reperitur, immo eſt illius contrarium. Qui ergo fieri poteſt, ut ex collectione infinitorum entium ab alio exſiſtat attributum a ſe; niſi velis ex collectione infinitarum ferri, in quibus ſingulis nulla auri molecula reperiatur, particularum aliquam auri maſſam exſiſtere poſſe?

13.

Poſſet hic aliquis cauſſam Atheorum ſuſcipiens multa opponere ex ſublimioris Recentiorum Matheſeos principiis, quibus efficitur incremento certæ cujuſdam quantitatis uſque in infinitum aliud omnino fieri, atque id quod exſiſtit, ſi eadem illa quantitas limitibus circumſcribatur. Nam ut aliqua ex pluribus exempla proponam, ſi focus alter ellipſeos ab altero abſcedat ad diſtantiam quamcumque finitam, curva manet quæ prius, ellipſis nimirum; at ſi ad infinitum intervallum alter ab altero diſcedere intelligatur, ellipſis in parabolam, quæ eſt curva ab ellipſi diverſa, convertitur. Item ſi foci ad centrum ellipſis & ad ſe invicem ita accedant, ut ab eodem abſint intervallo finito, nulla curvæ alterius in alteram naſcitur transformatio; at ſi mutuo acceſſu fiat, ut cum centro tantummon congruant, & recta ſolum infinite parva alius ab alio diſtet, ellipſis in circulum abit & transformatur. Quidni ergo ſuſpicari licet ſimile quidpiam uſuvenire poſſe in re, qua de agitur, ut quamvis finitus entium ab alio numerus ſeriem a ſe componere nequeat, infinitus tamen id facere poſſit?

2. Sed tantum abeſt, ut his ex Matheſi ſumtis exemplis vis infirmetur allatæ demonſtrationis, ut eam mirifice iiſdem confirmari ſim oſtenſurus. Nam verum quidem eſt infinito focorum aut acceſſu, aut receſſu ellipſim in parabolam, aut in circulum convertere, ſed etiam illud eſt certum id non momento & puncto temporis fieri, ſed paulatim & ſenſim, adeout ellipſis paulatim in circulum aut in parabolam abeat, & quo diſtantia focorum magis augetur, aut imminuitur, eo ſemper minus a parabola & a circulo abſit. Quod etiam cadit in omnes alias quantitates, quibus infinitæ partes aut accedere intelligantur, aut decedere. Singulis enim acceſſionibus aut deceſſionibus fit, ut quantitas qua de agitur, propius accedat ad id, quo iis in infinitum continuatis illam pervenire percipimus; quemadmodum Phyſicæ Gen. tom. II. & III. pluribus locis oſtendi. At contra ſe habet res, de qua diſputamus; quantumcumqe augeas entium aliorum ab aliis numerum, ne hilum quidem propius accedit ad ſeriem a ſe, quam novem aut decem acceſſerint. Qua enim ratione cogitur & efficitur ex decem entibus ab alio non poſſe exſiſtere ſeriem a ſe, illa etiam ſuadetur ex 100, ex 1000, ex 10000 &c. eamdem ſeriem

 for-

formari nequire. Superior igitur ratio a Mathematicis diſciplinis petita non ſolum nihil Atheos juvat, verum etiam eorum ſententiam falſitatis efficaciſſime arguit, quemadmodum ſimili fere ratione tom. I. Phyſ. Gen. §. *16*. num. 3. falſitatis arguimus ſimilem pariter Galilæi opinionem, qui aſſentiebatur quidem ex inextenſis numero finitis extenſum componi non poſſe, negabat vero de infinitis.

14.

Ceterum duo hic addere juvat ad Atheos magis magiſque refutandos. Primum ut magis ad vivum reſecemus, quod ipſi dicunt in ſerie infinita ad ultimum ens perveniri non poſſe, addo eos, qui aliquod infinitum eſſe poſſe aſſentiuntur, concedere omnia debere, quæ inde colligi queunt, atque ut tom. 1. Phyſ. Gen. §. *98*. docui, ex poſita infiniti poſſibilitate primum & ultimum neceſſario conſequi, tametſi inter primum & ultimum infinitus numerus intercedat, illudque infinitum tranſiri quidem non poſſe, ut ſupra oſtendi num. 5. per modum finitum, nihil tamen obeſſe, quin modo infinito exhauriatur. Nam ex. g. corpus infinita velocitate percitum ſpatium infinitum abſolvere poteſt. Quo liquet infinitum modo pariter infinito tranſiri poſſe, & id quod intrinſecus infinitum eſt, exterioribus finibus primo & ultimo poſſe circumſcribi. Nam ſi aut ab æternitate uſque ad præſens tempus duo corpora verſus eamdem plagam mota fuiſſent, alterum ratione habita alterius dupla eaque finita celeritate, vel etiam ante horam pariter dupla ſed utraque infinita, quia poſito uno infinito aliud alio non ſolum finitis partibus, verum etiam infinitis majus dari poteſt §. 140. Ont. jam ſpatium inter corpus tardius motum quod retro manet, & inter velocius, quod præcurrit, intrinſecus infinitum eſt, & nihilominus duobus corporibus tamquam principio & fine ideoque primo & ultimo coercetur. Quamobrem etſi ſeries entium ab alio ſit infinita, tamen non repugnat eſſe hoc ultimum ens in hac ſerie, quod idcirco ab alio ente, quod exſiſtat ab alio, oriri non poteſt. Ex quo fit ut vel eſſe a ſe, vel ab ente a ſe ortum ducere debeat.

Deinde ut veniam ad alterum eorum, quæ ſunt adjicienda, operæ pretium erit accuratius inquirere, quid Athei ſibi velint, cum ajunt ens aliud ab alio proficiſci. Nam in eo ſitum eſt aliud, idque efficaciſſimum noſtræ refutationis caput, quod eos educet e latebra, in quam ſe vaferrime conjecerunt. Aut enim nomine ortus aliud ab alio creari volunt, adeout cum antea nihil prorſus ejus, quod oritur, eſſet, poſtea exſiſtat, quomodo nos omnia a Deo e nihilo educi credimus: aut nomine ortus proprie utuntur, & novam rem eatenus ab alia naſci putant, quatenus non ſubjectum & materia e nihilo fiunt, ſed quæ exſtabant, novis tantum formis veſtiuntur. Si primum, jam ultro dant eſſe ſubſtantiam virtute creandi præditam, quod ipſis adverſatur quammaxime. Hæc enim ſit infinita & habeat omnia entis a ſe attributa neceſſe eſt. Cum enim inter nihil & ens intervallum ſit infinitum, non poteſt niſi virtute infinita ſuperari & tranſiri. Sin autem ſecundum ut reor, jam illud ſubjectum & materia, nec in primo ente, nec in ſecundo, nec in tertio, nec in quocumque alio ſeriei infinitæ oritur, ſed ſemper exſtiterit opus eſt. Quare ſi nec generatur, nec creatur ab alio, neceſſario ſequitur debere exſiſtere a ſe. In quo non video quem exitum habere poſſint, niſi velint omnia entia eſſe a ſe, quod in conſequentibus refutabo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

De natura Entis a ſe.

15.

SIc demonſtrata exſiſtentia Entis a ſe res adverſus multos Atheos tum antiquos tum recentiores confecta non eſt. Hac enim ob evidentes rationes conceſſa, nihilominus negant exſtare Deum, qualem Chriſtiani venerantur, eo quod ad alterum extremum confugiunt, & ajunt eſſe omnia a ſe & nihil ab alio. Ad hos convincendos neceſſe eſt accuratius examinare naturam entis a ſe, ut qualia entia non ſint a ſe, inde inferre poſſimus. Qua in re primum ajo ens a ſe eſſe omnino purum & ſimpliciter ens prorſus poſitivum nihilque negantis in ſua eſſentia habens admixtum, itaque conficio. Cujus genus & differentia ſunt purum ens & ſimpliciter, nihil negantis habens admixtum, illud in ſua eſſentia eſt purum & ſimplex ens, nihilque negativi complectitur. Siquidem genus & differentia ſunt illa duo, quibus eſſentia rerum conſtituitur. Jam vero in ente a ſe, ens eſt genus & a ſe differentia, eoquod per hanc diſcrepat ab entibus ab alio, ſiquæ poſſunt eſſe. Rurſus ut taceam de ente, quod ipſum per ſe nihil includere negativi patet, differentia a ſe eſt aliquid prorſus abſolutum. Nam ens a ſe eſt ens prorſus abſolutum §. *9.* utpote quod a nullo proficiſcitur alio. At ſi in ente a ſe foret aliquod negativum, eſſet negatio entis, atque idcirco relatio alterius entis ad ens a ſe, quod illo altero ente carere intelligeretur. Ergo ens a ſe atque idcirco etiam differentia a ſe nihil negativi includat oportet & ideo ſit purum & ſimpliciter ens.

2. Quod confirmatur ex eo, quod idcirco aliqua entia in ſua natura negationem habent admixtam, quia in ſe non complectuntur omne poſſibile ens. Ens autem a ſe omne complectitur ens; nam vel eſſe queunt alia entia ab alio præter ens a ſe, ut infra docebimus, vel ſecus. Si minus, conſtat in ente a ſe eſſe omne ens, quod eſſe poteſt; ſi etiam, ex altera parte hæc entia originem ducent ab ente a ſe, & ex altera nihil eſt veri entis atque perfectionis in effectu, quod non fuerit prius in cauſſa.

16.

Quod ut planius fiat, & ſimul via muniatur ad ea, quæ infra diſputaturi ſumus, prius explicandum eſt diſcrimen inter perfectiones, quas tum Philoſophi, tum Theologi ſimpliciter ſimplices vocant, interque illas, quæ ſecundum quid ab iiſdem appellantur, ſive, ut preſſius loquamur, inter puras & veras perfectiones, interque illas, quæ mixtæ ſunt & ex aliquibus imperfectis coagmentatæ. Nam vulgo traditæ definitiones eo laborant vitio, quo pleræque Ariſtotelæorum, quod aut nullas complectuntur notas, quibus res explicatæ ipſæ in ſe cognoſcantur, & ab aliis internoſcantur, aut ſiquas, nullius tamen fere uſus, & parum accommodatas ad id ad quod declarandum conficiendumque ſunt comparatæ. Cum enim in conſtituenda differentia inter utrumque genus perfectionum ſibi propoſitum habeant oſtendere ac definire, quænam in Ens a ſe & in Deum cadant, quænam ſecus; ad hunc finem conſequendum quid prodeſt dicere perfectionem puram, ſive ſimpliciter ſimplicem eſſe illam, *quæ eſt melior ipſa quam non ipſa*; mixtam autem & ſecundum quid,

quæ

quæ eſt melior non ipſa, quam ipſa? Periculum faciant, & comperient ſe illarum adminiculo nihil hoc in negotio poſſe proficere. Quare ut alias potioris uſus ſubſtituamus, ajo perfectionem puram eſſe illam, quæ eſt ſolum ens, nihilque negantis, ſive non entis includit; mixtam vero quæ præter ens aliquid etiam negativi ſive non entis complectitur, quæque idcirco habet tum ens, tum negationem entis, quorum altero diſcrepat a pura perfectione, in qua nihil negantis admixtum eſt, altero a pura imperfectione, quæ nihil continet entis. Ex iis autem facile eſt eruere, quænam ex ſingulis tum animæ noſtræ, tum corporum perfectionibus in Ens a ſe conveniunt. Ex. g. quia intelligere quod eſt in anima noſtra, eſt eſſe; intelligere autem hæc tantum, non alia, eſt negatio entis: inde colligimus primum cadere in Ens a ſe, non autem ſecundum.

17.

Quibus declaratis ajo id omne, quod eſt puræ perfectionis & veri entis in entibus, quæ ab ente a ſe proficiſcuntur, eſſe oportere in ente a ſe; nemo enim dat quod non habet, nec eſſe poteſt, niſi a ſimili eſſe ducat originem, cùm diverſitas non poſſit eſſe cauſſa identitatis, & identitas diverſitatis, eoquod altera alteri contraria eſt. Nec aliquis dixerit hæc principia partim ex Ariſtotelæorum penu depromta, partim ex Ontologia Cl. Wolphii valere quidem in cauſſas, quæ carent virtute res ex nihilo procreandi, non autem in Ens a ſe, cui nos hanc creatricem virtutem concedimus. Nam privilegium entis a ſe in eo poſitum eſt, ut cum cauſſæ vis creandi expertes non poſſint ad ſummum niſi id, quod habent, ipſum in individuo atque in exſiſtentia idem cum aliis communicare, qua de re vide quæ §. 237. 254. Ont. diſſeruimus; Ens a ſe poteſt a potentia ad actum nova entia transferre, & iis quam antea non habebant, dare exſiſtentiam, ſic tamen ut illi quod eſt in ipſis verum eſſe, ſimile eſſe in Ente a ſe reperiatur.

18.

Quod pariter ut magis perſpicuum fiat & ſimul via muniatur ad alia, quæ paulo poſt ſumus dicturi, adverto nullam poſſibilitatem rei, quæ re ipſa non eſt, ipſam per ſe eſſe poſſe, ſed ut vera ſit poſſibilitas, reperiri debere in aliquo ente re ipſa exſiſtente, cujus ſit attributum. Nam quod ipſum per ſe eſt, actu & reipſa eſt; quod autem actu eſt, nequit eſſe tantum poſſibile, nec poſſibilitas rei, quæ actu non eſt, eſſe quit primum cujuſdam rei attributum, quod vocatur eſſentia, §. 80. Log. ſed tantum ſecundum, quod dicitur proprie attributum, quodque aliud deſiderat ante ſe, unde tamquam ab eſſentia proficiſcatur. Ergo ut vere ſit poſſibile illud ens, quod actu non eſt, ejus poſſibilitas in alio ente reipſa exſtante tamquam attributum niſi proxime, ſaltem remote reperiatur neceſſe eſt. Nam id omne quod eſt verum ens, eſt aut ſubſtantia, aut attributum ſubſtantiæ inhærens, ſive determinatio ſubſtantiæ. Poſſibilitas autem rei quæ actu non eſt, non eſt, ut docui, ſubſtantia, quæ per ſe eſt. Ergo ſit attributum & determinatio ſubſtantiæ, atque idcirco in alio ente reipſa exſiſtente reperiatur oportet.

Inde vero ſit poſſibilitatem entium ab alio, eſſe attributum entis a ſe, a quo ducunt originem. Ex hoc autem luculentius conſtat id omne, quod eſt veri entis in entibus ab alio, in ente a ſe inveniri oportere. Actus enim non poteſt continere aliquod ens, quod in potentia non reperiatur; ſiquidem po-

potentia & actus ad idem referuntur ens, quod in duobus ſtatibus reperitur, quorum alter eſt ſtatus poſſibilitatis, alter autem actus, ſive exſiſtentiæ. Quare cum poſſibilitas entium ab alio ſit entis a ſe attributum, manifeſte colligitur id omne, quod veri entis eſt in entibus alio, etiam in ente a ſe reperiri.

19.

Fortaſſe quiſpiam hic exoriri poteſt, qui ajat hac ratione etiam effici imperfectiones atque negationes, quæ ſunt in entibus ab alio, in Ente a ſe deprehendi oportere. Commode cadit ut in hanc difficultatem inciderit diſputatio; ejus enim ſolutio multas in partes valebit. Itaque ex iis, quæ proficiſcuntur ab ente a ſe, dico alia eſſe, quæ primum ab illo gignuntur, & ipſa per ſe proxime creantur, uti ſubſtantiæ; alia vero, quæ tantum remote a Deo ſunt, eoquod ex ipſis rebus, quæ ab ipſo conditæ fuerunt, proxime exſiſtunt, cujuſmodi ſunt relationes inter res a ſummo Creatore profectas §.40. & ſeq. Ont. Non enim Deus ipſam per ſe ſimilitudinem facere poteſt, niſi ipſas res ſimiles ponat. Quod vero attinet ad priora, & ipſa quidem ſunt neceſſario relativa, ſed ſolum quatenus ad Ens a ſe, a quo ſunt, tamquam ad cauſſam effectricem & conſervantem referuntur; non autem ſunt puræ relationes inter unam rem creatam & alias. Quamobrem univerſe dici poteſt id quod proxime exſiſtit ab ente a ſe, abſolutum eſſe debere; relationes autem inter unum abſolutum & aliud, non eſſe idoneas ut ipſæ per ſe proxime a Deo gignantur, eoquod ex ipſis exſiſtunt rebus abſolutis, quibus relationes novum ens quod antea non foret, minime addunt.

Quibus conſtitutis ad rem propius accedo; cum Ens a ſe e nihilo educit aliquod determinatum ens, eſt ſolum proxima cauſſa illius, quod eſt veri entis in ipſo; quia vero illud creatum ens non omnis, quod in Deo eſt, entis particeps fuit, inde exſiſtunt in eodem negationes eorum entium, quorum particeps minime fuit, quæ negationes ab ente a ſe tamquam a cauſſa proxima minime pendent. Quamobrem etſi ex allatis principiis ſequatur id omne, quod eſt veri entis, eſſe oportere in ente a ſe, non tamen conſequens eſt etiam negationes entium atque ideo imperfectiones in ente a ſe reperiri, eo quod verum ens ab ente a ſe proxime pendet atque creatur, negationes autem nequaquam. Quæ cum ita ſint, manet Ens a ſe eſſe purum & ſimplex ens, ac prorſus poſitivum, nihilque negantis in ſua eſſentia complecti.

CAPUT TERTIUM.

De attributis entis a ſe, & præſertim æternitate, & neceſſitate, & de nova ratione demonſtrandi entis a ſe exſiſtentiam.

20.

Ex eo quod hactenus confectum eſt de omni poſſibili ente, quod neceſſario continetur in Ente a ſe, omnia fere alia ejuſdem attributa ſua veluti ſponte conſequuntur; id quod oſtendemus paulo poſt; nunc enim prius demonſtrandum ſuſcipimus ens a ſe eſſe neceſſarium & æternum, quem locum ordiemur a nova exſiſtentiæ entis a ſe demonſtratione quæ eidem magnam afferet lucem.

2. Eam vero hiſce enunciationibus concludimus; ſi exſiſtit aliquod ens, ens eſt

eſt poſſibile; ſi eſt poſſibile ens, eſt etiam poſſibile ens a ſe; ſi eſt poſſibile ens a ſe, eſt etiam exſiſtens. Ergo ens a ſe exſiſtit. Prima liquet ipſa per ſe, cum ex eo quod quidpiam exſiſtit, illius etiam poſſibilitas bene colligatur. Quamobrem conficere aggredior alteram atque tertiam, in quibus res ſaltem omnibus adeo manifeſta non eſt, ut in oculos ſtatim incurrat. Secundæ vero rationem elicio ex eo quod differentia a ſe eſt omnino purum ac ſimplex ens, nihilque negantis complectitur. Nam ideo ens a ſe non foret poſſibile, quia licet ens ſit poſſibile, tamen differentia a ſe conjungi nequiret cum ente; idcirco autem id fieri non poſſet, quia hæc duo contradictionem complecterentur; ideſt alterum in ſemetipſo alterius negationem contineret. Cum enim ens ſit poſſibile, id quod ait tantum rem eſſe, impoſſibile eſſe non poteſt: quare ut aliquid ſit impoſſibile, debet ſimul affirmare eamdem rem eſſe & non eſſe, ideſt ex duobus cogitari coalitum, quorum alterum neget quod ab altero affirmatur, ideſt aliud alius negationem includat. Jam vero differentia a ſe cum ſit aliquid omnino poſitivum, & purum ac ſimplex eas, nihilque negativi in ſemetipſo habens admixtum num. 15. negationem entis continere non poteſt. Ergo differentia a ſe poteſt conjungi cum ente. Ex quo tandem efficitur, ſi eſt poſſibile ens, eſſe quoque poſſibile ens a ſe.

3. Ita confecta ſecunda enuntiatione, venio ad tertiam, cujus demonſtrationem hac ratione concludo. Si ens a ſe non exſiſteret, nec foret amplius poſſibile; eſt autem poſſibile; ergo exſiſtit. Aſſumtum ſic probo. Illud poſſibile non eſt, quod in nullo prorſus eventu ad actum ſive ad exſiſtentiam redigi poteſt, nullusque eſt poſſibilis modus quo id fiat; poſſibilitas enim rei eſt aliquid relatum ad actum & ad exſiſtentiam ejuſdem; ergo vera poſſibilitas eſſe non poteſt ſine illo, ad quod neceſſario refertur, ideſt ſi in nullo prorſus eventu, nec ullo modo ad actum redigi poſſet. Jam vero ſi ens a ſe ponatur non exſtare, in nullo eventu hanc poſſet habere exſiſtentiam, & nullus omnino modus poſſibilis foret, quo poſſet exſiſtere. Siquidem nec a ſe, nec ab alio eſſe poſſet: non a ſe, quia ſi a ſe acquireret exſiſtentiam, eo momento foret, & non foret; foret, quia ſi a ſe exſiſtentiam acquireret, eam ſibi tribueret; quod autem ſibi tribueret exſiſtentiam, ageret & operaretur; quod vero operatur, eo momento quo operatur, exſiſtat neceſſe eſt: non foret, quia ſi eſſet, exſiſtentiam, quam haberet, acquirere minime poſſet. Igitur a ſe eſſe non poſſet. Nec ab alio eſſe quiret. Quod enim ab alio eſt, non eſt ens a ſe, præſertim cum ens a ſe nullius entis negationem includat; illud vero quod eſt ab alio, ejus entis, a quo eſt, & a quo diſtinguitur, negationem habet. Ex quibus conſequitur, ſi ens a ſe non exſiſtit, nullum eſſe poſſe modum, quo exſiſtere queat. Jam vero id, quod nullo poſſibili modo eſſe poteſt, impoſſibile ſit, & contradictionem involvat neceſſe eſt. Nam qua de cauſſa nullus eſt modus poſſibilis, quo exſtare queat, niſi quia illud ens a ſe, non exſiſtens, contradictoria, ideſt quorum alterum alterum neget, includat? Omne enim quod eſt tantum ens, eſt poſſibile. Liquet ergo ens a ſe futurum eſſe impoſſibile, ſi non exſiſtat. Quare cum effecerimus ens a ſe eſſe poſſibile, reſtat ut illud exſiſtere concludamus.

4. Aliquibus tamen hæc non videntur recte concluſa. Primum quia ex altera parte monſtratur poſſibile intrinſecus, quatenus a mente percipitur non involvere contradicentia: ex altera ſi non exſiſteret, ſolum impoſſibile extrinſe-

Digitized by Google

ſecus oſtenditur, quatenus non foret ullum ens ejus gignendi capax. At hæc duo non pugnant inter ipſa, nullam contradictionem involvere, & exſtare non poſſe, ob defectum entis, a quo generetur. Nam, ſublato Deo, corpora nihilominus intrinſecus poſſibilia forent, at nullum foret ens, a quo creari poſſent. Deinde hoc pacto monſtratur ſolum exſiſtens in idea, quod poſſibilitatem entis a ſe in mente conſequitur ſolum exſiſtentia ejuſdem in eadem, quod olim vitio datum fuit demonſtrationi Carteſii, ductæ ab idea entis perfectiſſimi, qua imbuti ſumus, quæque ideam exſiſtentiæ neceſſario complectitur.

5. Sed pace eorum, qui hac in re nobis adverſantur, ajo commentitiam eſſe hanc poſſibilitatis interioris & exterioris diſtinctionem, & ab obſcuris proſluere Peripateticæ Philoſophiæ notionibus, quæ nimia diſſerendi ſubtilitate, & multis uſu ſcholæ conſecratarum vocum involucris rebus per ſe clariſſimis tenebras offundere conſuevit. Mens enim non facit ut aliud in alio ſit, & eſse poſſit, aliud in alio non ſit, & eſse non poſſit; ſed horum omnium ipſis in rebus fundamentum invenit, quicum ſi ejus perceptiones conveniunt, ideſt ſi ea quæ ſimul ſunt, aut eſse poſsunt, & ea quæ ſimul non ſunt, aut eſse non poſsunt, tamquam ſimul non eſse, aut eſse non poſse intelligat, vera eſt; ſi ſecus, falſa. Ex quo intelligimus interiorem poſſibilitatem alicujus entis, qua fit ut contradictionem in mente non includat, ſi mens vera ſit, & in ea percipienda non decipiatur, aliquid eſse extra ipſam mentem, ſive ejuſdem fundamentum in rebus extra mentem ineſſe. Poſſibilitas vero entis poſitivi in aliquo ente, quod actu ſit, niſi proxime, ſaltem remote num. 18. inveniatur neceſſe eſt. Nam fundamentum poſſibilitatis quæ cognoſcitur, eſſe non poteſt per ſe. Ubi enim eſſe poteſt relatio, niſi poſſit eſſe ens, quod referatur? Num volunt quemadmodum aliqua accidentia, ſic etiam aliquas poſſibilitates, & earum fundamenta, aliquas relationes, & earum fundamenta ſine ullo omnino ſubjecto poſſe conſiſtere? At meminerint ſe, cum agitur de accidentibus, vocare in ſubſidium divinam omnipotentiam, quæ hic locum non habet. Neque expecto, dum ad infringendam hujus rationis vim ajant poſſibilitatem primi entis in alio poſſibili eſſe, poſſibilitatem ſecundi in tertio poſſibili, poſſibilitatem tertii in alio quarto poſſibili, & ita in infinitum poſſibilitates extra mentem in entibus poſſibilibus ſitas eſſe, quin umquam ad ens re ipſa exſiſtens, in quo omnes aut proxime, aut plus minus remote inveniantur, perveniamus. Nam iiſdem rationibus eos urgebimus, quibus Atheos refutavimus ſupra.

6. Ergo manet poſſibilitatem interiorem, poſitam in eo, quod aliqua non repugnare percipiantur, extra mentem exſiſtere, ejuſque fundamentum in re, quæ actu ſit, reperiri oportere. Nec enim hæc infirmantur exemplo corporum quæ poſſibilia intrinſecus forent, etiamſi Deus non exſiſteret. Ex iis enim, quæ modo evicimus, eorum omnem poſſibilitatem in nihilum abituram, ſi Deus non foret, conſequeretur. Quare ut propius accedamus ad rem, vel noſtra mens falſa fuit in oſtendenda poſſibilitate entis a ſe, vel vera. Si falſa, non idcirco noſtra ratio vacillat in illa propoſitione aſſumta & conditionali quam hic impugnant, ſed in altera, quæ tamen ita perſpicue, & ipſa quodammodo, ut ajunt, vi terminorum oſtenſa eſt, ut nihil dilucidius, atque exploratius afferri poſſe mihi videatur. Sin autem vera, ut res eſt, ex dictis conſequitur illius fundamentum ſaltem remote in re, quæ actu exſiſtat, inve-

niri oportere. At ſi ens a ſe non exſiſtat, in nullo nedum exſiſtenti, verum nec potenti exſiſtere eam poſſibilitatem entis a ſe reperiri poſſe monſtravimus. Igitur ne hoc abſurdum fateri cogamur, exſiſtentiam entis a ſe aſſentiri neceſſarium omnino eſt.

7. Quod vero ſubjiciunt de exſiſtentia entis a ſe in idea, Carteſius, ejuſque ſectatores viderint, quantum ſuam adverſus ſententiam id faciat. Nam ſi hoc ens perfectiſſimum ſe quidem percipere dicant, ſed ejus poſſibilitatem non probent, ii multum premi mihi videntur. Sed in meam demonſtrationem, qui ens a ſe eſſe poſſibile oſtendi iis, quæ modo ſtatuta ſunt, nihil illud valere conficio. Cum enim hæc poſſibilitas aliquid extra mentem eſſe debeat, & ut aliquid ſit, in aliquo ente reipſa exſtante vel proxime, vel remote reperiatur neceſſe ſit, ſiquæ hanc poſſibilitatem exſiſtentia conſequitur, exſiſtentia extra mentem conſequatur neceſſe eſt. Re autem vera conſequitur. Nam, ut ſupra expoſita magis urgeam, ſi triangulum eſſe poſſibile oſtenderimus, & ex eo, quod ponatur non habere tres angulos duobus rectis æquales, non eſſe poſſibile monſtraremus, nonne triangulum habere tres angulos tribus rectis æquales recte concluderemus? Quid ni igitur, poſtquam Ens a ſe inter ea, quæ repugnant, eſſe collocandum effecimus, & ex eo, quod non exſiſtat, fieri impoſſibile docuimus, illud eſſe poſſibile valide concludamus? Inquies triangulum intrinſecus includere contradictoria monſtrari, ſi tribus angulis duos rectos non exæquantibus conſtet; ens vero a ſe eatenus tantum oſtendi impoſſibile, ſi non exſiſtat, quatenus nullus eſt poſſibilis modus, quo exſtet, & hæc illius faciendi poſſibilitas nuſquam reperitur. At præter jam dicta, ſi nullum eſſe poſſibilem modum efficiam, quo triangulum cum tribus angulis duos rectos non exæquantibus deſcribatur, nonne dabis me inde concludere poſſe triangulum cum iis tribus angulis intrinſecus repugnare, & ideo, cum alioquin poſſibile oſtenſum ſit, habere tres angulos, qui duos rectos exæquent? Quid enim eſt poſſibilitas trianguli niſi relatio ad exſiſtentiam, cum ſola contradictio ſit impedimentum cur res exſiſtere nequeat? Et eo ipſo, quod exſiſtentia ſit poſſibilis, debet eſſe poſſibilis aliquis modus quo ipſa ponatur. Quod ſi hic modus non exſtet, exſiſtentiam illius entis eſſe impoſſibilem, & idcirco illud ens includere contradictoria bene concluditur. Qui ex. g. conficitur a Mathematicis numeri 33 radicem accuratam eſſe impoſſibilem? enumeratione profecto modorum, quibus hæc radix inveniri poteſt, & oſtenſione impoſſibilitatis eorumdem: ſcilicet ita procedunt; hæc radix vel eſt numerus integer, vel fractus, vel integer cum fractione; non integer, quod eſt major 5, & minor *6*, quod evincit eſſe non poſſe neque purum fractum; non integer cum fracto, quia nequit eſſe nec 5 cum $\frac{1}{2}$, nec 5 cum $\frac{1}{3}$, nec 5 cum $\frac{2}{3}$, nec alius quicumque in infinitum inter 5, & *6* interceptus. Quo credunt, idque non ſine ratione, impoſſibilitatem hujus radicis exacte ſe ſatis docere. Quid ergo peculiare habet exſiſtentia, ut etiamſi oſtenſum ſit ex eo, quod ens a ſe non ponatur exſiſtere, conſequi nullum eſſe poſſibilem modum quo exſiſtat, nihilo tamen minus illud intrinſecus in data hypotheſi fieri impoſſibile aſſentiri nolimus? Ecce; conſuevimus in aliis rebus, quæ neceſſario non exſiſtunt, poſſibilitatem ab exſiſtentia ſejungere, & cognoſcere res ob id ipſum, quod eſſe poſſunt, non continuo in hac rerum univerſitate conſtare. Idcirco etiam in

en-

Digitized by Google

ente a ſe, tametſi ratio id ſuadeat, cunctamur & aſſentiri renitimur, veriti nequid nobis imponat. Ceterum ſi quæ diſſeruimus, bene expendantur, & nobis ante perſuaſerimus in ente a ſe, quod ſingulare eſt, & ab omnibus aliis diverſum, quidpiam ſingularis, & proprii inveniri oportere, manus rationi dare, & fateri non minus in hac ratione ad oſtendendam entis a ſe exſiſtentiam adverſus Atheos, quam in altera, eſſe præſidii nequaquam verebimur.

8. Neque nos deterrebit Cl. Huetius, dum adverſus demonſtrationem Carteſii ductam ex idea perfectiſſimi entis, quod exſiſtentiam neceſſario includit, cap. 8. n. 8. *Cenſuræ Philoſ. Carteſ.* reſpondet ex idea rei perfectiſſimæ quam in mente habemus, aliam non ſequi exſiſtentiam quam in mente, propterea quod ex altera parte ex clariſſima rei tamquam poſſibilis idea ſequitur ſaltem illam eſſe extra mentem poſſibilem, cum mens in iis quæ clariſſime percipit tamquam poſſibilia, decipi nequeat §. 220. Log. & ex altera perſpicue docuimus, Ens a ſe futurum eſſe intrinſecus impoſſibile, ſi non exſiſtat. Quod vero is adjungit de hyperbola & aſymtoto, quæ lineæ tametſi quo longius producuntur, ad ſe propius accedunt, quin umquam concurrant, cum ceteroquin mens clariſſime percipiat tamquam poſſibile, ut aliquando concurrant, ex principiis Analyſis Recentiorum non minus facile ſolvitur, quam alterum exemplum ab eodem allatum, cujus ſolutionem ex iiſdem eruimus in Logica §. 232. Siquidem eum concurſum tamquam poſſibilem clare percipit, niſi lineæ ad ſe propius accedunt ea lege, ut ſemper eo minorem ex ſpatio intercepto partem abſcindant, quo longius producuntur. Hoc enim pacto fieri poſſe clare cognoſcit, ut numquam concurrant, quemadmodum in diviſione rectæ lineæ in duas æquales partes etiam in infinitum continuata, perſpicue noſcit numquam ad ejuſdem finem perveniri, eo quod dimidia dimidiorum infinita inveniri poſſe ex idea extenſionis evidenter colligit.

21.

Ex his vero conſequitur Ens a ſe ab æterno fuiſſe, & in æternum eſſe duraturum. Nam ſi aut aliquando non fuit aut aliquando extare ceſſabit, impoſſibile intrinſecus aut fuiſſet, aut evaderet, quod nullus eſſet poſſibilis modo, quo ens a ſe non exſiſtens aut primam exſiſtentiam, aut novam acquireret. Jam vero ens a ſe eſt poſſibile num. 20. 1. & quod poſſibile eſt, impoſſibile fieri nequit, ut fieret, ſi ens a ſe interiret. Quod enim poſſibile eſt, non includit duo contradictoria, ideſt non affirmat eamdem rem ſimul eſſe & non eſſe, ſed tantum affirmat rem eſſe. Quod vero affirmat tantum rem eſſe, non poteſt aliquando contingere ut affirmationem & negationem ejuſdem contineat. Ergo quod aliquando poſſibile eſt, ſemper eſt poſſibile, nec impoſſibile fieri poteſt. Unde fit Ens a ſe & ſemper fuiſſe & numquam poſſe interire.

2. Ex quo etiam patet ens a ſe prorſus & omnino abſolute eſſe neceſſarium, cum non ſolum in nullo prorſus eventu accidere queat, ut non exſiſtat, verum nec intelligi poſſit eſſe poſſibile, quin ſimul intelligatur & ſemper habuiſſe exſiſtentiam, & ſemper eſſe habiturum. Contraquam uſuveniat in entibus ab alio, quæ & eſſe & intelligi poſſunt in ſtatu meræ poſſibilitatis, eo quod eorum quidem poſſibilitas neceſſaria eſt, ut pote entis neceſſarii attributum n. 18. non vero exſiſtentia, quia, ut infra docebimus, ab ente a ſe non creantur neceſſario, ſed libere.

CAPUT QUARTUM.

De aliis attributis entis a ſe & præſertim unitate.

22.

PArum tamen adhuc profecerimus adverſus multos ex iis, qui & recenti, & Patrum noſtrorum memoria Divinam Naturam ex hac rerum univerſitate exturbare conati ſunt, ſi Ens a ſe conſtare, & ab æterno fuiſſe monſtraſſe contenti fuerimus. Nam fracti rationibus, quas ad id oſtendendum Chriſtiani ab antiquis temporibus congeſſerunt, illud aſſentiri non dubitarunt, ſed ita, ut hoc ens a ſe ab hac corporum, & animorum univerſitate nequaquam diſtinguerent. Nam cum ex altera parte creationem a numero eorum quæ eſſe poſſunt, excluderent, & ex altera materiam, atque ſubjectum, & ex verioris Philoſophiæ Principiis ſubſtantiam ipſam generari non poſſe, & aliquorum tantum modorum, & accidentium mutationem converſionemque fieri quire viderent; abjectæ, & prope depoſitæ cauſſæ nullum aliud præſidium reliquum eſſe cognorunt, niſi ut omnem materiam, atque adeo ſubſtantiam ipſam a ſe eſſe, & ab æterno fuiſſe affirmarent. Quare ut hoc etiam effugium iis præcludamus; oſtendendum eſt in præſenti, quale ſit hoc ens a ſe. Nam demonſtratis entis a ſe proprietatibus, ſi eas in corpora, & in animas, & in hanc mundanam molem non convenire comperiemus, diſcrimen entis a ſe ab omnibus hiſce rebus docuerimus, totumque negotium adverſus Divinitatis oſores confecerimus. Id vero exſequemur non uſitata ratione, inſiſtendo in iis duobus, ex quibus hoc ens tamquam ex genere, & ex differentia componitur. Genus enim, & differentia, qua quidpiam ab omnibus aliis ſecernitur, debet eſſe fons, & origo omnium eorum, quæ in hoc ens cadunt, aut communia cum aliis ſi a genere, aut propria, & ſpecialia, ſi a differentia proficiſcantur. Quamobrem nec neceſſe eſt, nec fortaſſe juvabit proprietates entis a ſe aliunde arceſſere, quam ex intima ejuſdem natura.

23.

Itaque primum ajo ens a ſe eſſe omnino determinatum ita ut nullam aliam differentiam ſubſtantialem ſuſcipere poſſit; & ſic oſtendo. Quod omnino perfectum eſt, nullam novam perfectionem ſuſcipere poteſt; quod vero eſt omnino, & ſimpliciter ens, nihilque negativi includit, omnino perfectum eſt. Siquidem ens, & perfectio idem ſunt num. *16*. Ens autem a ſe eſt omnino, & ſimpliciter ens num. *19*. Igitur amplius perfici non poteſt. Eſt autem nova ſubſtantialis determinatio nova perfectio. Ergo ens a ſe novam determinationem ſubſtantialem ſuſcipere nequit.

2. Ex quo ſequitur duas ſubſtantias diverſas eſſe non poſſe utramque ens a ſe. Nam ens a ſe cum alia in alia ſubſtantia differentia ſubſtantiali copularetur: unde aut utrumque non eſſet omnino poſitivum, ſi utriuſque differentia ſubſtantialis foret aliquid poſitivum, aut alterutrum, ſi alterutrius differentia in negativo conſiſteret. Quæ cum natura omnino poſitiva entis a ſe conciliari nequeunt.

3. Accedit etiam ad hæc magis illuſtranda, quod ens a ſe eſt omnino determinatum etiam quod attinet ad exſiſtentiam; nam uti ſupra docuimus, non po-

poteſt eſſe ens a ſe, quin neceſſario exſiſtat, ejuſque exſiſtentia non minus, quam eſſentia, neceſſaria eſt, & ab ente a ſe ſejungi non poteſt.

24.

Porro ex his conſequens eſt ens a ſe eſſe unam tantum ſubſtantiam, non plures. Nam quod ſit ſubſtantia, patet, quod nullo eget, ut exſiſtat, tantaque eſt inter hæc duo, ens, & a ſe neceſſitudo, ut nulla fingi poſſit hypotheſis, in qua hæc ſimul copulata non exſiſtant. Quod vero ſit una tantum, res paulo difficilior monſtratu eſt. Id vero exſequar hiſce rationibus. Quod eſt omnino determinatum etiam quod attinet ad exſiſtentiam, id plures exſiſtentias habere non poteſt. Ens vero a ſe eſt omnino determinatum etiam quod attinet ad exſiſtentiam num. 23. Eam enim neceſſario requirit, nec poteſt non ſolum eſſe, verum nec intelligi ſine exſiſtentia. Ergo plures exſiſtentias habere non poteſt. Siquidem ſi plures habere poſſet, vere percipi quiret ut ad hanc, vel ad illam indifferens, & in potentia ad plures. Si vero percipi poſſet in potentia ad plures exſiſtentias, hæc potentia entis a ſe, non exſiſtentis, ſive ſaltem illius fundamentum extra mentem alicubi repeririretur. Non poteſt autem potentia entis a ſe ſive poſſibilitatis fundamentum extra mentem alicubi reperiri num. 20. Igitur non poteſt percipi ut in potentia ad plures exſiſtentias. Ex quo fit, ut plures determinationes exſiſtentiæ habere non poſſit.

2. Quod amplius hoc modo declaratur. Antequam ego circinum ad datam amplitudinem aperiens, circulum ut exſiſtentem conſiderem, poſſum hunc circulum datæ diametri in pluribus locis deſcribere, & pluribus ſingularibus determinationibus definire. Sed cum ad circulum datæ amplitudinis jam exſiſtentem alicubi animum adverto, is alterius determinationis ſingularis capax non eſt, & alibi deſcribi non poteſt. Quod enim jam habet, recipere haud poteſt, & ſi ſimilem circino faciam, non erit ille ſingularis, & exſiſtens jam deſcriptus, quem duco, ſed ille, qui menti meæ ſejunctus ab exſiſtentia obverſatur. Quare ſi nullus alius, niſi exſiſtens, menti proponi poſſet, profecto unum tantum circulum haberemus. Res vero ita ſe habet in ente a ſe. Hoc ens, ut in ſuperioribus monſtravi, percipi, & eſſe non poteſt, niſi ut ipſum in ſe exſiſtens. Quare quemadmodum circulus perceptus, ut exſiſtens, nequit eſſe, niſi ut omnino unus, ita & ens a ſe niſi numero unum eſſe non poteſt.

3. Sed quoniam hac in re hujus queſtionis vertitur cardo, res altius repetenda eſt, & quædam ex Logicæ §. 127. & ſeq. & Ontologiæ principiis hic delibanda. Itaque genus eſt id quod variis modis exſiſtere poteſt, qui modi ejuſdem determinationes ſive differentiæ vocantur. Ens omnino indeterminatum eſt id, quod omnes determinationes ſuſcipere poteſt, quin amittat aliquod ejus, quod antea habere intelligebatur. Ens vero omnino determinatum eſt illud, quod ſuſcepit omnes, quas habere poteſt, adeout nihil novi eidem accedere queat, quin aliquid ejus, quod ineſſe percipiebatur, decedat. Ens vero partim determinatum, partim indeterminatum eſt illud, quod nonnullas quidem determinationes ſuſcepit, non vero omnes, quarum eſt capax, adeout ratione habita primarum aliquas ſuſcipere nequeat ſine detrimento priorum; bene vero ratione habita ſecundarum. Ut ens in genere nullas accepiſſe intelligitur, & omnes acquirere poteſt, quin deſinat eſſe ens; individuum autem, ut Petrus, nihil novi acquirere poteſt, quin amittat, quod in eodem incluſum conſiderabatur. Genera vero inter ens & individuum intercepta, uti ſubſtantia, ex utro-

que

que entium genere coalita ſunt. Unde ſubſtantia ex. g. poteſt quidem aliquas novas determinationes ſuſcipere, uti ſpiritalitatem, quin deſinat eſſe ſubſtantia, non tamen fieri poteſt exſiſtens in alio, quin perimatur. Quibus declaratis omnes conveniunt hæc entia indeterminata eſſe ſolum in noſtra mente, non vero extra mentem exſtare, & id omne quod exſiſtit, eſſe prorſus determinatum. Nam ex quibuſcumque contradictoriis, quæ poſſumus imaginari, id quod reipſa eſt, habere debet alterutrum, ideſt vel ens, vel negationem entis, eoquod impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Ex quo fit ut rei exſiſtenti nihil novi accedere poſſit, quin aliquid ejus, quod ineſſe debebat percipi, decedat, aut ens, ſi accedat negatio, aut negatio entis, ſi ens. Noſtra vero mens poteſt hæc entia tamquam indeterminata cognoſcere, eo quod fieri poteſt, ut ex. g. in ſubſtantia corporea nec percipiat differentiam viventis, nec ejuſdem negationem, ſed perſtet ſine aliqua ejuſdem perceptione. Nam etſi vivens & non vivens ſint contradictoria, ex quo fit ut corpus exſiſtens debeat eſſe aut determinate vivens, aut determinate non vivens; tamen perceptio viventis, & perceptio non viventis ſunt tantum contraria, ex quo ſequitur, ut falſum utrumque eſſe queat. §. 207. Log.

4. Quare genus, ſive id quod variis modis eſſe poteſt, a ſtatu, in quo non exſtat, ad ſtatum in quo exſtet, tranſire non quit, niſi cum aliquo ex iis modis, vel ſaltem cum eorum negatione. Unde ſi pluribus modis aliquid exſiſtere poteſt, non tamen conjunctim, quod alter alterius negationem complectitur, tunc ſi univerſe & indeterminate loquamur, genus ad exſiſtentiam traducendum neceſſario debet eſſe cum aliquo ex iis modis ſive determinationibus, propterea quod aut cum hoc aut cum illo ſive cum ejuſdem negatione illud conjungi debet; verbi gratia Ens ab alio vel eſt per ſe, vel ſecus, ſive eſt in alio. At ſi loquamur ſpeciatim determinateque, cum nullo ex iis determinate copuletur neceſſe eſt; quia ſi dixeris neceſſario conjungi cum certo quodam eorum in eum finem ut exſtet, alter jure inficiari poterit, quia poteſt eſſe cum altero, qui primum excludat. Sin autem hujus alterius connexionem neceſſariam definite velis, convinceris te id falſo aſſumſiſſe eodem illo primo modo, quem tute poſſe jungi faſſus es, cum eam connexionem ut neceſſariam obtrudere voluiſti. Ita ens ab alio nec determinate neceſſario exſiſtit per ſe, quia poteſt eſſe in alio, nec determinate in alio, quia poteſt exſiſtere per ſe.

5. Poſtquam vero aliqua ex his determinationibus cum genere conjuncta eſt, tunc amplius ſeparari non poteſt, quin totum intereat, ſi ſit ex genere earum, quæ dicuntur ſubſtantiales, §. 129. Log. cujuſmodi ſunt genericæ, ſpecificæ, atque individuales. Nam ut differentia per ſe cum ente conjuncta eſt & facta eſt ſubſtantia quædam exſiſtens, differentia per ſe non poteſt ab ente disjungi, quin tota ſubſtantia in nihilum redigatur. Ita etiam poſtquam differentia individualis Petri juncta eſt cum homine, & exſtitit Petrus, nequit ab homine ſeparari, quin totus Petrus intereat. Quamobrem hujuſmodi differentiæ ipſæ in individuo non determinantur & profluunt a genere, quia nulla determinate cum eo conjungatur neceſſe eſt; in quo differunt ab attributis, eoquod hæc in individuo proficiſcuntur ab eſſentia, quicum neceſſario juncta intelligi debent, etiam cum nondum exſiſtit, & eſt in ſtatu poſſibilitatis; uti potentia dividendi in compoſito. Poſtquam vero copulatæ ſunt, amplius ſepara-

ra-

Digitized by Google

rari nequeunt, in quo diſcrepant ab accidentibus.

6. His conſtitutis propius accedo ad id quorſum hæc ſpectant. Jam ſupra docui ens a ſe in ſtatu meræ poſſibilitatis conſiderari non poſſe, ſed neceſſario cognoſci oportere ut exſiſtens. Quamobrem ex dictis conſequitur illius exſiſtentiam non poſſe haberi pro determinatione individuali, cum ens a ſe non ſit indifferens ad ſtatum exſiſtentiæ, & ad ejuſdem negationem, ut ad naturam differentiæ cujuslibet eſſe neceſſarium jam vidimus. Ergo exſiſtentia ad entis a ſe pertinent eſſentiam. Jam vero quod exſiſtit, eſt individuum, eo quod omnino determinatum eſt. Ergo Ens a ſe eſt individuum atque idcirco unum.

7. Nec ajas hæc non bene concludi, quia etiam Petrus eſt individuum, & tamen ex pluribus conſtat. Nam aliunde conſtat ens a ſe eſſe omnino ſimplex & omnibus partibus re ipſa diſtinctis carere. Si enim hoc ens ex partibus coaleſceret, quælibet earum foret a ſe & non a ſe; primum quia hoc attributum a ſe in ſingulis reperiatur neceſſe eſt num. 10. alterum quia foret in illa quarumcumque aliarum partium negatio, quod eſt contra naturam entis a ſe, quod eſſe omnino poſitivum nihilque negativi includens jam docuimus num. 20. Ergo ſi ens a ſe eſt ex altera parte individuum & ex altera omnino ſimplex, ſit unum tantum neceſſe eſt. Unde Ens a ſe potius cum anima comparandum eſt, quæ ſi foret unum tantum individuum, vere & proprie una foret, eo quod partibus caret.

6. Quam rationem ſic aliter urgeo. Exſiſtentia eſt illa ultima ratio, per quam res in ratione individui conſtituitur. Siquidem individuum eſt id, in quo omnia ita determinata ſunt ut nihil novi queat accedere, quin aliquid ejus, quod inerat, decedat. Per exſiſtentiam autem fit ut omnia in re exſiſtenti ſic determinata reperiantur. Ergo res jam exſiſtens non poteſt in pluribus individuis reperiri, quia perinde foret, ac ſi unum individuum in pluribus eſſet; quod manifeſte repugnat. Jam vero entia ab alio poſſunt in pluribus eſſe individuis, quia cum poſſint eſſe in ſtatu meræ poſſibilitatis, ſcilicet tamquam attributum entis a ſe, cum exſiſtentia atque ideo cum aliqua individuali differentia inde orta neceſſario copulata non ſunt; atque idcirco ſunt ad plures indifferentia. At cum ens a ſe in ſtatu meræ poſſibilitatis eſſe ne queat, ſed cum exſiſtentia neceſſario debeat eſſe conjunctum, ad plures individuales determinationes indifferens eſſe non poteſt. Ergo ſit unum tantum individuum neceſſe eſt. Et ſane ſi Ens a ſe conſideratum ut exſiſtens, quemadmodum ob allatas rationes neceſſario conſiderandum eſt, ut illius eſſentia ſartatecta ſervetur, quiret nihilominus in pluribus individuis reperiri, exſiſtentia entis a ſe plures diſtinctas exſiſtentias poſſet habere. Quod quid abſurdius? Nam hoc pacto acquireret id quod jam habere intelligitur, & neceſſario habet.

9. Siquis ad hæc animum acriter intenderit, nullus dubito, quin hanc rem, qua de agimus, hiſce rationibus cogi & effici clariſſime videat. Nihilominus ad eam magis magiſque confirmandam fac eſse plures ſubſtantias a ſe, quarum ideo alia extra aliam exſiſtet. Cum eſsentia primaria omnino ſimiles eſſe debeant num. 23. ex iis collectis majus profecto ens conficietur unaquaque illarum. Sunt enim omnes verum, & æquale ens, & quod in aliqua eſt, illud in alia non reperitur. Quælibet ergo non erit purum, atque omnino ſincerum ens, nihil negativi habens admixtum; ſiquidem in unamquamque negationes convenient aliorum entium quæ in aliis omnibus habentur. Præſertim cum

ſi

ſi plures ſubſtantiæ ſimiles a ſe eſſe poſſunt, nullus earum finitus numerus eſſe queat. Aut enim illud eſſe a ſe eſt capax unam tantum ſubſtantiam ponendi, aut ſi plures, non magis 10, quam 100, non magis 100 quam 1000, non magis 1000 quam 10000 uſque in infinitum; ens enim a ſe omne ens poſſibile complecti debet; & ſi 10 individuæ ſubſtantiæ a ſe ſunt poſſibiles, eadem ratione poſſunt eſſe 100, 1000, 10000 &c. Quare qualibet una omnium aliarum in infinitum negationes habebit. Quod conciliari non poteſt cum natura omnino poſitiva cujuslibet entis a ſe num. 20. Neque dicas ſimile ens in omnibus reperiri, & ideo ſolum diſcrimen individuationis, ut ajunt, & quantitatis entium, quemadmodum Chriſtiani ponunt Deum habere ſimile ens, quod in aliis eſt, non autem omnes individuationes. Nam inter Deum Chriſtianorum, & alias ſubſtantias eſt individuationis ſolum diſcrimen, non autem quantitatis, & magnitudinis entium: quia ſolus Deus, quamvis maxime ſimplex, tamen, utpote infinitus, omnibus a ſe creatis ſubſtantiis æquivalet, immo iis omnibus ſimul collectis infinite majus eſt, eo quod in ipſis reperitur aliquod ens ſimile enti, quod in Deo eſt, ſed conjunctum cum negationibus, atque imperfectionibus num. 18. & 19. At inter unam ſubſtantiam a ſe, & alias præſertim nullo finito numero concluſas non ſolum individuationis, ſed etiam quantitatis, & magnitudinis entium diſcrimen intercederet; quia cum quodlibet ens a ſe ſit purum & ſimplex ſine ullo negativo, aliud ab alio non in negatione, ſed in vero ente diſcreparet. Deinde a ſe eſt aliquid, quod aliunde reſtringi non poteſt. Per ſe autem in adverſariorum ſententia hoc ens a ſe eſt indifferens, ut in pluribus numero ſubſtantiis reperiatur. Quid igitur eſt, quod facit, ut in aliqua data ſubſtantia per hanc individuam exſiſtentiam definiatur? Quas in anguſtias nos non compellimur, qui unam ponimus ſubſtantiam a ſe. Nam quemadmodum quia impetus eſt a puncto ad punctum omnino determinatus, tendit per rectam, quæ una eſt, & illa utpote una, non aliis utpote pluribus, definitur, ut nova eaque invicta ratione oſtendi contra plures Recentiores §. 184. tom. 3. Phyſ. Gen., quam rationem hic repetam in Diatriba, quæ Theologiæ finem imponet; ita Ens a ſe, quod per exſiſtentiam ita neceſſario determinatur, ut ſine illa nec percipi poſſit, una tantum ſubſtantia, non pluribus definiri ſtatuimus.

10. Commode ſermo paulo ſupra inductus eſt in eum locum, quod ſi poſſunt eſſe plures ſubſtantiæ a ſe, nullus earum numerus definiri poteſt. Nam inde alia elicitur ratio, qua plures ſubſtantias entis a ſe participare non poſſe compertum ſit. Nam vel ſententia Adverſariorum eſſe non poteſt numerus infinitus, vel poteſt. Si eſſe non poteſt, niſi Ens a ſe ſit unum, ulla ratio non erit cur potius hoc, quam illo ex finitis numeris, qui ſoli eſſe poſſunt, comprehendatur. Nam ſemel ac ab unitate diſceſſeris, ſimilium ſubſtantiarum quilibet numerus eſt poſſibilis. Ens autem a ſe omne poſſibile complectatur neceſſe eſt. Quare ens a ſe intrinſecus ad ullum numerum finitum ſubſtantiarum determinatum non erit. Nec extrinſecus definiri poterit, cum ens a ſe a nullo pendeat, nec ſit ut corpora, & animæ, quæ ut numero definito in hac univerſitate reperiantur, libera Dei voluntate, quæ tot nec plura, nec pauciora gignere maluit, factum eſt. Certum eſt igitur, & exploratum plures numero finito ſubſtantias a ſe non poſſe conſtare. Quare videamus an infinitæ eſſe queant. Qua in re illud primum ſtatuo non poſſe illo infinito numero

ro

Digitized by Google

ro comprehendi, quo major exſiſtere poteſt, quemadmodum in Phyſ. Gen. tom.I. §. 88. & ſupra num. 5. explicavi, cum ſi forent infiniti homines, aut montes arenæ, majorem oculorum, & arenarum numerum fore diſſerui. Nam qua ratione nullum definitum ſubſtantiarum a ſe numerum exſtare poſſe confeci, ea nullum definitum infiniti numeri, quo major eſſe quit, gradum eſſe poſſibilem monſtrare poſſum. Reſtat ergo ut numerus ſubſtantiarum a ſe ſit maximus omnium infinitorum numerorum, qui eſſe queunt. Id vero omnino diſſentaneum eſt a ratione. Nam in hiſce ſubſtantiis a ſe, quæ per adverſarios non ſunt niſi corpora, & animæ, nonne accidentia inveniuntur, quæ a ſubſtantia diſtingui negare non poſſunt? Quod componi qui poteſt cum eo, quod ſubſtantiæ a ſe illo contineantur infinito numero, quo major eſſe non poſſit? Nam ad colligendum numerum entium, qui computatur, etiam accidentia, ut objecta diſtincta a ſubſtantiis, conſpirant. Deinde etſi poſſit eſſe vel extenſio, vel numerus infinitus, quod in nullas difficultates inextricabiles cadere citatis locis docuimus, tamen extenſionem, aut numerum ita infinita eſſe non poſſe, ut nullus major haberi queat, certum videtur. Nam ſi ſit corpus ita in infinitum undequaque extenſum, ut majus nec percipi queat, extenſioni in longum adde extenſionem in latum, corpus longius tuæ menti obverſabitur; rurſus expanſioni in latum expanſionem in longum adjunge, & corpus pariter latius mente revolves. Ergo fieri nequit ut extenſum habeas aut ita longum, ut longius, aut ita latum, ut latius intelligi nequeat. §. 50. & ſeq. Res hic ita plane ſe habebit, ut in extenſione infinite parva; nam etſi dari poſſit extenſio infinite parva; non tamen ita exſiſtere poteſt infinite parva, ut ex iis, quæ hujuſmodi ſunt, omnium minima ſit. Nam ut ibidem docuimus, inter finitam, & infinite parvam ſemper intercipi poteſt alia media proportionalis quæ minoris gradus infinite parva ſit, numquam tamen ejus, qui proprie dicatur primus, & aliam magis infinite parvam excludat. Ex eo vero, quod extenſio omnium infinitarum maxima repugnat, conſequens eſt nec haberi poſſe numerum omnium infinitorum maximum. Nam ſicut extenſio infinita ita in infinitum augeri poteſt, ut ad maximam numquam perveniatur, ita infinitorum palmorum, qui in qualibet extenſione infinita ſunt, numero accedere poſſunt infiniti alii palmi, qui in aliis extenſionibus infinitis ſunt, ut ad numerum omnium infinitorum maximum ne hilum quidem accedatur. Quæ cum ita ſint, quis non videt liquere ſubſtantias plures, eaſque eſſentia ſimiles, ut ſupra evicimus num.23. a ſe non poſſe conſtare. Nam ſi plures aut finitæ numero ſint, aut infinitæ neceſſe eſt. Neutrum autem, ut oſtendimus, eſſe poteſt. Ergo plures eſſe non poſſe, ſed unam numero tantum manifeſte concluditur.

25.

Tuebitur aliquis hoc pacto poſſibilem eſſe ſubſtantiarum a ſe numerum aut finitum, aut alicujus generis infinitum, tametſi non maximum omnium. Cujuſlibet ſubſtantiarum a ſe ſpeciei una tantum numero eſſe poteſt; ſed quia poſſunt eſſe plures aut finitæ, aut infinitæ ſubſtantiarum a ſe ſpecies, ſeu melius diſcrimina, idcirco plures etiam eſſe poſſunt ſubſtantiæ a ſe non ſimiles eſſentia primaria, ſed diſſimiles; nec id pugnat aut cum eo, quod ens a ſe eſt poſitivum, aut cum eo, quod ſine ratione aliquis numerus aut finitus, aut infinitus, ſed non omnium maximus definitur. Nam ex altera parte eatenus ens a ſe eſt omnino poſitivum, ſive omne poſſibile ens complectitur, quatenus

omnes includit ſubſtantias, quæ ſunt a ſe, non autem ſi in una tantum ſubſtantia a ſe conſideretur; nec plus conficitur ratione num. 15. ex altera vero diverſitas ipſa ſingularum eſt ratio, cur tot poſſibiles ſint, & nihil amplius; nec nos contrarium ſuaſimus niſi in ſimilibus ſubſtantiis. Ergo hac ultima ratione plures ſubſtantias a ſe non conficitur repugnare.

26.

Equidem aſſentior rationem num. 15. non plus conficere, quam Adverſarii volunt, eamque ſubjeci, quo rem ipſiſmet contrariæ ſententiæ Patronis probarem ratione, quam nullo pacto repudiare poſſent. Sed quid reponere queunt ad illam, quam ejuſdem num. 15. initio paucis concluſi? Cum enim cujuslibet ſubſtantiæ, quæ ſit a ſe, tam genus, quam differentia ſint poſitiva, qui fieri poteſt ut aliquid negans ſubſtantia ex iis coalita habeat, quemadmodum haberet, ſi ſubſtantiæ a ſe plures forent, atque eſſentia primaria diſcreparent? Quidquod in hac ſententia ens a ſe ipſum per ſe foret ad hanc, aut ad illam ſubſtantialem differentiam indifferens, quia poſſet æque cum hac, atque cum illa differentia copulari, quin deſineret eſſe a ſe, perinde ac alia genera cum differentiis conjungi poſſunt? Quamobrem ab hac indifferentia ad ſtatum determinationis, quem per ſe non habet, traduci ab alio deberet. A quo vero traduci poteſt, quod ab alio nihil prorſus accipit, & ob naturam nulli ſubjectam nihil accipere poteſt? Quæve ratio ſufficiens poteſt afferri, cur in hac ſubſtantia cum hac potius differentia, quam cum alia conglutinetur? Accedit ens a ſe, quod attinet etiam ad exſiſtentiam, ita eſſe determinatum, ut nec percipi poſſit ſine exſiſtentia, nec plures ſimiles exſiſtentias in pluribus ſimilibus ſubſtantiis a ſe queat accipere. Ex quo efficitur tanto magis futurum eſſe determinatum quod ad differentias, ut in diſſimilibus ſubſtantiis eſſe non poſſit. Nam ſi circulus conſideratus ut exſiſtens non poteſt plures ſingulares & ſimiles determinationes accipere, multo minus cum pluribus, & diſſimilibus conjungi quibit num. 24. Tandem quod per ſe ad aliquod definitum genus entis determinatum non eſt, nec aliunde determinari poteſt, illud aut nullum ens habet, aut omnia genera habet. In eo enim, quod hujuſcemodi eſt, nulla eſt aut inſita, aut extrinſecus adſcita ratio, quæ illud compellat veluti in anguſtius, ad aliquod genus determinatum entis, quod unum inter nihil entis habere, & inter omnia genera poſſibilium entium continere intercipitur. Quælibet autem ſubſtantia a ſe nec habita ratione generis, ut liquet, ad aliquod definitum entis genus determinatur, nec habita ratione differentiæ a ſe, quod per ipſoſmet Adverſarios a ſe eſt ad plures ſubſtantiales differentias indifferens; & alioquin extrinſecus determinari non poteſt. Ergo quælibet ſubſtantia a ſe aut nullum habeat ens, aut omnia neceſſe eſt. Nullum autem habere repugnat, cum ſit ens, & a ſe, atque exſiſtat. Reliquum ergo eſt, ut quælibet ſubſtantia a ſe omnia poſſibilia entia contineat. Ita fit, ut ſi plures ſint, nequeant eſſentia primaria diſſidere. Quod cum a ratione alienum eſſe confectum fuerit, plures ſubſtantias a ſe repugnare, & idcirco unam tantum admitti oportere omnino tenemus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Ens a ſe eſt diſtinctum ab animabus & corporibus, totoque mundo, deque aliis Entis a ſe attributis.

27.

QUo conſtituto cetera facillime conſequuntur, quibus Atheorum, cujuſcumque demum generis ſint, labefactetur ſyſtema. Nam primo efficitur cum hac ſubſtantia a ſe nullum verum accidens abſolutum cohærere; cujus accidentis abſoluti nomine intelligo illa, quæ non ſunt mera relatio inter plura, & a pluribus una collectis, ſive ab ipſamet collectione oriuntur, ſed ad ipſammet ſubſtantiam accedunt, & in ſingulis partibus, ſiquas illa ſubſtantia habet, reſident ita, ut etiam iis avulſis permanere queant, iiſque conjunctis abeſſe, num. 8. cujuſmodi ſunt omnes ſtatus interiores mutationes, uti cognitiones, & ideæ in anima, quarum alia aliis ſuccedit, & vires motrices in corpore. Sic autem rem conficio. Quod natura & eſſentia ita comparatum eſt, ut omnino ſit poſitivum, & in ſe includat omne poſſibile ens, illud nec aliquod verum ens denuo accipere poteſt, cum omnia poſſibilia habeat, nec ex iis, quæ habet, aliquid amittere; nam hoc pacto fieret ex parte negativum; quod negatio accederet illius veri entis, quod abſcederet. Hoc autem prorſus repugnat. Ut enim ſubſtantia, natura & eſſentia capax aut cognitionis, aut motus, fieri non poteſt iiſdem accipiendis inepta, ita nec ens ex poſitivo, quale natura eſt, negans fieri poteſt. Natura vero, & eſſentia entis a ſe illud poſtulant, atque requirunt potiſſimum, ut ſit omnino poſitivum, & omnia poſſibilia entia complectatur, uti hactenus docuimus. Igitur ſubſtantia a ſe nihil veri entis acquirere, nihil eorum, quæ habet, amittere poteſt. Jam vero accidentia abſoluta ſunt vera entia, quæ ſubſtantiæ jam in ſuo eſſe completæ & perfectæ accedunt, & ab ea ſejungi poſſunt, atque a ſola mutua partium relatione nequaquam exſiſtunt; nec dici poſſunt exſiſtere tantum in mente, quemadmodum ipſæ relationes, ſed in ipſis rebus, ut ideæ in anima, & vires in corporibus, tamquam res ab ipſa ſubſtantia aliquo modo diſcretæ, inveniuntur. Ergo ſubſtantia a ſe nulla vera abſoluta accidentia habere poteſt.

2. Ex quo conſequitur ſubſtantiam a ſe eſſe intrinſecus immutabilem. Quod enim nihil novi entis acquirere poteſt, quod antea non habebat, nihil amittere, quod habet, id prorſus intrinſecus immutabile eſt. Ita vero eſt ſubſtantia a ſe. Igitur omnino intrinſecus immutabilis eſt.

28.

Nec minus concluditur nullum corpus, nullamque animam eſſe ſubſtantiam a ſe. Nam primo tum corpora, tum animæ plures ſunt, atque ſubſtantia tum illa inter ſe, tum hæ pariter inter ipſas ſimiles. Plures autem ſubſtantiæ a ſe ſimiles, immo nec diſſimiles eſſe poſſunt num. 24. 27. Igitur nullum corpus, nullaque anima poteſt eſſe a ſe. Deinde ſi ad illud adeo monſtruoſum ſyſtema confugeris, tuam tantummodo mentem exſiſtere, quod aliquos exterarum nationum prorſus mente captos amplecti apud Wolphium in Theologia legi, tuo tamen inſano errori latebram non invenies. Nam tibi conſcius eſſe potes mentem pluribus iiſque diverſis ideis, quarum aliæ aliis accedunt, informari,

quemadmodum diverſæ ſint oportet illæ ideæ, quæ objecta diverſa exhibent; cum idea ſit naturalis objecti imago, pluribus idcirco diverſis objectis minime repræſentandis idonea. Ex quo in cognitionem venire potes tuam mentem habere vera abſoluta accidentia, & fieri ex parte negantem, cum amplius illa objecta non cognoſcit, quæ antea cognoſcebat. Cognitio ſiquidem eſt aliquid poſitivum, cujus idcirco abſentia negativum aliquid in mente exſtare convincit. Unde ſine ulla prorſus dubitatione concludere debes tuam mentem non eſſe ſubſtantiam a ſe, atque ideo exſiſtere ſubſtantiam a ſe diſtinctam ab hac tua mente, quam unam exſiſtere tibi penitus ſine ulla ratione, immo contra omnem rationem comminiſceris. Nam inficiari non potes ſaltem duas ſubſtantias, quarum altera ſit a ſe, altera vero ſit tua mens, cujus exſiſtentiæ tibimetipſi conſcius es. Deinde hoc ſemel poſito conſequitur tuam ſubſtantiam ex nihilo fuiſſe creatam ab ente a ſe. Cum enim exſiſtat, & non ſit a ſe, nihil aliud eſt reliquum, niſi ut ab alio, ſcilicet a ſubſtantia a ſe proficiſcatur. Non poteſt autem ita proficiſci, ut ſubſtantia a ſe, quod in ipſa eſt, illud idem in individuo communicet, & in formationem tuæ mentis transfundat. Nihil enim de immutabili ſubſtantia a ſe decedere poteſt num. 27., nec tua mens poteſt eſſe veluti illius internum accidens, quod eadem accidentibus prorſus caret. Aliud ergo nihil eſt reliquum, niſi ut ejus ſingularem naturam e nihilo eduxerit. Quod ſi ſemel unam ſubſtantiam e nihilo eduxerit, quidni alias in infinitum educere potuerit, cum nihilum aut nullius paſſivæ potentiæ ſit, aut infinitæ? Sed hæc hactenus.

29.

Interim manet corpora, & animas eſſe ſubſtantias, quæ ab Ente a ſe fuerunt e nihilo eductæ. Ex quo illud conſequitur Ens a ſe libertate, & cognitione donari. Id enim libera facultate eligendi præditum eſt, quod etiamſi natura, & eſſentia ad aliquid faciendum determinatum non ſit, nec extrinſecus determinetur, tamen ad illud manus admovet. Nam ſine ratione ſufficiente nihil eſt; cum vero nec interior eſſentia, nec aliquid extrinſecus accedens ſubſtaniam ad aliquid efficiendum determinat, ratio, cur id fiat, in alio eſſe non poteſt, quam in inſito quidem, ſed libero principio, non autem in neceſſario, quod ab eſſentia proficiſcatur. Ens autem a ſe nec extrinſecus, ut diximus toties, ad res creandas impelli poteſt, nec interiori natura, & eſſentia ad creationem neceſſario movetur. Nam ſi neceſſitate naturæ corpora, & animas crearet, nulla eſſet ratio ſufficiens cur tot potius efficeret, quam tot alias. Nam vel corpora, & animæ poſſunt eſſe ſolum finitæ, vel etiam ad infinitum numerum pervenire queunt. Si finitæ, nihil rationis eſt, cur eſſentia entis a ſe omne poſſibile ens in ſe continentis ad 100 potius, quam ad 1000, ad 1000 potius, quam ad 10000 neceſſario determinetur num. 24. Si vero infinitæ eſſe poſſunt, nulla pariter ratio eſt, cur, cum jam oſtenderimus citato numero numerum omnium infinitorum maximum haud poſſe haberi, eadem eſſentia determinetur ad numerum corporum, & animorum infinitum quidem, ſed alicujus definiti, certique gradus, non autem altioris, tametſi hic non minus eſſe queat. Quare natura entis a ſe ita comparata eſſe non poteſt, ut ad res creandas neceſſario determinetur. Jam vero quædam e nihilo eduxit. Reſtat ergo ut ex ſubſtantiis, quas creare poterat, libera electione ſe ad has potius, quam ad alias plures, aut pauciores determinarit.

Ex

Digitized by Google

Ex poſſibilibus autem eligere non potuit quas determinate crearet, niſi poſſibiles cognoſceret. Ergo ita fit, ut Ens a ſe intellectum, quo cognoſcat, & voluntatem libertate donatam habeat.

2. Sed cognoſcendi & appetendi facultas facilius efficitur ex eo, quod cognoſcere & velle eſt ens, ideoque ſimplex perfectio num. 16., non vero entis negatio; in ente vero a ſe eſt omne ens num. 20. Ergo etiam cognitio & actus volendi ideoque & cognoſcendi appetendique facultates, quæ intellectus & voluntas appellantur. Nec minus inde conficitur eſſe in Ente liberam eligendi facultatem. Nam etiam interior ſe ad actionem applicandi facultas eſt ens, non vero entis negatio, ut ipſum per ſe liquet. Ergo ob allatam rationem in Ente a ſe reperiatur neceſſe eſt.

2. Tandem ex dictis elici poteſt Ens a ſe eſſe undequaque infinitum & ſumme perfectum. Nam quod habet in ſe omne poſſibile ens, id eſt infinitum undequaque, & præſertim ſi hæc entia poſſibilia hujuſmodi ſint, ut nullus finitus eorum numerus definiri queat, ut revera definiri non poteſt. Nam ſemel ac aliqua aut corpora, aut animæ ſunt poſſibilia, numquam pervenire poſſumus ad ultimum eorum, quæ poſſiblia ſunt, ſive ſeriem infinitam, ſive finitam percurramus num. 28., quibus omnibus etiam magnitudine Ens a ſe æquivaleat neceſſe eſt num. 24. Re autem vera Ens a ſe, utpote omnino poſitivum, complectitur omne poſſibile ens num. 23. 24. 27. Igitur ens a ſe ſit undequaque infinitum oportet.

2. Unde infinitum erit in cognoſcendo, quia ex infinitis objectis poſſibilibus nullum latebit mentem a ſe; in amando quatenus omnia entia, ut bona, & optimum ſemper amabit; in eſſendo, quatenus erit ubique, & quidem totus in qualibet parte, quia cum una tantum, & ſimplex ſubſtantia ſit, ne accidentia quidem, ne dicam partes reales ſeparabiles admittens num. 27., alio modo ubique eſſe non poterit; denique infinitum in omnibus aliis attributis, de quibus hic ſpeciatim non differemus, ne integram Naturalem Theologiam alibi tractandam hic tradere cogar. Id unum advertimus ex dictis liquere quam ad omnia Dei attributa ſumma facilitate cognoſcenda definitiones a nobis traditæ perfectionis puræ & mixtæ num. 16. fæcundæ ſint adminiculo illius principii, quod in ente a ſe omne poſſibile ens reperitur.

30.

Hic duo adjiciam, alterum quod attinet ad difficultatem quæ adverſus ſuperiora fieri poteſt, & contra creationem rerum in tempore, ut fides catholica docet; alterum vero quod attinet ad enucleatius noſcendam corporum, & animarum naturam. Difficultas hujuſmodi eſt. Quomodo fieri poteſt ut Deus ſit ſimul immutabilis, & liber, & ſine ulla mutatione res in tempore crearit, cum ita ex non Creatore creator factus eſt? Hac ſcilicet ratione. Duobus modis actus divinæ voluntatis conſiderari poteſt, abſolute quid ſit in ſe, & relative quatenus ad res extra Deum refertur. Abſolute conſideratus ab æterno liber non fuit; nam cum nullum ſit in Deo accidens, num. 27. actus ipſe per ſe divinæ voluntatis eſt idem, ac divina ſubſtantia omnino immutabilis. Si vero ad res alias referatur, expers libertatis non fuit, quatenus illemet idem actus aut ad nullas res creandas, aut ad alias referri poterat. Neque enim alius fuiſſet Deus, ſi vel alium mundum, vel nullum condere ſtatuiſſet. Pariter cum ex non creatore creator factus eſt, in eo fuit ſola relationis mutatio, quæ eſ-

ſe

Digitized by Google

ſe poteſt, quin res aliquid veræ mutationis ſubeat, modo aliud revera mutetur. Neque dixeris id contingere ſolum in relationibus ſimilitudinis, diverſitatis, & ſimilium, non autem in relationibus cauſſæ, & effectus, quod effectus eſſe non poteſt, niſi prius cauſſa, a qua effectus exſiſtit, mutetur. Nam id ſolum cadit in ſubſtantiam, quæ virtute creandi prædita non eſt, quia hæc non poteſt aliquid efficere, niſi partem vis cum alia re communicet, & idcirco amittat, quod ſine interiori mutatione cujuſdam abſoluti, qualis eſt vis, haberi non poteſt. At quæ ſubſtantia creandi virtute prædita eſt, & vim habet eſſentialem, atque omnino inſeparabilem a ſubjecto, in quo ineſt, illa nihil abſoluti amittere poteſt, dumque aliquid e nihilo educit, ipſa ſolum relative, res creata abſolute mutatur.

2. At enim aliquis Atheus ex his occaſionem arripere poteſt infirmandi ea, quæ a nobis ſtatuta ſunt de corporibus & animabus, quæ pro entibus a ſe haberi non poſſe monſtravimus. Nam dici poteſt etiam in animas & corpora ſolum cadere mutationes aliquas relativæ naturæ, quas non dedecere Ens a ſe concedimus. Et revera Carteſiani aliam nullam in corporibus mutationem agnoſcunt, niſi motus & translationis corporis ab alio ad alium locum, quæ eſt pura ad externum ſpatium relatio in ipſorum ſententia, qui nullam contendunt eſſe in corporibus vim a motu, tamquam cauſſam ab effectu diſtinctam, & volunt ideo corpus quieſcere, quia Deus illud in eodem loco conſervat; ideo moveri, quod in diverſis gradatim & continenter locis recreat. Quod poteſt etiam in animas convenire, in quibus ſemper idem perſtare dici poteſt cognoſcendi actus, qui ſolum alius atque alius eſſe poſſit ratione habita objectorum, ad quæ refertur. Ergo ea ratione nihil effecimus pro corporibus atque animabus ex numero entium a ſe expungendis: præſertim ſi hæc ita conſideremus, quatenus ſimul juncta totum hunc mundum componunt & omnium rerum univerſitatem, a qua nullum aliud diſtinctum ens a ſe multi ex hodiernis Atheis acerrime tenent. Nam in ſingulis quidem ejus partibus eſt aliqua mutatio, & aliqua etiam negatio, non vero in iiſdem collectis atque in toto mundo, propterea quod idem permanet, cum quod uni ejus parti detrahitur, ad aliam migret, & omne poſſibile ens in ſe habet non in partibus ſeorſim inſpectis, ſed in omnibus copulatis.

3. Verum ex eo quod ſupra ſtatuimus num. 19. de relationibus inter plura creata, quæ ipſæ per ſe creari & generari non poſſunt, ſequitur nec eaſdem relationes ipſas per ſe poſſe mutari. Quod enim ipſum per ſe gigni non poteſt, neque ſubire quit mutationem, qua res interit, ideſt gigni ceſſat, & alia denuo fit. Reſtat igitur, ut ſolum remote variari poſſint, ideſt mutatione eorum, quæ tamquam aliquid abſolutum primitus a Deo condita ſunt, quæque cum proxime a Deo creentur, etiam ceſſatione actionis creantis Dei ipſa per ſe proxime corrumpi queunt, & per aliam actionem in alia mutari. His vero certa vis motricis a motu diſtinctæ alte in rerum natura latentis veſtigia deteximus tom. 1. Phyſ. Gen. §. 119. & in Ont. §. 51. n. 14. & ſeq. Cum enim ex altera parte oſtenderimus purum motum aliud non eſſe niſi corporis ad ſpatium relationem, & ex altera nullam relationem inter duas res mutari poſſe ſine mutatione abſoluti & ejus, quod proxime a Deo creatur, planum fecerimus; concluditur mutationem relationis locorum nequire fieri, niſi in corporibus mutetur aliquod abſolutum, & ab hac relatione diſcretum, quod proxime a Deo

cree-

Digitized by Google

creetur, & mutationis hujus relationis ſit proxima ratio, fundamentum, & cauſſa propria atque effectrix. Hoc autem donatur nomine vis motricis ſive continui conatus ad motum. Ex quo etiam ſequitur vim hujuſmodi jam generatam totam eſſe in quolibet ſpatii puncto. Hæc enim, quæ eſt proxima ratio & cauſſa mutationis loci & ſpatii, in pura mutatione ſpatii, ſicuti motus, conſiſtere nequit; quia præter allatam cauſſam mutatio ſpatii uſque ad aliquem locum mutationis ſpatii per ſequentem & per alia quæ continuate ſequuntur, eſſe cauſſa non poteſt, cum motus in primo loco jam interierit, quando corpus ad ſequentem migravit. Quare ſi vis non eſt mutatio ratione habita ſpatii, in omnibus ſpatii punctis permanens & integra reperiatur neceſſe eſt.

4. Quibus conſtitutis planum & evidens fit in corporibus, quæ modo quieſcunt, modo moventur, ſive modo majori, modo minori cientur velocitate, interiorem aliquam fieri mutationem illius, quod revera in ipſis eſt tamquam aliquod abſolutum & permanens; immo id perſpicuum fit etiam in animabus, quæ interiori plurium idearum, & appetituum mutationi obnoxiæ ſunt, eo quod ratio valet univerſe in omnes ſubſtantias, quæ mutationem aliquam etiam in relationibus ſubeant. Quamquam in his illud etiam ſeorſim dici poteſt, quod cum ex altera parte ideæ ſint naturales & expreſſæ rerum imagines, atque idcirco iiſdem ſimiles eſſe debeant, & ex altera res quæ in mentem illabuntur, valde inter ipſas diſſimiles ſint, etiam ipſæ imagines ſint intrinſecus diſſimiles neceſſe eſt. Quare cum anima nunc his, nunc illis pulſetur notionibus, falſum eſt, quod ab adverſariis affirmatur, eumdem eſſe animæ cognoſcendi actum, tametſi objecta diverſa ſint. Quare conſtat in corporibus & animabus eſſe veras & interiores mutationes, atque idcirco eadem non continere in ſe omne poſſibile ens, ideoque nec ens a ſe eſſe poſſe.

5. Quod attinet ad univerſum, vel Athei aſſentiuntur eſſe congeriem plurium ſubſtantiarum, quarum aliæ ab aliis prorſus diſtinctæ ſunt, vel ita ſunt mente capti ut velint ipſum eſſe unam tantum ſubſtantiam, quod eſt non philoſophari, ſed vaticinari. Si primum, jam ſupra docuimus num. *9.* ens a ſe in eas ſingulas cadere, non quatenus conjunctæ ſunt. Quamobrem ſingulæ forent ens a ſe, quod pugnat cum iis quæ pluribus locis & præſertim num. 24. confecimus. Quare ſi totus mundus ex pluribus coaleſcit ſubſtantiis, quemadmodum omne corpus in ſenſus incurrens ex pluribus corpuſculis primitivis, attributum a ſe eidem convenire non poteſt. Sin autem ad alteram partem cum impio Spinoſa ſe vertant, graviorem plagam accipient, ut vitent leviorem. Qui enim fieri poteſt ut ſibi perſuadeant, duo ex. g. corpora, quæ in contrarias omnino plagas & diverſis velocitatibus eodem tempore moventur, non eſſe duas diſtinctas ſubſtantias? Putabunt ne poſſe fieri, ut eadem omnino ſubſtantia ſurſum & deorſum eodem inſtanti feratur, & in pluribus locis ſit? An confugient ad partes ejuſdem ſubſtantiæ diverſas, quarum aliis verſus alia loca cieatur? Si partes illæ ſint ipſæ inter ſe prorſus diſtinctæ & aliæ ab aliis ſecretæ, ultro concederem. Verum & hæ partes tunc forent ſubſtantiæ diverſæ, & in eaſdem ſingulas atque ſeorſim conſideratas attributum a ſe conveniret. Quo fieret ut eodem revolveremur, quo paulo ante. At ſi disjunctæ non ſunt, qui fieri poteſt ille earumdem in contrarias omnino plagas eodem tempore motus?

6. Sed ad hujuſmodi inſanos homines penitus refutandos oſtendendum ſuſcipio

pio Deum extenſione donatum non eſſe, atque idcirco eſſe diſcretum a mundo, in quo eadem reperitur. Extenſum una ſui parte eſt in una parte loci, non vero in aliis; hoc autem eſt negatio entis, quia eſſe in iiſdem locis eſt ens. Jam vero in ente a ſe nulla prorſus negatio eſt num. 20. Ergo nec poteſt eſſe extenſum, ex quo illa negatio proficiſcitur. Dices negationem relationis non dedecere Ens a ſe neque per nos, qui eaſdem relationes variari poſſe volumus & revera tenemus ante creationem Deum nequaquam fuiſſe in loco extenſo, bene vero poſt creationem. Ad id refellendum adverto duo eſſe genera potentiarum, aliæ ſunt potentiæ proximæ, quibus ad ſuum actum conſequendum nihil intrinſecus deeſt, ſed ſolum aliquid externum, ſcilicet admotio rei alterius ad alteram; aliæ vero potentiæ remotæ, quibus præter applicationem rei alius ad aliam, aliquid etiam intrinſecus deeſt; ut ferrum calidum habet potentiam proximam calefaciendi, quia nihil intrinſecus ad calorem gignendum in eo deſideratur, ſed ſolum externa manus ex. g. ad ferrum admotio. At frigidum ſolum habet remotam, quia præter applicationem manus ad ipſum, neceſſe eſt ut prius calorem ſuſcipiat. His poſitis ajo noſtrum Ens a ſe ab æterno habuiſſe quæ neceſſaria forent, ut toti mundo præſens foret ea ratione, quam ſupra explicavimus; defectum autem fuiſſe ex ſola parte mundi, qui ab æterno non erat. Unde in ipſo nulla interius mutatio fit, cum mundus creatur, nec ideo ante creationem eſt aliqua negatio. At extenſum Ens adverſariorum cum una ſui parte foret in una parte loci, non vero in aliis, tametſi hæc loca reperirentur. Quare hic defectus & negatio eſſet non in locis, quæ reipſa non forent, ſed in ipſomet ente a ſe; quod cum natura entis a ſe prorſus poſitiva & omnem excludente negationem conciliari non poteſt. Quo ſatisfit propoſitæ difficultati, & manet Ens a ſe non ſolum ab animabus atque a corporibus, verum etiam a toto mundo eſſe diſtinctum atque ſecretum.

31.

Alterum vero, quod pertinet ad ſubſtantiarum ab alio naturam & ideo etiam ad naturam Entis, a quo illæ proficiſcuntur, exquiſitius noſcendam, in eo poſitum eſt, quod ſubſtantiæ ab alio, uti ſunt corpora, & animæ, ne momento quidem perſeverare poſſunt, quin continenter a Deo conſerventur, ideſt cum conſervatio definiatur continuata creatio, ſcilicet illius divinæ actionis, qua primum creatæ fuerunt, continuatio, ut res creatæ perſeverent, continuatione illius actionis, qua primitus conditæ ſunt, indigent; adeout quo in nihilum redeant, non opus ſit actione poſitiva Dei, qua perimantur, ſed negativa tantum, ideſt ceſſatione illius actionis, qua primum a Deo creatæ fuerunt. Nam nihil in vero, & inextenſo momento eſſe poteſt, ſed incipit tantum eſſe, aut definit, ut tom. I. Phyſ. Gen. §. 26. & ſeq. oſtendi, & in Ont. §. 121. Quamobrem nec actio, qua Deus res e nihilo eduxit, quæque in ipſis rebus recipitur, in vero inextenſo momento in iiſdem durare poteſt, ſed ſaltem tempus aliquod permaneat neceſſe eſt, tamdiu ſcilicet, quamdiu aliquis vel minimus motus perficitur. Nam præterquamquod ſi momento ſolum perſeveraret, tempus ex veris inſtantibus, & ſpatium ex veris punctis inextenſis componi, quod repugnat §. 15. ibid. & in Ont. §. 72. inde conſequeretur §. 26., & ſeq. ibid. & in Ont. §. 132. conſequens quoque foret actionem Dei eodem inſtanti iu rebus eſſe, & non eſſe; eſſe ut ponitur, non eſſe, ut probatur, quia quod in illo inſtanti definit eſſe, non eſt. Neque enim inſtans omnino inextenſum, in quo

ſci-

Digitized by Google

ſcilicet nullum ſpatium extenſum percurri poteſt, plures habet partes, & facies, quarum alia extra aliam ſit, & in quarum alia actio Dei ſit, in alia non ſit. Hoc conſtituto videamus, quantum debeat eſſe hoc tempus, quo in ipſis rebus divina creationis actio durare debeat in eum finem, ut revera ſint. Non aliquod finitum ſolummodo, adeout poſt illud amplius conſervationi rerum neceſſaria non ſit. In temporibus enim finitis, quæ majora & minora eſſe poſſunt in infinitum, non eſt major ratio, cur tantum hoc potius tempus finitum ad rei non ſolum inceptionem, ſed etiam veram in eſſe poſitionem Supremi Numinis actio neceſſaria ſit, non vero minus, cum minori in infinitum tempore vere dici poſſit quidpiam exſiſtere; & verus motus tum per $\frac{1}{2}$ palmi, tum per $\frac{1}{4}$, tum per $\frac{1}{8}$, & ita in infinitum vere perfici poſſit, eaque percurſa ceſſare. Reſtat ergo ut videamus an ſolum per aliquod infinite parvum tempus hæc divina vis requiratur. Si in temporibus infinite parvis dari poſſet tempus adeo minimum omnium infinite parvorum, ut minus eſſe nequiret, forte dubitari poſſet divinam actionem per illud tantum deſiderari, quo res ipſæ per ſe in poſterum conſiſterent. At cum eo, quod ſpatium extenſum omnium minimum, & infinite parvum primi gradus haberi non poſſe docuimus ſupra & §. 88. tom. 1. Phyſ. Gen. tempus pariter omnium minimum deſignari non poſſe ſua ſponte conſequatur; quis ambigere queat neque per aliquod infinite parvum tempus requiri divinam actionem, cum non ſit major pro uno infinite parvo ratio, quam pro aliis in infinitum infinite parvis, quæque ratio in tempora finita valet, eadem in infinite parva conveniat? Cum vero jam effecerimus neceſſario requiri ut actio divina per aliquod tempus perſeveret, quo res vere ſint, non tantum eſſe incipiant, quæ alioquin inceptio ut modus ſine re quæ eſt, eſſe nequit, & nunc majorem non eſſe rationem pro uno tempore finito, aut infinite parvo, quam pro aliis in infinitum oſtendamus; illud neceſſario conſequitur divinam actionem tamdiu neceſſario poſtulari, quamdiu res durant, eaque ceſſante has ne minimum quidem temporis poſſe perſeverare. Quæ omnia ſic brevius concluduntur. Ex altera parte divina creationis actio in rebus per aliquod tempus perſeveret neceſſe eſt; ex altera vero ſi non debet perſeverare per totum tempus durationis rei, nullum poteſt afferri tempus, quo eadem permanere neceſſario debeat, non unum minutum, quia res durare poteſt ſolum $\frac{1}{2}$ minuti, & pro duratione rei per tempus $\frac{1}{2}$ minuti, actio unum minutum permanens non requiritur; non $\frac{1}{2}$ minuti, quia res durare poteſt ſolum $\frac{1}{4}$ minuti; non $\frac{1}{4}$, & ſic in infinitum. Si in diviſione temporis in partes pervenire poſſemus ad partem temporis omnium minimam, noſtra hæc ratio labefactaretur, quod per tempus minus minimo res durare non poſſet. At cum etiam data poſſibilitate deſignandi particulas infinite parvas, quæ adhuc incerta eſt in ſententia multorum, ad minimam omnium infinite parvarum perveniri non poſſe certum & exploratum ſit; ratione allata tenemus, ſi ſemel pro omni tempore durationis rei divinæ actionis duratio neceſſaria non ſit, nullo vel infinite parvo tempore hanc eamdem actionem neceſſariam eſſe futuram. Quod cum neceſſitati modo confectæ adverſetur, pro toto tempore durationis rei divinam actionem neceſſario requiri liquidum facit.

PARS SECUNDA.

De attributis Dei relativis.

§. 72. Animadverſio

IN prima Theologiæ Naturalis parte ſatis enucleate docuimus exſiſtere Deum, & quænam ſint ipſius abſoluta attributa. Reſtat ut in hac altera de relativis ejuſdem attributis diſſeramus. Quamquam enim de his etiam in illa identidem diſputatum eſt pro re nata, præſertim ut contrarias rationes inde petitas refutaremus: nunc tamen de iiſdem accuratius & data opera differere aggredimur, quo ultimam huic quoque præcipuæ Philoſophiæ parti manum imponamus.

CAPUT PRIMUM.

De Deo Creatore.

§. 73. Propoſitio

DEus mundum, ſive ſubſtantias intelligentes & ſubſtantias corporeas ſive extenſas creavit. Prob. Quod nunc exſiſtit & non eſt ens a ſe, debuit a Deo creari ſive ex nihilo educi. Cum enim Deus ſit illud unum Ens a ſe, quod fuit ab æterno §. 100. Log. ſubſtantiæ quæ non ſunt a ſe, non poſſunt niſi ab illo ducere originem. Rurſus cum Deus ſit immutabilis & ſimplex, §. 21. 34. nullas habet partes quas a ſe poſſit disjungere, ut ex iiſdem alias ſubſtantias a ſe diſtinctas formet. Ergo nihil aliud eſt reliquum niſi ut has ſubſtantias, quæ a ſe non ſunt, ex nihilo educat, ideſt creet.

2. Jam vero mundus ſive corpora & animæ nunc exſiſtunt, & non ſunt entia a ſe, quia ex altera parte ens a ſe habet in ſe omne ens, & eſt immutabile §. 21.; ex altera corpora & animæ ſingulæ ſunt finitæ, multaſque entium negationes in ſe habentes §. 200. itemque ſunt ſubſtantiæ mutabiles, illa ob vires motrices, quæ ſunt aliquid abſolutum §. 42. Ont. & modo ſunt, modo non ſunt, modo majores, modo minores §. 292. Ont. hæ autem ob vires pariter accidentales §. 91. & ſeq. Pſych. quarum aliæ aliam ideam generant. §. 91. n. 2. ibid. Ergo multum abeſt ut corpora & animæ, ſive mundus, qui ex his coaleſcit, ſint entia a ſe. Ex quo tandem concluditur idcirco nunc exſtare, quia Deus illa creavit.

3.

3. Deinde res confirmatur hac alia ratione. Quod ab æterno eſſe non potuit, debuit creari; atqui mundus, ſive animæ & corpora ab æterno eſſe non potuerunt. Ergo &c. Prob. min. Ens in quo dantur ſucceſſiones, non poteſt eſſe ab æterno. Atqui corpora & animæ ſunt entia, in quibus dantur ſucceſſiones, ut patet ex motibus & ex ideis, quarum aliæ aliis ſuccedunt. Ergo &c. Prob. maj. Si res ſucceſſiva ut motus, ab æterno fuiſſet, ſolum ipſius initium ab æterno eſſe potuiſſet, non vero aliqua ipſius pars, quia ſolum motus initium omnes motus partes præcedere debet; atqui ſolum motus initium ab æterno eſſe non poteſt, primo quia non dantur initia, quæ ſunt modi, ſine rebus §. 75. Ont.; ſecundo quia pars illa prima motus, quæ initium proxime ſequitur, uti motus per palmum, fuiſſet ſimul ab æterno & non fuiſſet; non fuiſſet, quia illius finis eſſet initio & idcirco æternitate poſterior; fuiſſet, quia tam inter initium illius partis motus & præſens tempus, quam inter finem illius ejuſdem partis & tempus pariter præſens, tempus infinitum fluxiſſet, cum inter hæc duo tempora ſola finitæ temporis partis differentia intercederet.

4. Ex hac ratione colligitur quidem mutationes animarum & corporum non fuiſſe ab æterno, non vero colligitur non potuiſſe exſtare ab æterno ipſas ſubſtantias ſine ullis viribus, quæ ſunt ipſarum accidentia, §. 42. Ont. atque idcirco ſine ullis prorſus mutationibus.

5. Verum hæc corpuſcula primitiva ab æterno exſiſtentia vel ab æterno vim motricem habuiſſent, vel ſecus; ſi primum, jam ab æterno motu aliquo percita fuiſſent, quia vel vis numquam generat motum, vel ſemper & ſtatim ac eſt, cum ſit neceſſaria motus cauſſa, nec ulla ſit ratio, cur ſi ſtatim, ac eſt, non gignit, aliquando gignere poſſit. Sin alterum, neque in præſenti vim haberent ac moverentur, quod ſibi dare non potuiſſent id quod ab æterno non habuerunt. Sed in præſenti moventur. Ergo vim ab æterno habuiſſe deberent, atque idcirco ab æterno moveri, quod fieri non poſſe jam docuimus.

6. Dices corpora fuiſſe ab æterno atque a ſe, vim autem & motum in tempore a Deo accepiſſe. Ergo obeſſe non debet, quod illam ſibi dare nequiverint.

7. In hac hypotheſi Deus ſaltem vim motricem e nihilo eduxit; nam in Ontol. docuimus & motum eſſe non poſſe ſine vi motrice, quod ſit aliquod abſolutum & permanens §. 42. & generationem vis eſſe veram ex nihilo creationem. Quod ſi Athei,

velint, nolint, creationem quarumdam rerum, quæ ſunt aliquid abſolutum & permanens, aſſentiri debent; quidni maxima jam ſuperata difficultate, quæ poſita eſt in creatione cujuſdam rei ex nihilo, ipſarum quoque ſubſtantiarum creationem, quæ majoribus difficultatibus obnoxia non eſt, aſſentiantur? præſertim cum hæ alioquin mutabiles & finitæ ſubſtantiæ a ſe in alias maximas, quas ſupra vidimus, incurrant. Concludendum eſt ergo Deum creaſſe hunc mundum non ſolum quod ad vires & mutationes, verum etiam quod ad ipſas ſubſtantias, ex quibus componitur.

§. 74. Propoſitio

Deus mundum creavit in tempore. Prob. Deus non potuit mundum creare ab æterno. Ergo creavit in tempore. Prob. min. ſucceſſiva res ab æterno eſſe non poteſt §. 73. num. 3. Atqui mundus eſt res, in qua ſunt continuatæ ſucceſſiones. Ergo &c. Nec dicas ſubſtantias ipſas intelligentes, & extenſas creatas fuiſſe ab æterno, non vero earum vires & ideo mutationes ac ſucceſſiones, quæ ex viribus exſiſtunt. Nam primo ut quid ab æterno creavit ſubſtantias animarum & corporum, quæ ſine ullis ideis ac motibus per totam æternitatem otioſæ permanerent? Deinde non minus vis eſt aliquid permanens, quæ tota ſimul creatur, quam ipſa ſubſtantia, in qua creanda eſt. Ergo ſi Deus ab æterno potuiſſet creare ſubſtantias, quiviſſet etiam vires e nihilo educere. Ex hoc autem ſequerentur ab æterno fuiſſe mutationes ſucceſſioneſque §. 73. num. 5. quod omnino repugnat ibid. num. 3. Tum in ipſiſmet ſubſtantiis creatis eſt aliqua interior ſucceſſio, de qua diſſeremus paulo poſt, cum de rerum conſervatione diſputabimus. Ergo ſi ſucceſſio non poteſt eſſe ab æterno, nec ipſæ ſubſtantiæ ſpiritales atque corporeæ ab æterno eſſe queunt. Cum igitur nunc exſiſtant, neceſſe eſt Deum illas & mundum ex ipſis coalitum in tempore creaſſe.

§. 75. Objectio

Cl. Genuenſis tom. III. Elem. Met. pag. 37. & ſeq. congerit pro æternitate mundi argumenta ex Ariſtotele & Proclo depromta, quibus opponit reſponſiones Pereſii, & interdum etiam ſuas, ubi Pereſianæ nimium nituntur obſcuris ac dubiis Peripateticæ ſcholæ principiis. Aliqua hic proferemus in medium, & ſolutiones ex noſtris petitas iiſdem accommodabimus. Ac primo idem manens ſemper idem facit idem. Sed Deus ab æterno eſt ſemper idem, utpote immutabilis. Ergo Deus aut ab æterno fecit mundum, aut numquam. Prob. maj. Eadem prorſus cauſſa non poteſt eſſe ratio diverſitatis; id enim foret abſque ſufficienti ratione. Ergo &c.

§. 76.

§. 76. Reſponſio

Diſt. ant. Eadem prorſus cauſſa non poteſt eſſe ratio diverſitatis, ſi neceſſario operetur co. ſi libere ſub. ſi maneat eadem tum abſolute, tum relative co. ſi maneat eadem abſolute, non autem relative ne. Nam ut dixi §. 27. cum Deus creat mundum, eſt idem abſolute, ac fuit ab æternitate quando non creabat; relative autem nequaquam, quia ab æternitate referebatur ad mundum ſolum creandum poſt æternitatem, poſt æternitatem autem refertur ad mundum jam exſiſtentem, ab ipſo creatum. Conſilium enim creandi mundum erat æternum, ſed dirigebatur ad mundum ſolum poſt æternitatem creandum.

§. 77. Inſtantia

Atqui Deus eſſe debuit ſemper idem etiam relative. Ergo &c. Prob. min. ſub. Deus nihil agit abſque ſufficienti ratione; atqui nulla fuit ratio cur per totam æternitatem actus divinæ voluntatis fuerit otioſus, & ad nullum mundum creandum dirigeretur, poſt æternitatem autem fuerit efficax atque dirigeretur. Ergo &c.

§. 78. Reſponſio

Diſt. min. atqui nulla fuit ratio &c., ſi mundus ab æterno eſſe potuiſſet omitto; ſi non potuiſſet ne. Si mundus ab æterno creari potuiſſet, non ita facile dandum foret nullam Deo rationem fuiſſe, cur illum in tempore gigneret; propterea quod cum noſtram finitam mentem lateant rationes, quæ Deum movere potuerint ad mundum in tempore creandum, ſi hanc rationem minime cognoſcamus, non continuo neganda eſt. Deinde cum Deus ſit ipſe per ſe ſumme perfectus §. 50. atque idcirco beatus, & a creaturis nihil veræ perfectionis & boni accipiens, id quod ſupra docui §. 56. & ex primo infra eliciemus; hanc fuiſſe rationem affirmare poſſumus, cur ab æterno ſine ullis creatis rebus perſtare voluerit, ut inde cognoſcerent creandæ ſubſtantiæ intelligentes ipſarum auctorem ipſis non indigere.

2. Verum ut ut hæc ſe habeant, ajo mundum non potuiſſe ab æterno creari, ut ſupra oſtenſum eſt §. 62. & hanc fuiſſe manifeſtam rationem, cur non crearit ab æterno. Quæ enim major poteſt afferri ratio aliquid non faciendi, quam rei, quæ facienda eſt, impoſſibilitas?

§. 79. Inſtantia

Atqui Deus potuit ab æterno creare mundum; ergo &c. Prob. min. ſubſ. Si ab æterno non potuiſſet creare mundum, non ſemper hanc habuiſſet potentiam, & otioſus per totam æternitatem manſiſ.

ſiſſet. Atqui repugnat affirmare Deum non ſemper hanc habuiſſe potentiam, & per totam æternitatem otioſum fuiſſe. Ergo &c.

§. 80. Reſponſio

Diſt. maj. Si ab æterno non potuiſſet creare mundum propter defectum ſuimetipſius, non ſemper &c. co. propter mundi creandi defectum ne. Nam ut ſæpe inculcatum eſt, Deus ab æterno abſolute & in ſe conſideratus eſt ſemper idem, ſemperque expeditam habuit ad mundum creandum potentiam; immo quantum eſt in ipſo, eſt ſemper in eodem actu interno mundi creandi, & numquam otiatur. Eſt ſolum defectus in mundo, qui cum ab æterno eſſe non poſſit, non eſt hujuſmodi ut ad eum ab æternitate creandum Deus referri queat. Ergo ex eo, quod mundus ab æterno creari nequeat, non ſequitur Deum aliquando potentia caruiſſe creandi, aut ab æterno otioſum manſiſſe.

§. 81. Inſtantia

Atqui mundus ab æterno non repugnat. Ergo &c. Prob. min. ſub. ideo repugnaret, quia motus aut alia quæcumque rerum ſucceſſio repugnat §. 73. atqui motus nequaquam ab æterno repugnat. Ergo &c. Prob. min. Ideo repugnaret motus ab æterno, quia foret illius initium §. cit. atqui motus ab æterno poteſt eſſe ſine initio. Ergo &c. Prob. min. Potuit eſſe motus in orbem; atqui motus in orbem nullum habet principium. Ergo &c. Prob. min. motus circularis non habet reipſa terminos, a quorum altero dicatur incipere, ad alterum vero terminari, ſed ſemper eſt in principio, medio & fine, vel potius numquam eſt in principio, medio & fine. Ergo &c.

§. 82. Reſponſio

Diſt. poteſt eſſe motus in orbem, qui conſtet ex lineis exiguis quidem ſed rectis co. qui nullis conſtet lineis rectis ne. Nam ut docui in Ont. §. 293. unica tantum vis ſingulis temporibus exſiſtere poteſt in corpore, quæ pellit corpus per unam determinatam lineam rectam, ut infra docebimus: eadem vis durare debet per aliquod exiguum tempus vel finitum, vel etiam infinite parvum gradus cujuſdam, ſi quantitates infinite parvæ eſſe poſſunt §. 150. Ont. Non poteſt corpus aliam vim aliorſum directam poſt illud tempuſculum accipere, niſi prior ante corrumpatur, & aliquod minimum tempus prius interfluat, quam altera creetur. §. 299. Ont. Ergo neceſſe eſt, ut omne corpus etiam in orbem rotatum motum habeat rectum ſaltem per lineolas infinite parvas, ſi tales eſſe queant, quæ lineolæ orbem ipſum componunt. In motibus vero rectilineis nullo

mo-

modo vitatur difficultas petita ex ejuſdem principio, quod in motu rectilineo neceſſarium eſt, & Adverſarii quoque fatentur. Ergo manet motum, & ideo mundum, ex quo is ſequitur, ab æterno eſſe nequire.

§. 83. SCHOLION V.

Duodecim ſunt pro æternitate mundi Ariſtotelæa, & viginti Procli argumenta, quæ ex Pereſio profert Cl. Genuenſis loco citato una cum Pereſii ſolutionibus, quas ex ſanioris Philoſophiæ principiis interdum caſtigat. Nos ad aliqua tantum reſpondimus, propterea quod alia ex ipſis eodem revolvuntur, alia ſunt levioris momenti, & unis iiſque falſis Peripateticæ ſcholæ principiis innixa, aliis vero pro virili parte in anteceſſum reſpondimus, cujuſmodi ſunt illa duo, alterum de mutatione, cui ex adverſariorum ſententia ſit Deus obnoxius, ſi mundum in tempore creet §. 22. alterum in eo poſitum, quod nulla poteſt afferri ratio cur Deus in hoc potius æternitatis inſtanti, non in alio quocumque aut citius, aut tardius mundum crearit, cui ſic fecimus ſatis, ut falſum eſſe, quod ajunt, ſuppoſitum hujuſce quæſtionis oſtenderemus §. 60. quia quemadmodum falſum ponitur in illa quæſtione in qua quæritur ratio ſufficiens cur Deus mundum in hac potius vacui parte quam in alia quacumque crearit, eo quod vacuum utpote minime extenſum atque continuum permanens, nullas habet partes, in quarum aliqua, non in aliis mundus collocari poſſit; ita falſum ponitur in hac altera in qua ſimiliter quæritur ratio ſufficiens, cur in aliqua potius determinata æternitatis parte, quam in alia quacumque aut prægreſſa aut ſequente mundum crearit, eoquod cum æternitas non ſit aliquod continuum ſucceſſivum, nullas habet partes anteriores atque poſteriores, in quarum aliqua determinate, non in aliis mundum e nihilo queat educere. Nam ſicuti quia Deus non eſt extenſus, ideſt continuum ſimultaneum, ſed ſolam habet recipiendi extenſa potentiam, ante creationem mundi nullum eſſe ſpatium extenſum nullaſque partes diſtinctas §. 57. Ont. docuimus: ita quia in Deo omnia ſimul & ſemper eadem ſunt, nec ulla datur rerum ſucceſſio, & ideo continuum ſucceſſivum ſive tempus, ſed Deus ſolam habet potentiam exſiſtendi cum rebus, quarum aliæ aliis ſuccedant, idcirco pariter in Ont. §. 127. & hic §. 58. evicimus nullum in Deo dari tempus ſive continuum ſucceſſionem, nullaſque partes antegreſſas & ſequentes ante creationem rerum, quarum aliæ aliis ponantur ſuccedere. Et ſicuti eſt ludificatio imaginationis, quæ ponit ex cubiculo educta fuiſſe omnia corpora extenſa, & eodem tempore eidem reſtituit palmos corporeos, dum eductis omnibus corporibus reſtare in cubiculo decem palmorum diſtantiam ſibi perſuadet; ita non minor eſt imaginationis deceptio, quæ ante creationem rerum, quæ ſibi ſuccedant, ſibi fingit fuiſſe res quæ ſuccederent, & hoc pacto plures temporis & continui ſucceſſivi partes ſibi repræſentat.

2. His autem plane ſatisfit ſeptimo ex iis duodecim Averroïs argumentis, quæ idem Pereſius apud laudatum auctorem confutat. Illud autem ita proponitur. Aut tempus factum eſt cum mundo, aut erat ante mundi generationem; ſed cum nec tempus ſine motu, nec motus ſine mobili, nec mobile ullum ante mundum eſſe poſſit, quomodo potuit eſſe tempus aute mundi generationem? Sin autem tempus factum eſt, cum omne quod fit, vel in tempore,

re, vel in inſtanti fieri neceſſe ſit, cumque ibi tempus eſſe oporteat, ubi mens noſtra diſtinguit prius ac poſterius; fiet profecto, ut ante generationem temporis ipſum tempus fuerit.

3. Ad hæc diſſolvenda memoria repetenda eſt illa noſtra doctrina §. *69.* Ont. qua terminos externos ab internis diſtinguimus, & ex eo, quod eductis e cubiculo omnibus corporibus inter parietes, lacunare, & parimentum interjectis, remanere quidem obſervamus terminos & ſuperficies externas corporum interceptorum, ſcilicet parietum, lacunaris & pavimenti, non vero internas eorumdem, reſtare deducimus externam extenſionem, idest eorumdem parietum & aliorum duorum, non autem internam inter parietes & alia duo collocatam. Res enim ſimiliter ſe habet in tempore. Nam ſiquis obtrudere velit extra confinia mundi finiti eſſe extenſionem, eo quod eſt ultima mundi ſuperficies tamquam terminus, ſive principium illius extra mundum extenſionis, facile refutari poteſt ex eo, quod in ſuperficie mundi reperitur quidem terminus externus illius extenſionis, quam Deus extra confinia mundi creare poteſt, non vero internus, eoquod nullum extra mundum procreavit extenſum. Ex quo fit ut intra mundum ſit vera extenſio, extra mundum autem ſit ſola extenſionis potentia. Similiter illi qui contendat tempus, quod cum extenſo convenit quia utrumque eſt continuum, ab eo differt, quia extenſum eſt ſimultaneum, tempus vero ſucceſſivum, ante mundi creationem fuiſſe, quia mundus incepit in inſtanti, quod eſt terminus illius temporis, quod ante mundi creationem fuit, occurri poteſt inſtans quo mundus eſſe cepit, fuiſſe limitem internum ſucceſſionis, quæ cum mundo creata eſt, externum autem alterius ſucceſſionis, quæ ante mundum creari poterat, ſed creata non fuit, atque idcirco in creatione mundi verum tempus, veramque ſucceſſionem reipſa extitiſſe; ante ipſam vero ſolum temporis & ſucceſſionis potentiam in Deo fuiſſe. Neque dixeris illas particulas *ante mundi creationem* in ſe ipſis neceſſario includere partes anteriores, quæ mundum præcederent atque ideo ſucceſſionem & tempus ante mundi creationem. Nam illæ particulæ *ante mundi creationem* perinde accipiendæ ſunt, ac iſtæ *extra mundum*. Iſtæ enim non ſignificant extra mundum eſſe aliquam veram re ipſa extenſionem, ſed tantum ſignificant in Deo prorſus extenſionis experti eſſe veram potentiam creandi alia corpora extenſa, quæ ad hunc mundum adhæreſcant, & cum eo majorem aliquem mundum efficiant, quæ corpora nobis in imaginatione repræſentantes fingimus eſſe extra mundum actualem aliquam extenſionem, quamvis ſolum ſit in potentia. Similiter illæ particulæ *ante mundi creationem* ita ſunt intelligendæ, ut nullas reipſa partes anteriores, quibus aliæ ſuccederent, & ideo nullum tempus ante mundi creationem fuiſſe ſignificent, ſed ſolam in Deo potentiam, qua potuit alium mundum aliamque rerum ſucceſſionem ante hunc creare, ſed minime creavit, quem mundum, quamque ſucceſſionem perinde, ac ſi creata fuiſſet, nobis repræſentantes ante mundi creationem fuiſſe fingimus ſucceſſionem aliquam ac tempus parteſque anteriores poſterioreſque, tametſi reipſa non fuerint. Ergo ex hiſce difficultatibus nihil erui poteſt adverſus temporaneam mundi creationem, & ad propoſitam ab Averroe preſſius reſponderi poteſt, quemadmodum Deus cum a primo creavit mundum, in nullo creavit & repoſuit extenſo loco, eoquod nullus tunc erat, ſed in ſeipſo, & in ſua immenſitate locavit & cum ipſo mundo locum extenſum produxit; ſi vero nunc ſecundum noſtram penetrationis ſententiam

§.

§. 91. Ont. intra alterius corporis majoris ſubſtantiam alterum minus creet, vere dici poteſt creare & collocare idem corpus in loco extenſo: ita cum mundum creavit, non creavit in aliquo tempore, eo quod ante mundum tempus ſive ulla ſucceſſio non erat, ſed in ſe ipſo & in ſua æternitate produxit, & cum ipſo mundo & cum rebus, quarum aliæ aliis ſuccedunt, tempus & ſucceſſionem generavit; ſi vero poſt creationem mundi & nunc aliquid denuo creet, vere dici poteſt in tempore creare.

4. Id quod uſuvenire clara perſpicuaque ratione docuimus in viribus corporum, quas identidem creat ac deſtruit §. 42. 237. Ont. Ex quo a poſteriori magis evincitur nullum eſſe momentum in iis rationibus, quibus Adverſarii ſuadere conati ſunt Deum, utpote immutabilem, non poſſe niſi ab æterno creare.

5. Hanc autem rationem explicandi difficultates circa creationem mundi habita ratione temporis, petitam ex iis, quæ circa eamdem creationem habita ratione vacui contigerunt, idoneam eſſe puto etiam ad explicationem illius difficultatis quinti argumenti Procli poſitæ in eo, quod Deus ſemper actu efficiens eſſe debuit, atque idcirco ſemper mundum crearit neceſſe eſt; ad quam nullam directam reſpondendi rationem, ſed obliquam tantum ſe habere Genuenſis in ſubjecta annotatione fatetur. Nam ſi quæram ab aliquo rationem, cur Deus non crearit mundum abſolute infinitum in extenſione & ideo capax exhauriendi totum vacuum, ſive totam illam divinæ immenſitatis potentiam, qua extenſa in ſe recipere poteſt, ſed produxerit finitum & aptum exſiſtendi in divina immenſitate ſolum ex aliqua finita portione; facilem eamque omnium mentibus accommodatam dabit, quod cum repugnet dari extenſum, aut numerum abſolute infinitum §. 49. neceſſe fuit ut crearet finitum, aut ad ſummum infinitum tantummodo relativum, quod ſit finitum, ſi cum aliis in altiori gradu infinitis comparetur §. 140. Ont. Res autem ſimiliter ſe habet etiam quod attinet ad æternitatem, ut ſupra quoque docuimus. Quemadmodum divina immenſitas non continet aliquam extenſionem, ſed eſt illa potentia, qua Deus, etſi non extenſus, poteſt in ſe recipere continua ſimultanea, qualia ſunt extenſa, eaque ſemper in infinitum majora, tametſi numquam ad extenſum abſolute infinitum reipſa perveniri queat: ita divina æternitas nullam in ſemetipſa ſucceſſionem habet, ſed ſolum eſt illa potentia, qua Deus, etſi nullius capax ſucceſſionis, poteſt exſiſtere una cum continuis ſucceſſivis, qualia ſunt motus & tempus, quæ ab ipſo eodem creari poſſunt. Quare quemadmodum continua ſimultanea non poſſunt ita creari abſolute infinita in extenſione, ut totam divinam immenſitatem exhauriant: ita continua ſucceſſiva non poſſunt ita gigni abſolute infinita in duratione, ut divinam æternitatem pariter exhauriant. Si autem mundus ab æterno creatus fuiſſet, continua ſucceſſiva eſſent abſolute infinita & totam divinam æternitatem exhaurirent. Quod cum repugnet non minus, quam extenſum abſolute infinitum, manet Deum non potuiſſe mundum creare ab æterno, & hanc eſſe claram perſpicuamque rationem cur non crearit. Nam alibi jam vidimus nec poſſe quæri rationem ſufficientem cur in hac potius æternitatis parte illum crearit quam in alia quacumque, uti quæri non poteſt ratio cur in hac potius vacui, ſive divinæ immenſitatis parte, quam in alia quacumque, locarit; eo quod nec in divina æternitate, nec in vacuo ſive in ipſius immenſitate ullæ ſunt partes, ad quarum aliquam præ aliis ſeligendam opus ſit ſufficienti ratione, quæ liberam Dei voluntatem ad hanc potius,

Digitized by Google

quam ad illam determinare intelligatur. Ergo ſtatim ac mundus abſolute infinitus nec in extenſione, nec in duratione eſſe poteſt, adeſt ratio ſufficiens, per quam clare intelligitur, cur in utraque finitus ſit, nec ulla alia requiritur, niſi ea, per quam intelligi poſſit, cur ex pluribus mundis, qui alias, atque alias tum in extenſione, tum in ſucceſſione magnitudines habere poterant, hunc potius talis in utroque capite definitæ magnitudinis ſelegerit. Sed de hoc enucleatius paulo poſt.

§. 84. Propoſitio

Deus mundum libere condidit. Nam Deus mundum libere condidit, ſi & potuit non creare, & potuit etiam, hoc prætermiſso, alios mundos creare. Atqui & potuit nullum creare mundum, & hoc prætermiſso alios creare. Ergo &c. Prob. min. quod attinet ad primam partem. Mundus ab æterno eſse non poteſt §. 74. atqui ſi Deus non libere, ſed neceſsario mundum creaſset, ab æterno mundus creari debuiſset. Cauſsa enim neceſsario agens aut ſemper ac eſt, effectum gignit, aut numquam, præſertim ſi intrinſecus & abſolute ſit immutabilis, cujuſmodi eſt Deus, §. 21. quæ idcirco nequeat pro libito ſuum abſolutum creandi mundi decretum ad illum poſt æternitatem creandum referre. Ergo Deus ita libere creavit mundum, ut potuerit ab illo creando abſtinere.

2. Quod confirmatur ex eo, quia cum Deus ſit in ſe perfectiſſimus, & omnium rerum, quæ a ſe creari poſsunt, perfectiones infinite meliori modo, quam in iiſdem eſse queant, complectatur, creatio rerum ipſarum ſive exſiſtentia nullam addit veram & interiorem Deo perfectionem, quæ idcirco divinam voluntatem ad illas creandas neceſſario determinet.

3. Prob. nunc ſecunda minoris pars. Non eſt poſſibilis mundus abſolute infinitus, ſive in extenſione, ſive in numero ſubſtantiarum, quæ in ipſo ſunt, §. 40. ſed quicumque mundus a Deo creatus debet eſſe aut finitus, aut ad ſummum infinitus ſolum relate, adeout alius mundus infinities major eſſe queat. Atqui ſi alii in infinitum majores mundi eſſe queunt, tum nulla eſt ratio, quæ ad hunc creandum Deum neceſſario determinarit, tum omnes alii ab Ente ſumme perfecto creari poſſunt. Nam ſi quæ foret ratio, ea profecto eſſet, quod hic mundus eſſet omnium perfectiſſimus; atqui mundus finitus aut ſolum relate infinitus non eſt perfectiſſimus, quia ex altera parte ens & perfectio idem ſunt, §. 29. Onr. ex altera vero non continet omnes illas perfectiones & entia, quæ in mundis tum in extenſione, tum in numero ſubſtantiarum in infinitum majoribus eſſe queunt. Ergo Deus, hoc mundo prætermiſſo, potuit alium creare; & idcirco ſi hunc creavit, id argumento eſt

ra-

Digitized by Google

rationem cur crearit, fuiſſe, quia ſe ad illum creandum libere determinavit.

4. Eadem divina libertas ſuadetur etiam ex ipſamet corporum natura, & ex viribus, quas in iiſdem & in animis creat. Nam quod attinet ad primum, cur primitiva corpuſcula talis ſint determinatæ figuræ, denſitatis, magnitudinis, ratio eſſe non poteſt niſi in libera Dei creantis voluntate, eo quod alius cujuſeumque eſſe poterant. Quod pertinet vero ad ſecundum, ex iis, quæ de viribus corporum & de modo, quo motus inter ipſa communicatur, §. 303. & ſeq. in Ontologia diſputavi, quis non colligit & poſſe permanere corpora, quin aliquas vires in iiſdem continuate creet, & perimat, atque idcirco in iiſdem creandis ſumma libertate ſe gerere, & poſſe quoque alias ſtatuere in virium communicatione leges diverſas ab iis, quas ſtatuit? Cum vero inter corporis motus & animæ ſenſationes appetitioneſque multo ſit minor neceſſitudo, quam inter plura corpora §. 160. n. 3. Pſych. quis veluti manu non tangit, mirabilem illam commercii inter animam & corpus legem ab una Dei libera voluntate pendere, qui aut ab illa ſtatuenda potuerit abſtinere nullum formando hominem ex duabus adeo inter ipſas disjunctis ſubſtantiis coalitum, & hanc ipſam aliter diſponere & variare? Ex quibus omnibus divina in mundi creatione libertas mirifice confirmatur.

§. 85. Objectio

Deus, ut ſumme bonus, debet velle bonum; atqui creatio mundi eſt bona. Ergo debuit illam velle, & ideo non potuit ab illo creando abſtinere.

§. 86. Reſponſio

Diſt. Deus, ut ſumme bonus, debet velle id quod eſt ipſius internum bonum atque perfectio co. quod eſt bonum externum nihil ad ipſius veram conferens perfectionem ne. Atqui creatio mundi eſt bonum in ſecundo ſenſu co. in primo ne. Nam ut dixi §. 84. num. 2. Deus ipſe per ſe eſt perfectiſſimus, nec ullam veram atque internam perfectionem acquirit ex rebus creatis, quarum perfectiones antequam crearentur, multo meliori modo, ideſt conjunctas cum aliis omnibus poſſibilibus perfectionibus continebat. Quare debet quidem neceſſario velle & amare ſe ipſum ſuaſque infinitas perfectiones, non autem creationem mundi, qui nihilum quidem ipſius perfectiones adauget, ſed ſolum libere, prout fecit.

§. 87. Inſtantia

Atqui Deus velle debet etiam quod eſt bonum extra ipſum; er-

go &c. Prob. min. ſub. Hic mundus eſt omnium, qui eſſe poſsunt, perfectiſſimus; atqui voluntas optima & perfectiſſima, qualis eſt Dei, debet velle optimum & perfectiſſimum. Ergo hic mundus eſt omnium qui eſſe poſſunt, optimus & perfectiſſimus. Prob. maj. Voluntas optima & perfectiſſima, ut dixi, eligit optimum & perfectiſſimum; atqui voluntas Dei hunc mundum elegit. Ergo hic mundus &c.

§. 88. Reſponſio

Diſt. maj. Voluntas optima & perfectiſſima vult & eligit optimum & perfectiſſimum in ſe ipſa co. extra ſe ipſam ſub. ſi dari poſſit co. vel omitto; ſi dari non poſſit ne. Concedo equidem Leibnitio & Wolphio acerrimis mundi optimi fautoribus voluntatem optimam & perfectiſſimam velle optimum & perfectiſſimum; ſed id non vult extra ſe ipſam, ſed in ſe ipſa, quatenus Deus ſeipſum, utpote perfectiſſimum, amore ſumme perfecto amat. Unde etſi dicamus Deum extra ſe ipſum non velle optimum, & perfectiſſimum, non continuo dicendum eſt divinam voluntatem carere objecto, quod ſibi proportione reſpondeat. Dico igitur non eſse poſſibilem mundum, qui ſit optimus & perfectiſſimus omnium eorum, qui a Deo creari poſsunt, ob eas rationes, quas §. 84. num.3. produximus. Qui ergo fieri poteſt ut crearit mundum omnium poſſibilium optimum, & præſertim ut creare neceſsario debuerit?

§. 89. Inſtantia

Si mundus a Deo creatus non fuiſset omnium optimus ac perfectiſſimus, illum Deus nequaquam creaſset. Ergo &c. Prob. ant. Si non fuiſſet omnium poſſibilium optimus ac perfectiſſimus, nulla fuiſset ratio ſufficiens, cur ad eum potius quam ad alium quemcumque ipſo meliorem creandum ſe divina voluntas determinaſset; atqui debuit eſse ratio ſufficiens, cur ad eum potius quam ad alium quemcumque creandum ſe divina voluntas determinarit. Ergo &c. Prob. min. Quando plura eſse poſsunt, & ex iis pluribus unum eligitur, aliis prætermiſſis, debet eſse ratio ſufficiens, cur illud eligatur, non alia. Ergo &c.

§. 90. Reſponſio

Diſt. ant. Debet eſse ratio ſufficiens ſubjectiva & interna co. objectiva & externa ne. Nam, ut dixi, in objecto ſive in hoc mundo creando non poterat eſse ratio ſufficiens, cur eum potius eligeret, quam alium quemcumque, eo quod ille omnium, qui a Deo creari poterant, optimus & perfectiſſimus non eſt, nec ob allatas rationes aliquis alius, qui ſit hujuſmodi, poteſt creari. Eſt tamen

ra-

ratio in ipſamet liberrima Dei voluntate, qui ob id ipſum, quod infinite actuoſus & ſumme liber eſt, non ſolum poteſt ſine ulla cognita in aliquo objecto majori ratione boni & perfectionis, quam in aliis quibuſcumque, ſe ad illud creandum, aliis prætermiſſis, determinare, verum etiam ſe determinat.

§. *91.* Inſtantia

Atqui Deus non ſe determinat ſine externa ratione ſufficiente in objecto cognita, ſive niſi prius cognoſcat illud objectum eſse optimum omnium. Ergo &c. Prob. min. ſub. ſubſtantiæ liberæ a Deo creatæ non eligunt, niſi illud ex pluribus, quod ſibi majus bonum majorque ſui perfectio apparet. Ergo Deus non ſe &c. Prob. conſ. & paritatem; ſubſtantia perfectiſſima, qualis eſt Deus, minus diſcedit a bono & perfectione, quam ſubſtantiæ imperfectæ, quales ſunt creatæ. Ergo ſi ſubſtantiæ liberæ a Deo creatæ &c.

§. *92.* Reſponſio

Diſt. ſubſtantia perfectiſſima, qualis eſt Deus, minus diſcedit a bono vero co. a bono apparenti ne. Nam aliud eſt dicendum de potentia eligendi, aliud de ipſa electione; tam Deus, quam animæ creatæ ex pluribus bonis eligere poſsunt unum ex iis, aliis prætermiſſis, etiamſi in iis, quæ prætermittenda forent, major boni ratio foret, aut eſse appareret. Sed quod attinet ad electionem, diſcrimen aliquod inter Deum & animas ponendum eſt. Cum enim Deus nec poſſit falli in cognitione bonorum, nec aliquod extra ſe ipſum eſſe queat bonum omnium poſſibilium maximum & abſolutiſſimum, non poteſt eligere id, quod ipſi appareat ſub ſpecie maximi omnium bonorum, eoquod ipſi nihil hujuſmodi apparere poteſt, uti nec eſt. Ergo ipſius libertas tantæ perfectionis eſſe debet, ut Deus ſe reipſa determinet ad aliquod bonum eligendum, etiamſi aliud majus eſſe queat, idque appareat. Nec id alienum eſt à divinæ voluntatis libertate, quæ eſt prima cauſſa omnium eorum quæ extra Deum ſunt, quæque idcirco aliunde rationem cur illa creet, mutuari non debet, ſed ipſa continet primam omnium rationem. Animæ vero creatæ quæ in cognoſcendo decipiuntur, ſemper vel fere ſemper poſsunt reperiri in eo ſtatu ut ex pluribus quæ cognoſcunt & eligere queunt, unum ex iis appareat ſub ſpecie majoris boni, eoquod æqualitas, utpote una, difficillima eſt, differentiæ vero, utpote infinitæ, facillimæ ſunt; & non ſunt ita perfectæ, quemadmodum prima cauſſa, ut ſine majori ratione in objecto aliquo ex pluribus cognita ſe ad illud eligendum aliquando determinent. Quod vero animæ ſint ita a Deo comparatæ, in-

vi-

victam, ut mihi quidem videtur, rationem in medium in fine producam.

2. Hoc loco omittenda non ſunt, quæ de hac re diſputat Boſſierius in lib. inſcripto, *De l' action de Dieu ſur les creatures* tom. 4. ſect. 6. par. 2. cap. 3. num. 3. & ſeq. Cum Deus ſit in ſe perfectiſſimus ac beatiſſimus & omnes rerum aliarum perfectiones meliori modo, quam in ipſis ſint, in ſe complectatur, unus ipſius neceſſarius & eſſentialis finis eſt ſe ipſum amare & in ſe ipſo tamquam omnium bonorum fonte lætari, ad quem finem obtinendum ſunt media prorſus æqualia ſive non creatio, ſive creatio etiam ejus mundi portionis, quæ ſubſtantias intelligentes complectitur, ſive cum tanta perfectione ſive cum majori. Quamvis enim creatis rebus ſit melius eſſe, quam non eſſe, melius eſſe cum majori perfectione, quam cum minori, ratione tamen habita Dei perinde eſt, quia Deus nullam prorſus ne quidem minimam perfectionem acquirit, atque in ſe beatiſſimus eſt, tametſi ab alia nulla ſubſtantia intelligente, niſi a ſe ipſo, cognoſcatur. Quod ſi hæc omnia ſunt prorſus æqualia ratione habita Dei, manifeſte colligitur nullam eſſe poſſe in eſſentia Dei & in rebus poſſibilibus ab ipſa repræſentatis majorem rationem cur Deus potius mundum crearit, quam ſecus, cur potius tantæ perfectionis, quam alterius cujuſcumque majoris, aut minoris; ſed tantum eſſe petendam a divina voluntate, quæ ad mundum creandum potius quam non creandum, ad creandum tantæ perfectionis, quam alius cujuſcumque, libere ſe determinavit.

3. Ex qua omnium rerum æqualitate ratione habita Dei auctor etiam colligit voluiſſe quidem Deum ut aliquæ res creatæ forent media idonea ad alia conſequenda, ex. cauſſa ut gratia ad conſequendam gloriam; ſed ratione ſui non voluiſſe primas ut medium, ſecundas ut finem, ſed æqualiter omnia appetiviſſe, ſive in omnibus æqualiter ſe ipſum tamquam fontem omnium bonorum amaſſe. Sive ſecundum noſtra principia in Ont. explicata §. 287. dici poteſt duo genera bonorum in qualibet re a Deo creata poſſe diſtingui, alterum abſolutum quatenus ea res ad Deum refertur, & alterum relativum, quatenus ad alias res conſequendas dirigi poteſt: Deum autem in qualibet re plus amaſſe rationem boni abſolutum, ſive quatenus ad ſeipſum proxime refertur, quam rationem boni relativam, quatenus ad alias res conſequendas.

§. 93. SCHOLION VI.

Quamquam duæ ſint diſtinctæ quæſtiones de libertate Dei in mundo creando, deque mundi optimi ac perfectiſſimi creatione; tamen in ſolutione objecti-

ſtionum eaſdem permiſcui, propterquod altera cum altera maxime apta eſt, & iiſdem fere rationibus, & objectorum ſolutionibus utitur. Quod attinet ad primam, illud maxime dignum eſt quod animadvertatur, quibus rationibus compertum ſit animas & corpora non eſſe ſubſtantias a ſe, & idcirco a Deo creata fuiſſe, iiſdem ſuaderi a libera Dei voluntate e nihilo fuiſſe educta. Nam ſi fuiſſent a ſe, neceſſario exſtitiſſent §. 101. Log. Si neceſſario exſtarent, nulla foret ſufficiens ratio cur corpora tales potius determinatas magnitudines, figuras, vires & virium directiones, quam alias quaſcumque haberent. Cum enim ſubſtantia extenſa ipſa per ſe ſit æqualiter indifferens ad has differentias, quæ variæ eſſe queunt, & ſubſtantia ſpiritalis ad has vel illas ideas, ad has vel illas appetitiones, ad hunc vel ad alium quemcumque determinatum earum numerum; neceſſitas a natura utriuſque ſubſtantiæ petita ratio ſufficiens eſſe nequit, cur habeant tales potius determinatas, quam alias quaſcumque poſſibiles de hoc genere proprietates. Jam vero certum & exploratum eſt cum plura eſſe poſſunt, non autem ſimul, in rebus neceſſariis debere eſſe majorem pro aliquo eorum ſufficientem rationem, quo illud revera ſit §. 78. n. 4. Log. Ergo conficitur corpora & animas, illa cum determinatis magnitudine, ſpiſſitate, figura & viribus, has cum determinatis ideis & appetitionibus eſſe nequire, ſi neceſſario exſiſtant; itaque fit non exſiſtere a ſe, quia ſi forent a ſe, neceſsario exſtarent, & a Deo creata fuiſsent. Inde autem conſequitur nec a Deo tamquam a cauſsa neceſsario operante proficiſci; propterea quod nec eſt ulla major ratio, cur Deus qui eſt Ens infinitum & infinitæ virtutis, ad ſubſtantias cum his potius limitibus, quam cum aliis quibuſcumque æqualiter poſſibilibus, determinetur ſuæ neceſſitate naturæ, quæ ipſa per ſe nullum prorſus limitem habet. Ergo quibus argumentis oſtenditur animas & corpora non eſſe a ſe, ſed a Deo procreata fuiſse, iiſdem a libera Dei voluntate pendere ſuadetur.

2. In ſecunda vero quæſtione nobis magna lactatio eſt potiſſimum cum Cl. Wolphio, qui in Theologia Naturali ſententiam mundi optimi ac perfectiſſimi quammaxime illuſtrat atque confirmat. Hic enim primo ſibi munit viam, cum in I. P. Theol. Nat. §. 119. hanc enuntiationem, *datur ratio objectiva cur hic potius mundus exſiſtat quam alius*, ita ſuadere nititur. Fac nullam dari rationem objectivam, cur hic potius mundus exſiſtat, quam alius; inde conſequens erit nihil huic mundo aſpectabili ineſſe, cur potius exſiſtat, quam alius. Ex hoc autem fit ut quod ad Deum pertinet, perinde ſit, ſive hic mundus exſiſtat, ſive alius quicumque. Quamobrem nec Deo inſunt, per quæ intelligi poſſit, cur hic potius exſiſtat mundus, quam alius. Hinc vero efficitur nullam eſſe ſufficientem rationem, cur hic potius exſiſtat, mundus, quam alius. Quod cum ſit abſurdum, colligitur rationem, quam quærimus, objectivam haberi. Cum vero ſibi objeciſſet nonnullos ad hæc reſpondere, rationem ſufficientem eſſe voluntatem Dei, in annotatione ſubjungit eos ponere voluntatem agere ſine rationibus, quod eſſe abſurdum in Pſych. Empir. §. 889. collegerat ex principio ſufficientis rationis, eoquod agere ſine rationibus ab objecto petitis eſt agere ſine ſufficienti ratione. Quod confirmari poteſt ex eo quod alibi docet divinam voluntatem non velle niſi quod ab intellectu divino eidem repræſentatur. Ergo in hoc mundo, qui in intellectu divino tamquam poſſibilis repræſentatur, eſt aliqua ratio, per quam intelligi poſ-

Digitized by Google

poſſit, cur hic potius ſit, quam alius quicumque. Hanc autem objectivam rationem §. ſequenti monſtrat petendam eſſe non ab eo, quod hic mundus habet cum aliis commune, quia per ea, quæ pluribus communia ſunt, intelligi non poteſt, cur aliquis ex iis exſiſtat, non alii; ſed ab iis, quæ hujus mundi ſunt propria. His jactis principiis §. 324. monſtrat mundum alium ab alio non differre niſi gradu majori vel minori perfectionis, quia cum omnis mundus ſit *ſeries entium finitorum ſucceſſivorum ac ſimultaneorum inter ſe connexorum* §. 48. Coſmologiæ, mundus alius ab alio non differt niſi quod attinet ad nexum, ſive ad majorem aut minorem rerum conſentientium varietatem, in quo eſt ſita mundi perfectio §. 512. Coſmol. Ex quo tandem §. ſequenti elicit Deum hunc elegiſſe mundum ob majorem, quæ in ipſo eſt, quam in omnibus aliis poſſibilibus, perfectionem, atque idcirco hunc mundum eſſe omnium poſſibilium optimum ac perfectiſſimum. Quod in ſequentibus confirmat ex eo, quod cum Deus omnia crearit propter ſeipſum, eo quod eſt bonum omnium maximum, non quidem ad internum aliquod bonum acquirendum, quia ut pote perfectiſſimus, nihil acquirere poteſt, ſed ad externum, ſcilicet ad ſui gloriam ſeu divinorum attributorum manifeſtationem: mundus optimus ac perfectiſſimus eſt maxime idoneus ad hunc finem conſequendum, eoquod mundus hujuſmodi eſt naturale ſignum voluntatis optimæ, quam decet velle optimum; omnipotentiæ, quæ magis elucet ex creatione effectus perfectiſſimi, quam minus perfecti; & ſapientiæ ſummæ, quæ, ut colligitur ex Pſychologia §. 62. optima & perfectiſſima media ad ſuum finem conſequendum eligere debet.

3. Hac via inſiſtens Cl. Wolphius putat ſe cauſſam obtinere poſſe. Verum ſi mundus omnium quæ creari poſſunt, optimus ac perfectiſſimus eſſe non poteſt, valde aberrat a ſcopo, quem ſibi propoſuit. Re autem vera mundum omnium optimum ac perfectiſſimum eſſe non poſſe iis docuimus rationibus, quæ rem perſuadere ac cogere mihi videntur §. 84. num. 3. Id quod etiam ex ipſis Wolphii principiis confirmari quit. Cum enim ex altera parte ſecundum auctorem num. 2. major, vel minor mundi perfectio ex eo pendeat, quod major, aut minor ſit in ipſo rerum conſentientium varietas, & ex altera finito aut ad ſummum relative infinito numero contineantur, quæ hoc in mundo inter ſe apta & connexa ſunt; quis non videt Deum efficere potuiſſe mundum, in quo valde plura forent, quæ conſentirent, & in quo idcirco valde major rerum conſentientium varietas reperiretur? Ex hoc autem a poſteriori fit manifeſtum nullius eſſe momenti rationes, quibus homo ſuadere conatur mundum hunc eſſe omnium optimum ac perfectiſſimum.

4. Sed ut aliquam etiam a priori ſolutionem afferamus, adverto Deum in mundi creatione ſibi optimum ac perfectiſſimum propoſuiſſe finem, manifeſtationem ſcilicet ſuorum attributorum, ſed non eam, quæ foret abſolute infinita quæque omnia ipſius abſolute infinita attributa complecteretur, eoquod id repugnat non minus, quam mundus abſolute infinitus, cum hæc manifeſtatio ſit opus a Deo perficiendum extra ſe ipſum. Quamobrem ex infinitis ſui perfectionibus aliquas tantum manifeſtare conſtituit, eas ſcilicet quæ ipſi placuere, idque propter rationem aliquam ſufficientem eidem cognitam, ſed ignotam nobis, qui, utpote finita donati cognitione, infinita divinæ Mentis conſilia penetrare non poſſumus. Hoc ſibi fine propoſito Deus quidem mundum creavit,

quo

Digitized by Google

quo hujuſmodi finem cumulatiſſime conſequeretur, quique idcirco optimus & perfectiſſimus eſſet ratione habita eorum omnium quibus idem finis comparari poſſet, eoquod eum medium referatur ad finem §. 287. Ont. medium optimum ac in ſuo genere perfectiſſimum dici poteſt, ſi ope illius finem quammaxime fieri poteſt conſequimur; non vero optimus & perfectiſſimus eorum omnium, qui a Deo creari potuerunt, quia Deus ſibi conſtituere poterat finem manifeſtandi alia plura ſui attributa, ad eumque obtinendum mundum comparate optimum ac perfectiſſimum creare, atque idcirco ratione habita mundi creati meliorem perfectioremque. Si Wolphius non alio ſenſu mundi optimi ac perfectiſſimi ſententiam defendit, homini aſsentior propter rationes, quas ex eodem exſcripſi. Sin autem velit mundum creatum hujuſmodi eſſe debere ratione habita eorum, quæ a Deo condi poſsunt, ab eo valde diſsentio ejuſque rationes ſic labefacto.

5. Antequam homo rationem objectivam ſufficientem, cur Deus hunc voluerit mundum creare, non alios poſſibiles, ex differentia inter hunc mundum & alios, & ex majore hujus præ aliis perfectione deducat, rationem inveſtiget oportet cur Deus tot ſuorum attributorum, non plurium manifeſtationem ſibi pro fine propoſuerit, quemadmodum facere debuit, eoquod non omnes ſui abſolute infiniti perfectiones revelare potuit; quam rationem etſi nos docere non poſſumus, qualis fuerit, tamen nec Adverſarius oſtendere poteſt nullam fuiſſe. Cum autem hoc fine ſibi propoſito Deus in hoc mundo rationem offenderit ſufficientem cur aliis poſthabitis illum crearet, ab ejus majori relate ad eum finem perfectione depromtam, patet argumenta Wolphiana valere quidem pro ſententia mundi ſolum relate ad eum finem optimi ac perfectiſſimi, non comparate ad illos omnes, qui a Deo creari poſſunt. Quod vero hac in re ita nos gerere debeamus, ex eo plane colligitur, quod cum finis, utpote majus bonum, magis præ mediis amari debeat §.287. n. 3. Ont. percipiendus eſt Deus ante non quidem ratione habita temporis, ſed ſolum naturæ finem ſive ſuorum manifeſtationem attributorum voluiſſe, quam media, ſive mundi ad eum finem conſequendum accommodatiſſimi creationem elegerit. Ceterum qui de hoc loco plura erudite diſputata deſiderat, adire poteſt Cl. Moniliam Ordinis Prædicatorum, qui in libro inſcripto *Diſſertazione contra i Materialiſti, e altri Increduli in Padova* an. 1750. tom 2. parte 3. ſect. 3. Mundi optimi ac perfectiſſimi ſententiam refutat, docetque eam fere iiſdem niti principiis, quibus Proclus aliique mundi creationem ab æternitate propugnarunt.

5. Quoniam vero hactenus verſati ſumus in demonſtrandis ſupremi Numinis exſiſtentia, & præcipuis ejuſdem tum abſolutis, tum relativis attributis, ut eadem magis magiſque confirmetur, & doceamus nulla prorſus venia dignos eſſe, qui tanta in luce ſcientes atque prudentes cœcutiunt, non eſſe abs re puto hac in quæſtione uſurpare rationem quam in Pſychologia tenui, cum illud oſtendendum ſuſcepi unum eſſe cauſſarum occaſionalium ſyſtema explicando inter animam & corpus commercio accommodatum. §.174.n.6.Pſych. Id autem ſic exſequor. Vel exſiſtit una tantum ſubſtantia, vel plures. Unam tantum conſtare jam evidenter docuimus adverſus Spinoſam eſſe alienum ab omni ratione §.20. n.9. & ſeq.Quare primum tenemus plures exſtare ſubſtantias.Hæ autem plures ſubſtantiæ vel omnes aut plures ſunt a ſe, vel nullæ, vel una tantum. Omnes

Digitized by Google

nes aut plures eſſe ſubſtantias a ſe, vel nullas cum clariſſimis notionibus pugnare docuimus §.20 n.5.& 71.n.25.Manet ergo eſſe unam tantum ſubſtantiam a ſe, quam eſſe quoque ab æterno ratione, quæ citato loco eſt allata, tenemus. Quamobrem hæc ſubſtantia a ſe & ab æterno exſiſtens producere debuit alias, quæ ſunt in hoc mundo ſubſtantias nempe animas & corpora, eoquod a ſe exſiſtere non potuerunt, atque idcirco debuerunt ſuum eſſe recipere ab illa una ſubſtantia, quæ ſemper fuit. Hæc ſubſtantia a ſe & ab æterno exſiſtens vel produxit alias ſeparando aliquas ſuimetipſius particulas, quæ forent ſubſtantiæ a ſubſtantia a ſe diſcretæ, vel ſecus. Primum nulla ratione fieri potuiſſe perſpicuum fecimus §. 21. Reſtat ergo ut alias produxerit ſubſtantias nullam ex ſemetipſo disjungendo particulam. Quod ſi nihil ex eo quod in ſemetipſa erat, dedit, & nihilominus animas & corpora a ſe disjuncta produxit, manifeſte conſequitur ex nihilo eduxiſſe illud individuum ens, quod eſt in corporibus & in animis, atque eadem e nihilo creaſſe eo ſenſu quem §. 15. & ſeq. explicavimus. Cum autem has creavit ſubſtantias, vel creavit tamquam cauſſa neceſſario agens vel tamquam libera. Non primum, ut planum fecimus §. 84. Ergo ſecundum; ex hoc vero colligitur ſubſtantiam a ſe eſſe libera voluntate donatam eligenda ex pluribus id quod maxime placet, atque idcirco etiam cognitione, ſine qui libera eligendi voluntas eſſe nequit. Ergo concluditur manifeſtum & exploratum eſſe exſtare unum Ens a ſe ab æterno, cognitione & libera voluntate donatum, quod animas & corpora e nihilo libere eduxit.

CAPUT SECUNDUM.

De Deo conſervatore.

§. 94. Definitio

NOmine conſervationis intelligitur continuatio illius actionis, qua Deus ſubſtantias a principio creavit. Unde conſervatio eſt veluti continuata rerum creatio.

§. 95. Propoſitio

Ut res creatæ perſeverent, indigent conſervatione, ideſt continuatione illius actionis, qua primitus a Deo creatæ fuerunt. Prob. Quamdiu res eſſe permanent, tamdiu actio qua primum a Deo creatæ fuerunt, permaneat neceſſe eſt. Ergo &c. Prob. ant. Si actio qua primum res a Deo creatæ fuerunt, per aliquod tempus durare debet, tamdiu maneat oportet, quamdiu res permanent. Atqui actio, qua res primum a Deo creatæ fuerunt, per aliquod tempus duret neceſſe eſt. Ergo &c. Minor conſtat ex iis, quæ §. 125. Ont. docuimus. Nam ſi non duraret per aliquod tempus, ſolum per inſtans permaneret; atqui per ſolum inſtans permanere non poteſt; nam eodem inſtanti eſſet & non eſſet; eſſet, ut ponitur, non eſſet quia eodem deſineret. Ergo per aliquod tempus duret oportet.

Digitized by Google

tet. Confirmatur ex eo, quia rerum principia ſunt, ſed non per ſe ſola, utpote modi §. Ont., ſed una cum rebus; atqui in inſtanti incipit eſſe creatio, non vero eſt. Ergo in ſolo inſtanti eſſe non poteſt creatio, & ideo per aliquod tempus durare debet.

2. Nunc majorem conficio. Nulla eſt major ratio cur potius durare debeat per tempus unius minuti, quam per dimidiam partem minuti, per quartam, per octavam, per &c. uſque in infinitum, eo quod minimum, aut maximum tempus dari non poteſt, & ſi daretur etiam tempus infinite parvum, dari poſſent alia tempuſcula infinite in infinitum minora §. 150. & ſeq. Ont. Cum autem in rebus neceſſariis qualis eſt hæc, nihil ſit abſque ratione ſufficienti, cur unum potius ſit quam aliud quodcumque §. 77. Log. concludendum eſt actionem, qua res a Deo primum creatæ fuerunt, tamdiu durare oportere, quamdiu res permanent, quia cum omnia alia tempora breviora eo, quo res durant, nullam habeant majorem rationem, cur potius unnm ex iis, quam alia ſint neceſsaria ad eum finem ut creatio ſit, non vero ſolum incipiat eſſe, hanc habet totum illud tempus quo res perſeverant, quod unum eſt & illud habet proprii, quod cum duratione rei ſimul exſiſtit. Conſtat ergo ut res perſeverent, indigere continuatione illius actionis, qua primitus a Deo creatæ fuerunt.

§. *96.* Objectio

Ut res permaneant in eodem ſtatu, in quo ſunt, nullius externi entis egent, bene vero alicujus egent, ut ab alio ad alium ſtatum tranſeant. Sed res perſeverare in ſuo eſſe eſt eaſdem in eodem ſtatu permanere. Ergo ut res perſeverent, opus non habent continuatione illius actionis, qua primitus a Deo creatæ fuerunt. Prob. maj. Ut nihil novi ſit, nihil requiritur; bene vero aliquid deſideratur, ut quidpiam novi ſit. Ergo &c.

§. *97.* Reſponſio

Diſt. ant. Ut nihil novi ſit, nihil novi requiritur co. nihil ejus quod ab initio requirebatur ut illud foret ne. Ergo ut res permaneant in eodem ſtatu in quo ſunt a ſe, nullius externi entis indigent co., in quo ſunt ab alio ne. Cum ut ab æterno ſit ens a ſe, nullum aliud e ternum ens ab eo diſtinctum poſtuletur, nec illud requiritur ad eum finem, ut in eodem ſtatu, in quo eſt a ſe, perſeveret; quia ut nihil novi ſit, nihil novi requiritur, & quemadmodum Ens a ſe ab æterno ortum non eſt ab altero Ente, ita nec in æternum altero Ente opus habebit, ut in eodem ſtatu permaneat. At entia ab alio cum ex altera parte incipiant eſse ab alio, ſive initio illius actionis, qua Deus illa e nihilo eduxit, & ex al-

Digitized by Google

tera hæc actio per aliquod tempus durare debeat §. 95. num. 1., dicendum eſt non poſse in eo ſtatu quem ab iente a ſe accipiunt, perſeverare, niſi actio Dei creantis perſeveret in ipſis, quia ſi per aliquod tempus, ut neceſsarium eſse docui, permaneret hæc Dei creantis actio, per aliud vero nequaquam; in utroque ex his temporibus in eodem ſtatu permanerent, & nihilominus contra poſitum ab Adverſariis principium, in ſecundo foret aliquid novi, ceſſatio nempe divinæ actionis, qua primitus a Deo res conditæ fuerunt. Unde ex hoc principio potius eruitur divinam actionem continuare debere.

§. 98. Inſtantia

Atqui etiam entia ab alio poſſunt in eodem ſtatu permanere ſine auxilio & actione illius, a quo eum ſtatum acceperunt. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Domus eum quem habet ſtatum, ab artifice accepit; & nihilominus ſine auxilio artificis in eodem permanere poteſt. Ergo &c.

§. 99. Reſponſio

Diſt. ant. Domus eum quem habet ſtatum, ab artifice accepit tamquam a cauſſa occaſionali co. tamquam a cauſſa efficiente ne. Creatio rerum non bene comparatur cum ædificatione domus. Cum enim in Ontologia §. 237. jam oſtenderimus alia corpora in aliis non poſſe tamquam cauſſas efficientes gignere vim ſive per communicationem, ſive per creationem, atque idcirco eſſe alia ratione habita mutationis aliorum puras cauſſas occaſionales, & Deum eſſe in conflictu corporum unicam efficientem cauſſam; inde conſequitur Architectum eſſe puram cauſſam occaſionalem in domus ædificatione. Quare mirum non eſt, ſi quæ domus dum ædificaretur, eam diſpoſitionem & formam vere ab Architecto non acciperet, ea ſine ejuſdem auxilio in illa forma & diſpoſitione perſtare queat. Deus autem eſt vera cauſſa efficiens, quæ res e nihilo ducit. Unde fit ut quemadmodum res creatæ ſui eſſe initium a principio divinæ actionis qua creantur, accipiunt, ita ſui eſſe continuationem ab ejuſdem continuatione actionis mutuentur. Ergo creatio rerum cum ædificatione domus apte non comparatur. Et ſi aliqua ex rebus creatis ſimilitudo ad hanc rem declarandam transferri debeat, non aliunde petenda eſt, quam ex neceſſaria connexione inter vim motricem & motum, qui ab illa generatur. Nam quia vis motrix eſt vera cauſſa proxima motus, non ſolum motus initium ſine vi motrice eſſe non poteſt, verum nec illius continuatio ſine ejuſdem vis continuatione, ut accurate docuimus in Onto-

to-

Digitized by Google

tologia §.42. & ſeq. Ergo quia Deus eſt vera cauſſa efficiens rerum, quæ ducuntur e nihilo, idem uſuveniat neceſſe eſt.

§. 100. Inſtantia

Etſi motus indigeat continuatione vis ad hoc ut perſeveret, non tamen res creata ad eumdem finem indiget continuatione illius actionis qua primum creata fuit. Ergo &c. Prob. min. ſub. Inſigne diſcrimen eſt inter corpus permanere in motu, & inter ſubſtantias creatas permanere in ſuo eſſe, quod ab initio acceperunt. Ergo &c. Prob. ant. Corpus permanere in motu eſt continuate mutare ſtatum & locum, ad quod non ſolum initio, verum etiam in progreſſu opus eſt cauſſa efficiente, ſeu vi; at res permanere in ſuo eſſe non eſt mutare ſtatum, immo eſt in eodem ſtatu manere. Ergo &c.

§. 101. Reſponſio

Diſt. res permanere in ſuo eſſe non eſt mutare ſtatum ratione habita aliarum rerum, quæ creatæ fuerunt co. ratione habita Dei creantis ne. Si duo corpora ex. g. eadem prorſus celeritate verſus eamdem plagam ferantur, aliud ex iis ratione alius ſtatum non mutat, eoquod quantumcumque moveantur, ſemper eumdem ſitum atque diſpoſitionem tuentur, adeout ſi ab initio motus alterum ante, alterum retro unum palmum diſtarent, etiam poſt plures talis motus annos eadem ac ſimilis unius palmi diſtantia inter eadem eſſet futura. Bene vero utraque ſtatum mutant ratione habita tertii corporis, quod aut quieſceret, aut minori vel majori velocitate eamdem verſus plagam ferretur, aut eadem quidem, ſed alias verſus plagas ſe conferret. Quare ſi omnia corpora eadem prorſus celeritate, & eamdem verſus plagam contenderent, tunc non mutarent ſtatum alia ratione habita aliorum, ſed ſolum ratione habita Dei, qui immobilis permaneret, & ſemper eſſet ubique. Inde tamen inferri non poſſet eadem opus non habere vi motrice, quæ ſemper eadem manens eamdem ſemper generet velocitatem. Res vero ita ſe habet in rerum creatione & conſervatione. Res nec dum creantur, nec dum conſervantur, ſtatum mutant aliæ ratione habita aliarum, eoquod omnes ſimiliter indigent actione Dei creantis ut incipiant eſſe, & continuatione ejuſdem, ut revera ſint, ſive eſſe permaneant. At revera mutant ſtatum ratione habita Dei, eo quod cum Deus ab æterno ſit & quidem a ſe ipſo, res creatæ in primo creationis momento incipiunt eſſe, ſive tranſire a non eſſe ad eſſe, & quidem ob principium, actionem & vim poſitam in altero Ente, ſive in Ente a ſe, quod indicat initium creationis eſ-

ſe

Digitized by Google

ſe paſſionis initium §. 35. n. 2. Ont. & in progreſſu revera ſunt, ſive a non eſſe ad eſſe tranſeunt, cum in momento ſolum initia rerum, non res eſſe queant, & quidem ob continuationem illius actionis, ob quam a non eſſe ad eſſe tranſire cœperunt; quod argumento eſt res creatas dum perſeverant, continuate pati. Ex quibus multo luculentius efficitur res creatas, ut in ſuo eſſe perſeverent, indigere continuatione illius actionis, qua primitus creatæ fuerunt.

2. Atque hic obiter animadverto hanc eſſe reconditam illam rationem, propter quam Philoſophi temporis notionem non deſumſerunt ab aliis rebus creatis præterquam a corporum motu; quia ſcilicet quamvis in omnibus conditis rebus ſit continuata paſſio, ſeu mutatio ſtatus, cujus mutationis ratio extra eaſdem continetur, tamen cum hæc mutatio ſit ſolum ratione habita Dei prorſus immutabilis, & illius actionis divinæ, qua eſſe cœperunt, a nobis intelligi nequit quæ & quanta ſit, nedum abſolute, verum nec relative, nec ratione habita Dei, cujus durationem nequaquam cognoſcimus, nec ratione habita aliarum rerum, eoquod cum omnes ſtatum ſimiliter mutent, aliæ reſpectu aliarum, quod pertinet ad hanc rem, in eodem ſtatu perſiſtunt. Quamobrem ut communem durationis rerum menſuram, quam relate cognoſcere poſſumus, & ad humanos uſus applicare, haberemus, neceſſe fuit tempus, quod eſt communis durationis rerum menſura, collocare in corporum motu, quem ob allatam rationem relative quantus ſit, cognoſcere quimus. Sed hac de re vide quæ diſſeruimus in Ontologia §. 127.

§. 102. Corollarium

Quamobrem ut res creatæ in nihilum, unde extractæ ſunt, redigantur, non eſt opus aliqua nova poſitiva Dei actione, ſed ſolum ceſſatione illius actionis, qua primitus creatæ fuerunt. Ex quo etiam intelligitur poſſe Deum omnes creatas res in nihilum reducere; eo quod ut libere poſuit actionem, qua illas crearet, ita libere poteſt ab illa actione ceſſare. Quo uno res in nihilum abeunt.

CAPUT TERTIUM.

De Deo cum actionibus rerum creatarum concurrente.

§. 103. Definitio

NOmine concurſus Dei intelligo continuationem illius actionis, qua Deus creat ſubſtantiarum vires agendi, ſive mutandi ſtatum. Nam ſicuti conſervatio eſt continuatio illius actionis, qua

Deus

Digitized by Google

Deus primum ſubſtantias e nihilo eduxit, ita concurſus eſt continuatio illius actionis, qua Deus primum vires agendi in ſubſtantiis creatis e nihilo educit.

§. 104. Propoſitio

Neceſſarius eſt divinus concurſus ad omnes rerum creatarum mutationes, itaut ſine proximo Dei concurſu nulla in rebus mutatio eſſe poſſit. Prob. Nulla in rebus creatis mutatio eſſe per ſe poteſt ſine interiori vi, quæ ſit aliquod abſolutum & permanens & proxime a Deo creatum, quæque relativi & ſucceſſivi, quæ in mutatione ſunt, ſit proxima cauſſa, eoquod relativa & ſucceſſiva ipſa per ſe gigni non poſſunt, ut pluribus docui in Ont. §. 42. & ſeq. Atqui vis eſſe & permanere non poteſt ſine concurſu Dei. Ergo &c. Prob. min. Concurſus Dei eſt continuatio illius actionis, qua Deus primum vires in ſubſtantiis creat §. 103. Atqui vires permanere non poſſunt ſine continuatione illius actionis, qua primum creatæ fuerunt; nam ſicuti ſubſtantiæ, quia proxime a Deo creantur, permanere nequeunt ſine continuatione illius actionis, qua primum creatæ fuerunt ob rationes capite antegreſſo propoſitas; ita ob eaſdem quia vires proxime a Deo in ſubſtantiis creantur, ut in Ont. §. 42. & ſeq. & præſertim §. 245. oſtendi, permanere nequeunt ſine continuatione illius actionis, qua primum e nihilo eductæ fuerunt. Hoc unum diſcrimen eſt, quod conſervatio pertinet ad continuationem ſubſtantiæ, concurſus autem ad continuationem vis, quæ ad ſubſtantiam accedit. Quare concludendum eſt divinum concurſum eſse neceſsarium ad omnes rerum creatarum mutationes.

§. 105. Objectio

Satis eſt conſervatio ſubſtantiæ ad eum finem ut illa ſtatum mutare queat. Ergo non eſt neceſsarius concurſus.

§. 106. Reſponſio

Diſt. Satis eſt conſervatio ſubſtantiæ, ſi vires ſint cum ſubſtantia neceſsario connexæ & ad eſsentiam primariam & ſubſtantialem pertineant co. ſi ſint accidentia ad ſubſtantiam jam in ſuo eſse conſtitutam accedentia ne. Nam ſi vis foret eſsentialis ſubſtantiæ rei creatæ, & cum ea neceſsario connexa foret, quemadmodum aliqui volunt eſse vires animarum, & aliqui etiam corporum; ad eam conſervandam atque idcirco ad mutationem inde proficiſcentem non alia requireretur Dei actio, quam ea, qua ſubſtantia creaturæ conſervatur.

2. Sin autem ſit accidentalis ſubſtantiæ, ut de omnibus rerum creatarum viribus in Ontologia demonſtravimus §. 42. & ſeq. & in Pſych. §. 91. tunc ab ente externo, ſive a Deo proxime proficiſcetur,

tur, & opus habebit continuata Dei actione, qua conſervetur. Nam qua ratione oſtendimus ad hoc, ut res in ſuo eſſe permaneant, neceſſariam eſſe perennem conſervationem illius actionis, qua primitus ſuum eſſe ab eo receperunt, eadem oſtendetur ad conſervationem vis accidentalis neceſſariam eſſe conſervationem illius actionis, qua eadem vis in ſubſtantiis creatis primum producta fuit. Quamvis autem Dei actiones abſolute & ipſæ per ſe conſideratæ non diſtinguantur, tamen in hoc eventu actio Dei, qua conſervatur vis accidentalis, relate conſiderata, eſt diſtincta ab actione qua conſervatur ſubſtantia. Nam conſervatio ſubſtantiæ eſt continuatio actionis, qua primo ſubſtantia producitur; conſervatio vis eſt continuatio actionis, qua primo producitur vis. Atqui actio, qua primum producitur ſubſtantia, relate conſiderata, non eſt eadem, ac actio, qua primo producitur vis accidentalis; ſiquidem creari poteſt ſubſtantia, uti corpus, quin creetur accidens, uti impetus. Ergo actio, qua conſervatur ſubſtantia, eſt diſtincta ab actione, qua vis; cumque ſine vi nulla mutatio eſſe queat, plane conficitur ad eum finem, ut res creatæ ſtatum mutent, ſatis non eſſe conſervationem ſubſtantiæ; ſed neceſſariam eſſe alteram actionem, qua conſervatur vis, quæque concurſus appellatur.

§. 107. Inſtantia

Atqui vis accidentalis in ſubſtantia permanere poteſt ſine continuatione actionis, qua creatur vis, diſtinctæ ab actione qua creatur conſervaturque ſubſtantia. Ergo &c. Prob. min. ſub. Eadem ratio non valet in ſubſtantiam, & in vim accidentalem illi inhærentem, quod attinet ad conſervationem. Ergo &c. Prob. ant. Eſt inſigne diſcrimen inter ſubſtantiam & accidens, quia cum ſubſtantia non inſit in alia creata re, ab alio nullo quam a Deo conſervari poteſt. At accidens abſolutum, cujuſmodi eſt vis, cum in ſubſtantia creata reperiatur, ab illa conſervari poteſt. Ergo &c. Prob. min. Accidens a ſubſtantia ſuſtentatur. Ergo ab illa conſervari poteſt.

§. 10di. Reſponſio

Diſt. ant. Accidens abſolutum a ſubſtantia ſuſtentatur, ſi ponatur in illa creari a Deo & ab eodem conſervari co. aliter ne. Nam ſubſtantia ſolum eſt capax recipiendæ vis ab ente externo, quam receptionem eſſe veram creationem §. 245. Ont. docuimus; numquam vero illam in ſemetipſa generandæ. Quod ſi antequam vis accidentalis a ſubſtantia ſuſtentetur, debet in illa a Deo creari, iiſdem argumentis quibus oſtendimus continuatione actionis creatricis conſervari debere ſubſtantiam, ſuadebimus etiam conſervari debe-

be-

Digitized by Google

bere vim in ſubſtantia, quo eadem pergat a ſubſtantia ſuſtentari. Ergo vis quoque accidentalis continuatione illius actionis, qua primum in ſubſtantia creata eſt, a Deo conſervetur oportet.

§. 109. Inſtantia

Atqui vis accidentalis poteſt ſuſtentari a ſubſtantia, quin a Deo diſtincta actione conſervetur. Ergo &c. Prob. min. ſub. Si res a Deo conſervari deberet, non ſolum prima receptio eſſet paſſio, quia foret mutatio ſubſtantiæ creatæ, cujus ratio eſt extra ipſam in Deo §. 35. n. 2. Ont., ſed etiam illius vis continuatio pro paſſione ob eamdem rationem haberi oporteret. Atqui continuatio vis in ſubſtantia paſſio eſſe non poteſt. Ergo &c. Prob. min. Si etiam continuatio vis foret paſſio, ſubſtantiæ creatæ non agerent, ſed ſolum paterentur; atqui etiam creatæ ſubſtantiæ vere agunt & non ſolum patiuntur. Ergo &c.

§. 110. Reſponſio

Diſt. maj. Subſtantiæ creatæ non agerent, ſed ſolum paterentur in receptione & continuatione vis co. in mutatione orta a vi ne. Nam ſubſtantiæ creatæ ob allatam rationem patiuntur quidem in receptione & conſervatione vis, ſed agunt & operantur, cum per acceptam a Deo & conſervatam vim ſtatum mutant, quia receptio quidem & conſervatio eſt mutatio, cujus tota ratio eſt extra ſubſtantias creatas in ſolo Deo: at mutatio ſtatus ope interioris vis eſt mutatio, cujus proxima ratio eſt intra ſubſtantiam, ſcilicet vis in illa creata & conſervata; remota vero eſt Deus, qui vim in ſubſtantia creat atque conſervat. Ergo ſubſtantiæ creatæ hujus adminiculo vis vere agere & operari dicendæ ſunt.

§. 111. Inſtantia

Si ſubſtantiæ creatæ ſolum hoc ſenſu agerent & operarentur; nullæ forent cauſſæ liberæ in ſuis actionibus; atqui liberæ in ſuis actionibus cauſſæ ſunt admittendæ, uti ſunt animæ noſtræ. Ergo &c. Prob. maj. Cum vi a Deo creata & conſervata in ſubſtantia mutatio ſtatus eſt neceſſario conjuncta. Ergo &c. Prob. ant. Deo in ſubſtantiis creatis operanti nihil reſiſtere poteſt. Ergo cum vi a Deo creata & conſervata &c.

§. 112. Reſponſio

Diſt. conſeq. Cum vi a Deo creata & conſervata in ſubſtantia mutatio ſtatus eſt conjuncta, quod attinet ad abſolutum ipſius mutationis co. quod attinet ad relativum ne. Diſtinctionem infra explicabimus, cum neceſſitatem divini concurſus cum libertate animæ noſtræ conciliare conabimur. Id quod nunc aggredimur.

CAPUT QUARTUM.

De Scientia & cognitione tum poſſibilium, tum futurorum, deque modo, quo Deus concurrit cum actionibus liberis.

ARTICULUS I.

De ſcientia & cognitione poſſibilium.

§. 113. Definitiones

Scientia Dei duplex eſt, alia ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt cognitio quam habet Deus, rerum poſſibilium; alia viſionis quæ dicitur cognitio eorum, quæ futura ſunt.

§. 114. Propoſitio

Deus videt omnia poſſibilia in ſua eſſentia. Prob. Nihil eorum, quæ in Deo ſunt, divinam cognitionem latere poteſt; ſi enim Deus non cognoſceret omnia quæ in ipſo ſunt, aliquid negantis eſſet in divina cognitione, & idcirco in Deo, quod eſſe nequit §. 175. Atqui in eſſentia divina omnia poſſibilia continentur. Ergo &c. Prob. min. Mera rerum poſſibilitas eſt attributum ſubſtantiæ, non ſubſtantia, quæ idcirco per ſe eſſe non poteſt, ſed debet in alio ſubſiſtere. Jam vero cum entia ab alio non ſunt, eorum poſſibilitas non poteſt eſse quidpiam niſi in Ente a ſe, quod eorum creandorum potentiam habet, ut etiam §. 197. Ont. docui. Ergo omnia poſſibilia in Deo tamquam ipſius attributum continentur.

2. Nec ajas poſſibilitatem eſse non repugnantiam prædicatorum. Cum enim negationes proprie ſint in mente, & reipſa debeat eſse fundamentum, cur eas percipiamus §. 21. Ont. fundamentum & ratio, cur mea mens percipiat aliqua non repugnare ſive non includere contradictoria, in eo eſt, quod illa ab ente a ſe gigni poſſunt, ſine quo nec intrinſecus forent poſſibilia, ut oſtendi §. 195. Ont. Quod contra accidit in ente a ſe, cujus poſſibilitatis ratio nulla a priori poteſt afferri; tum quia ipſum eſt ratio poſſibilitatis omnium aliarum rerum; ante ipſum vero nihil eſse poteſt, in quo ipſius poſſibilitas reperiatur: tum quia non poteſt conſiderari in ſtatu puræ poſſibilitatis, ſed percipi debet ut neceſsatio exſiſtens, adeout ſi non exſtaret, nec foret ejuſdem poſſibilitas §. 195. & ſeq. Ont. & quia neceſsario exſiſtit, eſt ratio cur alia quoque exſtare poſſint.

§. 114. Objectio

Si Deus omnia poſſibilia videret, primum & ultimum omniaque

que intermedia cognoſceret; atqui primum & ultimum omniaque intermedia cognoſcere non poteſt. Ergo Deus omnia poſſibilia videre nequit. Minor patet; ſiquidem poſſibilia ſunt infinita §. 55. In numero autem infinito non ſunt primum & ultimum; quia ſi forent, darentur utrimque fines & ideo numerus foret finitus. Unde conficio majorem. Si non videret ultimum, nec videret aut primum ante ultimum, aut ſecundum, aut tertium, aut aliud quodcumque diſtans ab ultimo. Atqui ſi non videret nec ultimum, nec primum ante ultimum, nec ſecundum, nec tertium, nec aliud quodcumque diſtans ab ultimo, omnia poſſibilia nequaquam videret. Ergo &c.

Reſponſio

Diſt. major. Si non videret ultimum, non videret aliud quodcumque diſtans ab ultimo diſtantia finita co. diſtantia infinita ne. Atqui ſi non videret aliud quodcumque diſtans ab ultimo diſtantia infinita, omnia poſſibilia nequaquam videret co. diſtantia finita ne. Antequam explicem hanc diſtinctionem, adverto primum & ultimum, ſive fines externos repugnare quidem in extenſione & numero abſolute infinitis ita ut nulla major extenſio aut numerus eſse queant, eoquod ſi forent primum & ultimum, atque fines utrimque, poſsent dari extenſa, aut numeri non ſolum finitis partibus, verum etiam infinitis majora, ut docui in Ont. §. 150. & ſeq. non autem repugnare in quantitate relative infinita, ut pariter ibi explicavi. Cum autem ex his infinitis relativis aliud alio in infinitum majus eſse poſſit, quin umquam in rebus creatis perveniri queat ad abſolute infinitum, & idcirco omnium maximum, ultimum, ultra quod Deus aliud creare nequeat, in rebus creandis & ideo poſſibilibus, eſse non poteſt. Ex quo efficitur Deum nec illud poſse videre & cognoſcere, quia divina cognitio impoſſibile tamquam poſſibile nequit cognoſcere. Jam vero ſi illud videret, jam poſset ab illo creari, & ideo foret poſſibile. Ergo illud videre nequit.

2. Ad objectam autem difficultatem inde petitam reſpondeo non videre quidem Deum aliquod ens ab ultimo diſtans diſtantia & numero finitis, quod ni ita foret, etiam ultimum videret; at videre aliquod ens ab ultimo poſſibilium diſtans diſtantia & numero infinitis; immo omnia entia poſſibilia, quæ ſimiliter diſtant. Ergo ex eo, quod Deus ultimum ex poſſibilibus non videt, nequaquam colligitur omnia poſſibilia non videre, quia ſunt poſſibilia tantum ea, quæ infinito intervallo abſunt ab ultimo, non autem quæ finito.

§. 115. Inſtantia

Si Deus videt ſolum ea, quæ diſtantiam habent infinitam ab ultimo poſſibilium, ipſius cognitio non eſset ſimultanea, ſed ſucceſſiva; atqui ipſius cognitio ſucceſſiva eſse non poteſt, eoquod omnia ab æterno cognoſcit, nec aliquid umquam divinam cognitionem latere poteſt. Ergo &c. Prob. maj. Si videret ſolum ea, quæ infinito intervallo abſunt ab ultimo, poſſet ſemper magis ac magis ſua cognitione ad ultimum accedere. Ergo &c.

Reſponſio

Diſt. ant. poſſet magis ac magis ad ultimum accedere, ſi ab æterno non acceſſiſſet, quantum accedere potuit co. ſi acceſſiſſet ne. Nam quia divina cognitio ob Dei immutabilitatem mutari non poteſt, Deus in cognitione omnium poſſibilium ita ad ultimum poſſibilium ab æterno acceſſit, quantum accedere potuit, adeout impoſſibile ſit propius accedere. Quare fieri nequit ut Deus ab unius cognitione ad alius cognitionem in tempore tranſeat, atque ideo ut ejuſdem cognitio ſit ſucceſſiva.

§. 116. Inſtantia

Si Deus ſua cognitione non pervenit ad ultimum, ab æterno non acceſſit ad ultimum, quantum accedere potuit. Ergo &c. Prob. ant. Si non pervenit ad terminum, poteſt ad terminum magis accedere. Ergo &c.

Reſponſio

Diſt. Si non pervenit ad terminum qui ſit poſſibilis co. qui ſit impoſſibilis ne. fateor nos non poſſe clare percipere quomodo Deus omnia infinita poſſibilia cognoſcat, & ab æterno ſua cognitione ad ultimum poſſibilium acceſſerit, quantum accedere potuit, quin hoc ultimum & ideo terminum ſuæ cognitionis cognoſcat; cujus ratio eſt, quia poſitiva deſtituimur infiniti abſoluti cognitione. §. 190. & ſeq. Pſychol. Negamus tamen id tamquam repugnans ab Adverſariis oſtendi poſſe, eoquod in infinito abſoluto hoc ultimum, atque hic terminus eſſe nequeunt, atque idcirco tamquam impoſſibilia cognoſci non queunt. Cognitio enim referri debet ad ea quæ poſſibilia ſunt, non ad illa, quæ impoſſibilia. Ergo manet ex eo, quod Deus non videt ultimum poſſibilium, nec aliud ab ultimo diſtans intervallo finito, non poſſe colligi, Deum omnia poſſibilia ab æterno in ſua eſſentia nequaquam videre.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De ſcientia & cognitione rerum futurarum quæ neceſſario fiunt.

§. 117. Definitiones

Effectus neceſſarii ſunt, qui gignuntur a cauſſis, quæ neceſſario operantur, ideſt nequeunt non agere, quoties habent ea, quæ ad agendum ſunt neceſſaria, ſcilicet agendi vim, idque uno tantum modo; cujuſmodi ſunt corporum motus: nam poſita vi motrice neceſſario ſequitur iſque unus tantum omnino determinatus, tum quod attinet ad directionem, tum quod attinet ad velocitatem.

2. Effectus liberi ii ſunt, qui gignuntur a cauſſis liberis, quæ vim agendi, quam habent, poſſunt in unam potius partem, quam in alteram, inflectere atque dirigere, cujus definitionis a communi abhorrentis rationem infra dabimus; nam vulgo cauſſas liberas definiunt, quæ poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſunt agere & non agere. Nunc diſputamus de viſione eorum, quæ neceſſario futura ſunt.

§. 118. Propoſitio

Res futuræ in ſe ipſis a Deo prævideri non poſſunt, ſed ſolum in ſuis cauſſis ad eas efficiendas jam determinatis. 2. Deus non prævidet res futuras in ſua eſſentia. 3. res futuras prævidet in ſuo libero decreto, quo ſe ad illas creandas libere ab æterno determinavit. 4. & quidem in eo ſolo decreto ſi res a Deo ſolo proxime pendent; res vero futuras neceſſarias, quæ ab ipſo ſolo non pendent, ſed etiam a rebus creandis, prævidet partim in decreto ſuæ voluntatis creandi illam cauſſam, a qua pendent, partim in natura ejuſdem cauſſæ.

1. Prob. 1. pars. Res videri non poſſunt ubi non ſunt, neque ab ente cognitionis infinitæ, qualis eſt Deus, quia ſi Deus videret res ubi non ſunt, falſum videret, quod alienum eſt a natura divina. Atqui res futuræ in ſe ipſis nondum ſunt. Ergo in ſe ipſis videri a Deo non poſſunt. Nihil igitur aliud eſt reliquum niſi ut a Deo prævideri poſſint in ſuis cauſſis, & quidem ad illas efficiendas determinatis. Nam Deus naturam omnium cauſſarum perfectiſſime callet & noſcit. Ergo ſi aliquæ cauſſæ ſint ad aliquid efficiendum determinatæ, & ideo jam rationem contineant, cur aliquæ res futuræ ſint, Deus profecto hanc determinatam rationem noſcens res inde exſtituras videre poterit. Quod ſi ad agendum determinatæ

Digitized by Google

non ſint, futuri effectus rationem in ſe non continebunt. Ergo in iis effectum minime Deus prævidebit, niſi velimus incidere in abſurdum modo commemoratum, ut videat res ubi non ſunt, & ideo falſum cognoſcat.

2. Prob. 2. Eſſentia divina per ſe & præciſe conſiderata non continet ſufficientem rationem rei alicujus futuræ. Ergo ex iis, quæ modo attulimus, conſtat Deum in ſua eſſentia non poſſe rem aliquam futuram cognoſcere. Prob. ant. Cum eſſentia divina ſit ab æterno neceſſaria & immutabilis, non continet rationem niſi rerum, quæ neceſſariæ ſunt, ſi præciſe conſideretur. Igitur non rerum futurarum, quæ libere a Deo creantur §. 84.

3. Prob. 3. Nihil igitur poteſt eſſe reliquum aliud, niſi ut ratio ſufficiens futurorum, quæ ab æterno eſſe non potuerunt §.73. n.3. ſit in decreto libero divinæ voluntatis, quo ipſe primum ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundum noſtrum percipiendi modum in ſua neceſſario exſiſtenti eſſentia cognoſcens omnia poſſibilia, ſive illa, quæ ab eodem creari poterant, ab æterno pariter ſe ſe libere determinavit ad aliqua potius ex his creanda, quam ad alia. Nam etiam homines libertate donati cum nondum ſe determinarunt ad aliquod faciendum ex pluribus, quæ facere queunt, prævidere non poſſunt quid ex ipſis futurum ſit; poſtquam vero ad unum ex pluribus ſe determinarunt, illud prævident tamquam futurum.

4. Prob. 4. Ex futuris neceſſariis alia proxime a ſolo Deo pendent, uti ſunt ſubſtantiæ tam corporeæ, quam ſpiritales, & ipſarum vires abſolutæ, quas a Deo proxime ſemper creari, & deſtrui jam docuimus in Ontol. §. 42. & §. 245. alia ſolum remote, uti ſunt relativa, cujuſmodi ſunt motus corporum ex viribus exſiſtentes, & ſitus eorumdem, qui ex variis motibus ortum ducunt. Primorum ratio ſufficiens eſt in ſolo Deo ſeſe ad illa creanda & conſervanda determinante. Secundorum ratio remota eſt in decreto, quo Deus ſubſtantias & vires creare ſtatuit, proxima in ipſis ſubſtantiis & viribus, ex quibus illa relativa proxime exſiſtunt. Ergo prima Deus videt in ſolo ſuo decreto, ſecunda vero partim in decreto creandi ſubſtantias & vires, partim in natura earumdem ſubſtantiarum & virium.

§. 119. Corollarium

Ex quibus colligitur Deum ab æterno prævidiſſe omnia, quæ ab ipſo creanda & conſervanda erant in tempore, & effectus omnes relativos, qui a rebus creandis & conſervandis neceſſario exſtituri erant. Nam qui cognoſcit cauſſam, quæ horum rationem continet

&

& quidem neceſſariam, is etiam effectus ab illa vel proxime vel remote neceſſario generandos prævidere poteſt: atqui voluntas & decretum Dei creandi & conſervandi tum mundum, tum ejuſdem corporeas vires ſunt cauſſa, quæ rationem continet, ex qua ſubſtantiæ & vires proxime & neceſſario creantur atque conſervantur, & motus atque ſitus ac diſpoſitio corporum remote quidem ſed pariter neceſſario oriuntur: & Deus ſemetipſum perfecte cognoſcens, illud decretum libere condidit ab æterno §. 31., & ideo perfecte cognovit. Ergo colligitur Deum ab æterno &c.

ARTICULUS III.

De concurſu Dei cum effectibus ſive actionibus cauſſarum liberarum.

§. 120. Animadverſio

ANtequam explicem modum, quo Deus liberas hominum actiones prævidet, neceſſarium eſt explicare modum, quo cum iiſdem actionibus concurrit, & libertatem cum neceſſitate divini concurſus conciliare. Ad hoc autem intelligendum memoria repetenda ſunt, quæ §. 212. Logicæ & §. 55. & ſequent. Pſychologiæ de libertate diſputavimus.

§. 121. Propoſitio

Anima noſtra indiget concurſu Dei, quo poſſit appetere bonum in genere, & quo hoc, vel illud appetat in particulari ſinguliſque momentis. Quod probatur eadem ratione, qua fuit confecta enunciatio §. 104. Nam etiam anima noſtra eſt res creata §. 200. Ont. & vim habet accidentalem, quæ idcirco pariter a Deo creari & conſervari debet.

§. 122. Syſtema Thomiſtarum

Ingredimur in intricatiſſimam illam de modo, quo Deus cum cauſis liberis, uti cum anima, concurrit, quæſtionem, & primo Thomiſtarum Syſtema proponimus.

1. Thomiſtæ volunt, quamlibet cauſſam, ſive neceſſariam, ſive liberam egere realitate aliqua phyſica, ſive ut noſtris vocabulis utamur, vi aliqua interna a Deo accepta, per quam moveatur, determinetur, & applicetur ad operandum.

2. Inquiunt hanc vim, quam ipſi præmotionem phyſicam vocant, a ſolo Deo produci, ac pendere, nec eſſe in poteſtate animæ noſtræ, ut illam habeamus.

3.

3. Illam eſſe adeo per ſe intrinſecus, & ex natura ſua, atque independenter a voluntate & ante illius conſenſum efficacem ad actum voluntatis, ſive quemcumque alium eliciendum, ut impoſſibile ſit voluntatem v. g. ad amandum prædeterminari & moveri, ac voluntatem non ponere actum amoris ſaltem in ſenſu compoſito præmotionis cum voluntate, & ſi efficias hanc propoſitionem hypotheticam: ſi voluntas præmovetur ad amandum, neceſſario amat.

4. Sic vero libertatem hominis cum hac præmotione conciliant: Deus concurrens cum cauſſis non ſolum attingit & producit ſubſtantiam actus & effectus, ſed & modum actus: unde præmovens neceſſarias efficaciter efficit, ut modo neceſſario operentur; præmovens liberas efficit, ut modo libero: quare dicunt, poſita præmotione ad amandum, actum amoris eſſe liberum, & indifferentem in ſenſu diviſo, nimirum ſi non fiat illa propoſitio hypothetica.

§. 123. Propoſitio

Phyſica præmotio non eſt admittenda in anima humana nec quantum ad actus bonos, nec quantum ad malos. Pr. Non eſt admittenda, ſi non poſſit componi cum animæ libertate, & cum illa indifferentia, de qua egimus in Pſych., per quam anima poteſt juſte mereri, & demereri §. 83. Pſych.; atqui componi non poteſt; ergo &c.

Prob. min. Non poteſt componi, ſi anima in ſenſu Thomiſtarum præmota ad unum v. g. amandum, non retineat potentiam ad aliud contradictorium aut contrarium, nimirum ad non amandum, aut odio habendum; atqui res ita ſe habet. Ergo &c. Maj. patet, & ab ipſis Thomiſtis conceditur; nam mereri, aut demereri non poteſt, niſi ille, qui ſuorum actuum dominium habet, niſi aut qui bene facit, cum ſaltem habet potentiam ab eo bono abſtinendi, aut male agit, cum pariter ab illo malo abſtinere quit.

Unde prob. min. 1. quia, qui prædeterminatur a Deo ad amandum, eo tempore caret præmotione ad odium; non enim per Thomiſtas eodem tempore ſunt in anima duæ præmotiones contrariæ. Cum igitur per Thomiſtas præmotio ſit neceſſario requiſita ad actum, voluntas prædeterminata ad amandum caret auxilio, & principio, quod ex natura ſua eſt neceſsarium ad odium; ergo tunc anima non habet vere potentiam contrarii, ideſt odio habendi.

2. Qui prædeterminatur ad amandum, nec habet potentiam contradictionis, ideſt non amandi; nam hæc phyſica præmotio non accipit efficaciam ſuam a voluntatis conſenſu; ſed ipſa eſt intrinſe-

cus

cus, & independenter a voluntate ita efficax, ut impoſſibile ſit effectum cum ipſa non conjungi; ergo ſi contradictorium eſt impoſſibile; voluntas non habet illius potentiam, ſed neceſsario amat, & ponit actum, ad quem præmovetur. Hujus argumenti vis ex ſolutione Inſtantiarum magis conſtabit.

§. 124. Inſtantia

Diſtinguunt Thomiſtæ ultimam propoſitionem; neceſſario amat neceſſitate conſequenti concedunt; antecedenti negant: neceſſitas effectus dicitur antecedens, quando oritur ex cauſſa, quæ effectum illum neceſſario producit, ejuſque exſiſtentiam antevertit; neceſſitas conſequens eſt, quæ oritur ex ipſa poſitione effectus, qua fit, ut ſi ponatur effectus, is neceſſario exſiſtat ſub hypotheſi, ſi ponatur; nam impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe: ita qui ſedet vi adactus ad ſedendum, habet neceſſitatem ſeſſionis antecedenter in cauſſa neceſſariam, & hæc neceſſitas tollit libertatem; qui libere ſedet, habet neceſſitatem tantum conſequentem, & hæc libertati non officit. Quare negant Thomiſtæ per phyſicam prædeterminationem tolli libertatem, quia per ipſos inducit tantum neceſſitatem conſequentem.

§. 125. Reſponſio

Verum ex traditis definitionibus conſtat phyſicam prædeterminationem inducere neceſſitatem antecedentem, quia per Thomiſtas præmotio a ſolo Deo eſt, & præcedit voluntatis quemlibet actum, eſt cauſſa neceſſario requiſita in anima ad illos producendos, intrinſecus, & independenter a voluntate illorum producendorum virtutem habet; ergo non inducit tantum neceſſitatem conſequentem, aut concomitantem poſitionem effectus, ſed antecedentem.

§. 126. Inſtantia

Concedunt Thomiſtæ præmotionem, ut cauſam antevertere quemlibet voluntatis actum; ſed negant eam neceſſario producere illos; nam ſaltem in ſenſu diviſo voluntas ad amandum præmota poteſt adhuc amare, & non amare.

§. 127. Reſponſio

Hæc diſtinctio nihil juvat Thomiſtas; nam ſi Catholici ſunt, ut revera ſunt, propugnare debent, voluntatem eſſe in amando liberam eodem ipſo tempore, quo ad amandum præmovetur, ideſt, quo præmotio phyſica reipſa cum voluntate conjungitur; debet enim eſſe libera, cum actu amat; ſiquidem meretur amando, aut demeretur: atqui per Thomiſtas non actu amat, niſi quo tempore præmovetur. Igitur poſſunt illam dividere, & ſeparare tantum per men-

tem, ideſt præmotionem in voluntate amante non conſiderare, cum præmotio ſit ipſamet cauſſa efficiens amoris. Quid autem ad ſervandam reipſa animæ libertatem juvat hæc per mentem diviſio cauſſæ ab effectu, ſive diviſio præmotionis ab amore, ideſt hæc non conſideratio? Quare cum in ſenſu compoſito impoſſibile ſit voluntatem non amare, voluntas præmota neceſſario amat.

§. 128. Inſtantia

Atqui voluntas eodem tempore, quo ad amandum prædeterminatur, vere poteſt non amare, aut odio habere; ergo &c. Prob. ant. Prædeterminatio pertinet, & neceſſario requiritur tantum ad actum ponendum, v. g. ad amandum, non autem ad potentiam actus; ergo voluntas eodem tempore, quo prædeterminatur ad unam actum, poteſt retinere potentiam ad oppoſitum. Prob. ant. Albedo pertinet, & neceſſario requiritur ad hoc, ut paries ſit albus, non ad hoc, ut poſſit eſſe albus; & motus requiritur ad hoc ut corpus moveatur, non ad hoc, ut poſſit moveri; ergo a pari &c.

§. 129. Reſponſio

Diſcrimen eſt quia albedo, & motus ſunt ipſum effectum productum, & ipſa interna forma, per quam paries eſt albus, aut corpus movetur; unde pertinet ad actualitatem effectus, non ad potentiam, ideſt ſunt ipſe actualis effectus: at præmotio phyſica non eſt ipſe effectus, & actus voluntatis, ſed aliquod ab ipſa diſtinctum, & cauſſa illum antecedens; nam etiam per Thomiſtas a ſolo Deo pendet, cum actus voluntatis etiam a voluntate noſtra proveniat, & revera in præſenti agimus de natura illius divini concurſus, ſine quo nullæ ſunt ad aliquod producendum vires in rebus creatis §. 104. Quare ſi neceſſario requiritur, neceſſario requiritur ad potentiam ipſam agendi, non ad ſolam actionem; nam potentia duplex eſt, alia remota, alia proxima, de quibus §. 89. Log. diſputavimus; proxima, quæ habet omnia ad poſſe operandum requiſita; ſic ignis, aut ferrum calidum, habet omnia per ſe ad calefaciendum requiſita; remota, cui aliquid deeſt, ut aqua, aut ferrum frigidum, quibus deeſt calor, quæque idcirco habent ſolam potentiam remotam. Dici autem non poteſt, eum veram & efficientem habere potentiam ad operandum, qui habet non proximam, ſed remotam, qualis requiritur ut ſit Dominus illius operationis, & mereatur, aut demereatur. Revera quis dicet, animam mereri, aut demereri, ſi habeat ſolum potentiam amandi, qualis calefaciendi in aqua frigida reperitur? Atqui ſine prædeterminatione phyſica in ſenſu Thomiſtarum non habetur potentia phyſica proxima & expedita ad ope-

Digitized by Google

operandum; nam illa præmotio neceſſario requiritur §. 122. Ergo, qui habet prædeterminationem ad amorem, is neceſſario amat, & non habet veram potentiam ad oppoſitum.

§. 130. Inſtantia

Etſi anima non maneret libera, nec potentiam ad oppoſitum retineret, ſi ab ente finito prædeterminaretur, tamen retinet hanc potentiam, quia determinatur a Deo, qui cum ſit omnipotens, poteſt non ſolum prædeterminare actum, ideſt facere, ut velimus, verum & modum actus, ideſt facere, ut libere velimus; ergo licet prædeterminatio ad potentiam faciendi pertineret; tamen &c.

§. 131. Reſponſio

Reſp. negando ant. Nam Deus non poteſt facere ea, quæ contradictionem in terminis involvunt, non ex defectu omnipotentiæ divinæ, ſed ex defectu rerum, quæ contradictoria ſimul ponunt; atqui ex hactenus dictis repugnat a Deo efficaciter prædeterminari actus voluntatis, & ſimul modo libero; nam hæc ex natura, & ab interno efficax prædeterminatio ad unum potentiam ad oppoſitum tollit; nam ſecundum reſponſionem ad primam Inſtantiam, antecedit natura voluntatis quemlibet actum; ſecundum reſponſionem ad ſecundam a parte rei cum voluntatis actu conjungitur tanquam cauſſa illum producens, unde nihil prodeſt, eam mente a voluntate ſejungere; ſecundum reſponſionem ad tertiam, pertinet, & neceſſario requiritur non tantum ad actum, verum & ad potentiam proximam & expeditam. Quare præmotio phyſica efficit quidem, ut libenter velimus, quia voluntatem invitam non cogit; ſed ex invita volentem neceſſario facit; non autem ut libere, ſive indifferenter, & cum potentia ad oppoſitum §. 58. Pſych.

§. 132. Animadverſio

Hic animadvertendum eſt alio modo in ſententia Thomiſtarum Deum prædeterminare ad actum bonum, alio ad malum; nam cum agitur de actu bono, prædeterminat tum ad phyſicum, ſive abſolutum actus voluntatis, quatenus eſt accidens animæ; tum ad morale, ſive relativum, quatenus nimirum eſt actus conformis cum recta ratione, & cum regulis divinis, ſive cum vero bono, quo in ſenſu Syſtema Thomiſtarum dicimus repugnare libertati merendi; nam ſi defenderent prædeterminationem ſolum quantum ad phyſicum actus, & ſimul aſſererent pro libito voluntatis cum eodem phyſico actu conjungi moralitatem, aut bonam, aut malam, non valde iis repugnaremus; nam ad libertatem merendi, aut demerendi preciſe requiritur libertas in ponenda moralitate, aut non

Digitized by Google

ponenda, in qua ſita eſt ratio meriti, aut demeriti. Immo ut ex infra dicendis conſtabit, in eorum ſententiam deſcenderemus.

2. Quantum vero ad actum malum, dicunt determinari phyſicum actus, non morale; ſed tamen volunt eam moralitatem cum phyſico actus, v. g. odii erga Deum, ad quem voluntas a Deo prædeterminatur, eſſe conjunctam. Quare cum oſtenderimus per prædeterminationem tolli libertatem, & potentiam ad oppoſitum, ſequetur voluntatem neceſſitate omnino antecedenti compelli ad phyſicum actus mali, & ex eo quod morale eſt aptum atque connexum cum phyſico, compelli etiam ad moralitatem malam; ergo voluntas nec in malo perpetrando libera erit in hoc Syſtemate.

3. Præterquamquod prædeterminatio ad phyſicum actus mali rejicitur etiam ob alteram rationem, quia nimirum, ſi Deus ad phyſicum actus, cum quo morale eſt connexum, prædeterminaret, eſſet auctor peccati, & cauſſa magis quam ſit ipſa creata voluntas. Neque ad hujus argumenti vim elidendam utantur Thomiſtæ illo ſui Præceptoris exemplo tibiæ, & pedis curvi, quo hoc argumentum a ſimili ductum conficiunt: ſicuti virtus motrix, & progreſſionis hominis, quæ, ut ex §. 5. Pſych. patet, in ſpiritibus animalibus muſculos inflantibus poſita eſt, efficaciter producit, & prædeterminat motum in tibia curva; non tamen illi ut veræ cauſſæ tribuitur defectus, ſive curvitas; ſed hæc a vitio, ſive curvitate tibiæ oritur: ita Deus prædeterminat phyſicum, ſive materiale actus mali; non tamen illi ut veræ cauſſæ vitio vertenda eſt moralitas mala, ſive difformitas, & veluti deflexio a recta linea, ſed voluntati creatæ; non, inquam, Thomiſtæ hoc utantur exemplo; nam inſigne eſt diſcrimen, immo ex eo magis noſtra ſententia probatur: nam iccirco curvitas tribuenda eſt non cauſæ motrici, ideſt ſpiritibus animalibus, ſed curvitati, & vitio tibiæ, quia ex altera parte ſpiritus animales per ſe ſunt indifferentes ad motum rectum, & ad curvum, immo potius ſunt ad rectum determinati; ex altera tibia ponitur per ſe curva, & vitioſa ante actionem ſpirituum animalium, & independenter ab illis: at in noſtro eventu ex altera parte phyſica prædeterminatio ad phyſicum actus ex divina intentione ad phyſicum illud actus mali eſt determinata, eſtque diſtincta, & diverſa a prædeterminatione ad actum bonum in Syſtemate Thomiſtico; ex altera in homine, qui adhuc nullum actum moralem malum elicuit, vel quia ſolos actus bonos produxit, vel quia nullum adhuc liberum conſenſum dedit; quod olim contigit in prima Adam creatione; in hoc, inquam, ho-

Digitized by Google

homine voluntas ante prædeterminationem non ponitur adhuc curva, vitioſa, & ad malum inclinata, ſed eſt ad utrumque indifferens.

4. Quare inclinatio ad malum potius, quam ad bonum, ortum, & principium ſuum debet prædeterminationi Dei, quæ ad phyſicum actus mali potius tendit, quam ad phyſicum actus boni, & Deo ipſi, qui cum poſſit illam voluntatem potius ad phyſicum actus boni, quam ad phyſicum actus mali determinare, ad hoc determinare mavult; quapropter Deo, tamquam veræ, & propriæ cauſſæ, tribuendum eſt malum: quemadmodum curvitas progreſſionis tibiæ tribuenda eſt virtuti motrici, & ſpiritibus animalibus, ſi tibia per ſe recta adhuc ſit, & ad motum rectum, & curvum indifferens; homo autem conſulto tibia curva incedat; tunc enim cauſſa curvitatis non poſſunt eſſe niſi ſpiritus animales, qui primo determinant tibiam ad motum curvum, inflando muſculos, & eos in curvitatem inflectendo. Quamobrem ad aliud ſyſtema hac in re nobis eſt confugiendum.

§. 133. Aliud Syſtema pro Libertate

Primo ad hoc Syſtema intelligendum ponamus navim, quæ ventorum, aut aquarum impulſu recta verſus occidentem feratur; hæc navis verſus occidentem recta efficaciter prædeterminatur, & a vento præmovetur, verum eſt in poteſtate, & arbitrio naucleri eam dirigere verſus ſiniſtram potius partem, quam verſus dexteram; ita tamen ut progreſſio in genere verſus occidentem a vento prædeterminetur, & efficiatur, non a manu nautæ; ſed directio verſus unam potius occidentis partem, quam aliam, ab eadem manu pendeat. Quare duo motus in navi ſunt diſtinguendi, rectus, & progreſſionis, cujus prima cauſſa eſt impetus venti, & circularis, atque directionis, cujus prima cauſſa eſt vis nautæ; ſed nauclerus ſine vento poſſet tantum vertere navim; non autem efficere, ut in aliquam occidentis partem feratur; immo ſi navis ſit valde magna, & omnis prorſus aut aquæ, aut aeris motus deficiat, nec poteſt illam vertere, quia licet directio verſus ſiniſtram, aut dexteram partem a manu, tamquam a prima cauſſa, determinetur, tamen ad illum directionis motum & impetus venti requiritur, qui ſe accommodat ad navim movendam verſus eam partem, ad quam dirigitur navis a manu, ſi modo non ſit verſus omnino oppoſitam, ideſt verſus orientem in poſito eventu.

2. Hæc ad vivum exhibent noſtrum Syſtema, cui verbis D. Thomæ fundamentum jacimus 1. 2. quæſt. 6. art. 6. ad 3.: *Deus movet voluntatem hominis ſicuti univerſalis motor ad univerſale objectum*

vo-

Digitized by Google

voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac univerſali motione nil poteſt homo velle; ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum vel hoc, vel illud, quod eſt verum bonum, vel apparens; ſed tamen interdum Deus ſpecialiter movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum, ſicuti in his, quos movet per Gratiam.

3. Primo igitur dicimus voluntatem hominis efficaciter moveri, & præmoveri a Deo ad bonum in genere proſequendum, ſicuti navis a vento verſus occidentem prædeterminatur; nam ſine vi, & conatu agendi non datur actio §. 42. & ſeq. Ont. Cum igitur voluntas in volendo agat, ut apud Catholicos certum eſt, vim habet in bonum tendendi; hæc autem vis non poteſt eſſe in anima, niſi a Deo primum creetur, & conſervetur continuatione illius actionis, qua primo producta fuit §. 104.

4. Verum in animæ arbitrio eſt dirigere ſuam voluntatem potius ad ſiniſtram, nempe ad bonum apparens, quam verſus dexteram, ideſt ad bonum verum; ſicuti in arbitrio naucleri eſt navim potius verſus ſiniſtram inflectere, quam verſus dexteram; tunc enim anima eſt in tali ſtatu, ut poſſit judicare duo oppoſita eſſe bona §. 58. Pſychol., ideoque poteſt determinare impulſum a Deo productum tendendi in bonum, in utram velit partem.

5. Quare ſicuti duo motus in navi, ita duæ motiones in anima ſunt diſtinguendæ; prima tendendi in bonum in genere, quæ tota a Dei actione producitur; 2. directionis in hoc, aut illud bonum, quæ ab arbitrio pendet.

6. Verum ſicuti nauclerus ſine vento non poſſet navim in aliquam partem dirigere, quia ventus ſeſe accommodat ad navim movendam verſus partem, ad quam a manu determinatur, quæque navis ſola manu moveri non poſſet, ſi nimis ingens ſit; ita in anima ſine vi, & actione a Deo producta non poſſet ſeſe in ullam partem dirigere, quia cum vires creaturarum egeant continuata per Deum conſervatione, anima nihil poteſt per ſe præſtare, ſed requiritur, ut illa divina motio, per quam anima ferebatur in bonum univerſe ſeſe accommodet ad eam impellendam in bonum ſpeciale: quare tendentia verſus bonum in genere primam cauſſam in Deo habet, directio verſus hoc, vel illud in particulari primam habet ab anima ſeſe determinante.

7. Denique ſicut nauclerus non poteſt dirigere navim in partem omnino contrariam, quia impulſus venti non poteſt ſe ad illum motum accommodare; ita homo non poteſt ſuam voluntatem in malum ſub ratione mali cognitum dirigere, quia a Deo impellitur tantum ad bonum.

§. 134.

Digitized by Google

§. 134. Propoſitio

Deſcriptum Syſtema hac in re eſt admittendum. Pr. Hoc Syſtema eſt admittendum, ſi in eo optime ſervatur, & explicatur id, propter quod eſt inſtitutum, nimirum ad componendum Dei concurſum cum libertate indifferentiæ merendi, aut demerendi, & nullis eſt obnoxium difficultatibus inſolubilibus; atqui utraque pars ita ſe habet: prima patet ex dictis; nam ſervatur concurſus Dei, quia actio Dei ponitur neceſſaria tum ad promovendam voluntatem in bonum in genere continuo impulſu, & independenter a creato arbitrio, tum ad movendum verſus aliquod particulare bonum, poſtquam voluntas vi ſibi a Deo data in illud ſe determinavit: ſervatur etiam libertas, quia præciſe meremur, aut demeremur, ideſt bene facimus, aut male per directionem voluntatis in bonum verum aut apparens. Igitur cum in hoc Syſtemate hæc directio ſit in poteſtate animæ, in ejus poteſtate, & dominio eſt bene, aut male agere; atque idcirco jure vituperanda eſt, cum male agit, nam poteſt ſaltem abſtinere; laudanda, cum bene, quia poteſt ab illo ceſſare: ſecunda pars ex ſolutionibus objectorum conſtabit. Ergo hoc ſyſtema eſt admittendum.

§. 135. Objectio

Deus eſt cauſſa omnium prima; ſed ſi non prædeterminaret voluntatem ad agendum, ſed a voluntate prædeterminaretur ad concurrendum, non eſſet cauſſa omnium prima; ergo &c. Prob. minor. Cauſſa omnium prima debet etiam prius aliis operari; atqui ſi Deus non prædeterminaret, ſed determinaretur, non ageret priuſquam agit voluntas, ſed poſt ſaltem poſterioritate naturæ, quia determinaretur a voluntate; ergo &c.

§. 136. Reſponſio

Diſt. maj. Cauſſa omnium prima debet & prius aliis operari tribuendo aliis, & continuo conſervando vim operandi, ſive determinatam ad unum in ſpecie, ſive ad unum in individuo co.; determinatam tantum ad unum in individuo nego; atqui ſi Deus &c. non ageret priuſquam voluntas, tribuendo vim determinatam ad unum in individuo co., ad unum in ſpecie nego; quare nego conſ. Itaque primus effectus actionis divinæ a ſecundo diſtinguendus eſt; nam primus eſt movere voluntatem ad aliquid volendum, vim illi tribuendo, & continuo conſervando, & hic omnino prædeterminatur a Deo, nec voluntas in eo libera eſt: cum enim ante quamlibet vim a Deo acceptam nullam habeat vim, non poteſt impedire, quominus a Deo præmoveatur; ſiquidem in receptione primæ

vis

vis quælibet cauſſa creata non agit, ſed tantum patitur §. 35. Ont. & hic §. 110.

2. Secundus autem eſt productio actus volitionis, & in hoc etiam Deus eſt cauſſa prima, quatenus actus volitionis prædeterminatur non in individuo; ſed tantum in ſpecie, quia tribuit vim, qua determinatur efficaciter & neceſſario voluntas ad proſequendum bonum in genere; voluntas vero hac vi per ſe indifferenti ad unum in individuo ſe determinat.

§. 137. Inſtantia

Igitur voluntas in ſe determinando ad unum in individuo natura præcedit actionem Dei: atqui hoc eſſe non poteſt; ergo &c. Prob. min. Deus eſt cauſſa prima in omni genere, & linea; ergo & in determinatione ad unum voluntatem præcedere debet.

§. 138. Reſponſio

Reſ. diſt. Ant. Eſt cauſſa prima, quatenus patitur natura cauſſæ ſecundæ ab eo creatæ co., aliter ne. & nego conſ., nam alia eſt cauſſa ſecunda quæ operatur modo neceſſario, ut eſt corpus; alia libera, quæ modo libero: neceſſariis, uti ſunt corpora, Deus tribuit vim ad unum in individuo determinatam, ita ut cauſſa ſecunda effectum illius vis impedire non poſſit, v. g. Deus corpori alicui vim tribuit ita determinatam ad unum punctum, ut non poſſit, vel tantiſper ad dexteram, aut ſiniſtram declinare; at liberis, nimirum mentibus quæ eodem tempore contraria poſſunt cognoſcere, tribuit vim tendendi in bonum determinatam ad bonum tantum in genere; ſed per ſe indifferentem ad hoc, vel illud bonum in individuo, quæ bona oppoſita a mente eodem tempore cognoſcuntur, & ad quorum unum ſeſe determinat.

Cæterum ex intentione Dei præmotio voluntatis a Deo facta, licet intrinſecus non efficax, tendit in bonum verum; unde cum voluntas bonum verum proſequitur, nihil de ſuo largitur; ſed quodammodo ſinit ſe abripi ab impulſu Dei, quamvis in eo agat, quia vi interna agendi prædita eſt §. 35. Ont. & libere, quia poteſt eodem tempore ſe in bonum etiam apparens dirigere.

Quo poſito quæro ab Adverſariis, utrum in formalem malitiam, ſive difformitatem actus mali a recta ratione ſe dirigat voluntas, an dirigatur a Deo; non a Deo, inquient, quia Deus prædeterminat voluntatem tantum ad materiale, & poſitivum peccati ſecundum eorum Syſtema, non ad formale, & relativum. Igitur voluntas eſt, quæ in eam malitiam ſe dirigit, atque convertit. Si ergo hæc a voluntate profecta directio in malum rationi primæ cauſſæ

non

non repugnat; ne quidem ſimilis determinatio, & directio a nobis propugnata repugnabit.

§. 139. Inſtantia

Cauſſa prima, quæ eſt Deus, debet etiam cauſſis liberis tribuere vim omnino ad unum determinatam; ergo &c. Prob. ant. Cauſſa prima debet cauſſis ſecundis tribuere talem vim, qua ſe poſſint in actum transferre; atqui cauſſæ ſecundæ non poſſunt ſe in actum transferre vi indifferenti ad duo oppoſita, ſed debet eſſe vis determinata ad unum; ergo cauſſa prima debet cauſſis ſecundis tribuere talem &c. Prob. min. Quod eſt indifferens ad duo oppoſita, non poteſt ſe determinare ad unum illorum per ſe; atqui in hac hypotheſi voluntas eſt indifferens ad duo oppoſita; ergo &c.

§. 140. Reſponſio

D. ult. maj. Quod eſt indifferens indifferentia paſſiva, non poteſt ſe ipſum determinare co., quod eſt indifferens indifferentia activa, ſive per vim aliquam duorum capacem, nego; atqui voluntas eſt indifferens paſſiva nego, activa con. nam ſicuti aliud eſt potentia paſſiva ad unum in individuo recipiendum, aliud eſt vis ad idem recipiendum; ita aliud eſt potentia paſſiva ad unum ex duobus recipiendum, aliud eſt vis; nam poſita pura potentia paſſiva, v. g. motus recipiendi, non ponitur effectus, & mutationis ratio ſufficiens, ſed aliud ens requiritur ad illum motum in corpore producendum: at cum vis ſit cauſſa proxima, & ſufficiens mutationis, nihil aliud requiritur ad corporis motum, ſed corpus per vim internam ſe movet. Quod vero dicitur de potentia, & vi determinata ad unum in individuo, transferendum eſt ad potentiam, & vim determinatam ad unum in genere, ideoque indifferentem ad actus diverſarum ſpecierum; nam ſi voluntas haberet ſolam potentiam paſſivam tendendi in unum ex duobus bonis oppoſitis, ab externo oporteret eam ad unum in individuo prædeterminari; ſed cum habeat vim, ideſt continuum conatum tendendi in aliquod ex iis bonis, ſine alio externo, ſed ſola continuatione illius vis poteſt ſeſe in aliquod determinate dirigere; quia nimirum vis eſt ratio ſufficiens effectus, & proxima, nulloque alio indigens ad eum producendum.

§. 141. Inſtantia

Etiam, quod eſt indifferens indifferentia activa, non poteſt ſeſe determinare ad unum in individuo; ergo &c. Prob. ant. Indifferentia activa ad duo oppoſita non poteſt eſſe cauſſa, & ratio ſufficiens determinationis ad unum eorum; ergo &c. Prob. ant. Iſta indiffe-

Digitized by Google

rentia activa ad duo opponitur determinationi ad unum, ſicuti identitas diverſitati, contingentia neceſſitati; atqui nec identitas continet rationem ſufficientem diverſitatis, nec contingentia neceſſitatis; ergo &c.

§. 142. Reſponſio

Reſ. ne. maj. ult. Nam indifferentia activa & determinatio ad unum non tam opponuntur ut duo contraria, qualia ſunt indifferens, & determinatum, quam ut duo relativa, qualia ſunt cauſſa, & effectus; identitas vero, & contingentia opponuntur diverſitati & neceſſitati ſolum ut duo contraria; nam in identitate, & contingentia nullum conatum, nullam vim percipimus producendi diverſitatem, & contingentiam; at in indifferentia activa ad duo percipimus hujuſmodi continuum conatum tendendi ad illa, & ſe ad unum eorum determinandi. Revera & Thomiſtæ debent admittere poſſibilitatem vis indifferentis ad duo oppoſita, qua vi ſit, ut illud ens abſque alio ſeſe determinet ad unum. Nonne Deus fuit ab æterno liber, & indifferens ad mundum creandum, & non creandum? & quia hæc eſt indifferentia activa poſita in vi, iccirco potuit ſe ad unum abſque alio determinante determinare. Quare quod eſt poſſibile Deo propter vim neceſſariam & independentem, id eſt poſſibile in creatura per vim a Deo acceptam.

§. 143. Inſtantia

Si res ita eſt, ideſt ſi creatura poteſt ſe ad unum ex duobus determinare, poteſt ſe transferre a potentia ad actum; atqui non poteſt ſe transferre a potentia ad actum. Ergo &c. Prob. min. Creatura non poteſt ſeipſam reddere perfectiorem, quam a Deo conſtituta ſit; ſed ſi ſe a potentia ad actum transferret, ſeipſam redderet perfectiorem quam ſit; ergo &c.

§. 144. Reſponſio

Reſ. diſt. primam maj. Si res ita eſt, poteſt ſe transferre a potentia activa ad actum con. a paſſiva ad actum, ne. atqui non poteſt ſe transferre a potentia activa ad actum nego, a paſſiva ad actum con. quæ diſtinctio patet ex dictis: hinc diſt. alteram maj. creatura non poteſt ſeipſam reddere perfectiorem in aliquo abſoluto, & in genere phyſico co. in aliquo relativo & in genere morali nego; & diſt. min., ſi a potentia paſſiva ad actum ſe transferret, ſeipſam redderet perfectiorem co., ſi ab activa ad actum ſe transferret, ſeipſam redderet perfectiorem ſubd. in abſoluto & in genere phyſico. ne., in relativo & in genere morali co. nam vis ita eſt cauſſa proxima, & immediata actus & mutationis, ut in

ge-

genere actus phyſici, & abſoluti ipſe actus, & actualis mutatio majorem perfectionem non contineat, quam conatus, & vis, ſive ne verbis rixemur, non contineat ſaltem talem, quæ a ſola vi ſine alio produci non poſſit: quare ſeipſam creata res reddit perfectiorem in genere tantum morali, nimirum dirigendo ſeipſam ad bonum verum; quod non ſolum non repugnat, ſed eſt ipſius libertati neceſſarium.

2. Deinde vel anima appetit bonum verum, vel apparens; ſi primum, dici non poteſt ſe ipſam per ſe in hoc reddere perfectiorem neque in genere morali, quia abſolutus & phyſicus voluntatis actus a Deo genitus ex ipſius intentione ad bonum verum dirigitur, & voluntas tunc non ſinit niſi ſe abripi a divina motione, ut §. 138. explicavimus. Sin autem ſecundum, voluntas quidem actum in ſe ipſa a Deo genitum illo dirigit, id quod omnes catholici aſſentiri debent; ſed hoc pacto tantum abeſt, ut ſe in genere morali perfectiorem reddat, ut potius ſe in eodem imperfectiorem efficiat, eo quod a bono deflectit & in verum malum tendit.

§. 145. Objectio

In hoc Syſtemate Deus cœco modo excitaret animam ad volendum, inſcius in quam partem ſe illa inclinatura ſit, & ſervata hominis libertate Deus abſolutum in noſtram voluntatem dominium non haberet, nec poſſet inclinare cor noſtrum, quocumque vellet, quorum utrumque repugnat rationi naturali, & Sacris Libris; ſed ſequenti Articulo ſatisfit his objectionibus.

ARTICULUS IV.

De cognitione futurorum liberorum tum abſolutorum, tum conditionatorum.

§. 146. Definitiones

Futura abſoluta ſunt illa, quæ certiſſime in rerum natura aliquando erunt; uti ab æterno hujus mundi productio erat futura; item peccatum Adæ erat futurum liberum abſolutum: futura conditionata ſunt ea, quæ eſſent in mundo futura, ſi talis poneretur conditio; quia vero conditio numquam ponetur, iccirco nec abſolute futura ſunt; hoc modo ab æterno conditionate futurus erat ſtatus hominum, ſi Adam non peccaſſet, & ſi manſiſſet in originali juſtitia.

Ita Chriſtus apud S. Lucam cap. 10. ver. 13. vidit futuram Thyrio-

Digitized by Google

riorum, & Sydonitarum converſionem, ſi in iis urbibus facta fuiſſent prodigia, quæ in Corozaim facta ſunt; inquit enim: *væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent*. Hic ſuſcipimus explicandum, quomodo prævideat hæc duo genera futurorum.

§. 147. Syſtema

Thomiſtæ ſecundum ſuum Syſtema explicant facile rationem, & medium, quo Deus prævidet libera abſoluta, nimirum per ipſos Deus prævidet futura neceſſaria, & libera in eodem medio, nimirum in decreto abſoluto efficaci ſuæ voluntatis, quo independenter a quolibet voluntatis conſenſu ſtabilivit in his, vel illis circumſtantiis prædeterminare voluntatem ad actum bonum; in his, vel illis circumſtantiis ad poſitivum actus mali §. Sed cum nos oſtenderimus hanc ab interno efficacem prædeterminationem ad unum in individuo cum libertate non poſſe conciliari, ideoque nec eſſe decretum abſolutum Dei illam in anima producendi; hinc Deus in hoc medio, ſive abſoluto, & efficaci decreto, quod non eſt, futura libera non vidit.

§. 148. Syſtema Noſtrum

Cum futura nil ſint in ſeipſis, non poſſunt ipſa in ſe prævideri, ſed tantum in cauſſis ſuis, quæ actu ſunt, & actu illorum rationem ſufficientem contineant, ut ſupra explicavi §. 118.

2. Quo poſito, adverto, quamvis anima, utpote libera, poſſit ex iis, quorum unum apparet ſub ſpecie boni majoris, alterum ſub ſpecie minoris, alterutrum eligere, re tamen vera ſemper infallibiliter appetere id quod apparet ſub ſpecie majoris, numquam vero quod apparet ſub ſpecie minoris boni; ſive univerſe appetere id in quo eſt major ratio cur eligatur. Hoc enim poſito facile intelligitur quomodo Deus omnes futuras animæ actiones liberas certo prævideat; eo ſublato nulla ratione id eſſe poteſt. Nam quod attinet ad primum, conſideremus primam liberam Adæ actionem. Deus in ſuo decreto abſoluto dandi Adamo talem erga bonum in genere appetitum, & illum ponendi in talibus circumſtantiis, ut aliquid ſub ſpecie majoris boni eidem appareret, & in perfecta cognitione naturæ Adami ſive hominis, qui ſemper ſe infallibiliter, licet libere, dirigit ad id quod apparet ſub ſpecie majoris boni, aut quod univerſe habet majorem rationem cur eligatur, infallibili ſcientia prævidere poteſt primam ejuſdem liberam appetitionem, & ope ejuſdem decreti & ejuſdem cognitionis, addita etiam cogni-

tio-

tione propenſionis, quam prima appetitio in anima relinquit, prævidere poteſt ſecundam, & ſimili ratione tertiam & quartam & omnes alias Adami actiones, uti & aliorum hominum.

3. At ſi voluntas eligeret etiam id quod apparet ſub ſpecie minoris boni, vel alterutrum ex duobus, quæ prorſus ut æqualiter bona apparerent, ſive univerſe eamdem haberent rationem ſufficientem, cur eligantur; tunc Deus nullo pacto poſſet actiones futuras prævidere, nec in ſe ipſis, quia nondum ſunt, nec in ſua cauſſa; quia cum hæc partim ſit vis animæ a Deo impreſſa, in bonum in genere, partim objectum appetendum, nec in vi, utpote indifferenti ad alterutrum ex duobus bonis, infallibiliter videre poteſt effectum, qui in hac vi non continetur; nec in objecto appetendo, eo quod cum appareat aut ſub ſpecie minoris boni, aut ſub ſpecie æqualis, non poteſt inducere in cognitionem majoris animæ propenſionis erga illud.

§. 149. Corollarium

Ex quibus apparet rationem & cauſſam ſufficientem liberæ appetitionis animæ poſitam eſſe in duobus, in vi a Deo in anima creata tendendi in bonum in genere, & in objecto appetendo, quod ſub ſpecie majoris boni apparere debet, vel univerſe habere debet majorem rationem cur eligatur. His duobus anima inſtructa, ſcilicet cognitione boni & rationis majoris in alterutro ex objectis propoſitis, & vi tendendi in bonum univerſe, ſe libere quidem, ſed infallibiliter dirigit in illud quod ſub ſpecie boni majoris, aut majorem habentis rationem cur eligatur, apparet.

§. 150. Objectio

Si Deus non præmoveret & dirigeret voluntatem ad hoc potius particulare bonum quam ad aliud, atque ideo non feciſſet ab æterno decretum dirigendi, non poſſet prævidere futuras liberas animæ appetitiones; atqui prævidet, quia Deus omnia poſſibilia cognoſcit. Ergo Deus præmovet & dirigit voluntatem ad hoc potius particulare bonum, quam ad aliud, & in decreto præmovendi & dirigendi prævidet futuros liberos animæ actus. Prob. maj. Res futuræ liberæ nondum exſiſtentes prævideri poſſunt ſolum in ſuis cauſſis jam determinatis ad illas efficiendas §. 148.; atqui ſolum decretum abſolutum divinæ voluntatis poteſt eſſe cauſſa ab æterno determinata ad res futuras etiam liberas efficiendas. Ergo &c.

§. 151. Reſponſio

Diſt. min. Solum decretum abſolutum dandi animæ vim ad bonum in genere, & ponendi illam in talibus circumſtantiis ut aliquod

quod ex pluribus appareat ſub ſpecie majoris boni co. ſolum decretum dirigendi efficaciter animam ad hoc potius particulare bonum ne. In hoc mihi convenit cum Thomiſtis, quod Deus in ſolo abſoluto ſuæ voluntatis decreto res futuras etiam liberas prævidere poteſt ob rationes ſupra expoſitas; ſed quemadmodum ii volunt ad hoc ut anima aliquid determinate appetat, neceſſarium eſſe ut Deus illam præmoveat & dirigat ad illud determinatum objectum; ego autem ſatis eſſe puto ut impellat ad bonum in genere, & præterea ponat in talibus circumſtantiis ut illud idem particulare bonum ſub ſpecie majoris appareat: ſic iidem contendunt eſſe neceſſarium ut faciat abſolutum decretum dirigendi efficaciter animam ad tale bonum, & in eo futurum liberum animæ actum prænoſcat; ego ſatis eſſe contendo, ut formet decretum pariter abſolutum movendi animam ad bonum in genere, & eam in dictis circumſtantiis ponendi, & in eodem futuram ejuſdem liberam appetitionem prænoſcat.

§. 152. Inſtantia

Atqui Deus non prævidet futuros liberos animæ actus in decreto dandi vim tendendi in bonum univerſe, & ponendi illam in dictis circumſtantiis. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Anima noſtra poſita in æquilibrio, ideſt inter duo, in quibus ſunt omnia æqualia, eligit unum ex iis duobus. Ergo &c. Prob. ant. Ante mulierem ponantur duæ gemmæ æqualis prorſus valoris, æquales, & ſimiles, & in æqualibus diſtantiis, cum optione eligendi utram velit; hæc ſine ulla difficultate alterutram eliget. Atqui tunc non eſt major ratio boni pro altera ex iis gemmis. Ergo &c.

§. 153. Reſponſio

Diſt. min. non eſt valde major ratio boni pro altera ex iis gemmis co. non eſt ſaltem aliquantiſper major ne. Miror aliquos Recentiores putare tamquam rem exploratam intimo ſenſu dari in rationibus animam moventibus ad aliquod ex pluribus eligendum perfectum æquilibrium, & in perfecto æquilibrio animam ſeligere, cum caſus æquilibrii, qui unicus eſt, præ caſibus non æquilibrii, qui innumeri ſunt, valde magis difficile ſit ut eveniat, quam ut ex urna in qua ſint milliones calculorum nigrorum, & unus ſolum albus, extrahatur ille unus calculus albus: præſertim in anima, in qua tot ſunt tam externa quam interna quæ illam determinant ad ſeligendum. In allato gemmarum exemplo & in aliis ſimilibus concedo non eſſe valde majorem rationem pro alterutra gemma: ſed poſſunt ne Adverſarii oſtendere non eſſe neque exi-

guam

Digitized by Google

guam aut externam, aut internam, aut hanc aliquanto majorem non ſufficere ad voluntatem determinandam? Nec enim expecto dum ajant parvum momentum non eſſe idoneum ad animam dirigendam: ſiquidem ubi anima jam impulſa reperitur ad aliquam ex duabus eligendam ob rationem boni quam in gemmis cognoſcit, ſatis eſt parvum momentum ad eam in alterutram partem dirigendam; quod parvum momentum a Deo cognoſcetur, & illum in certam futuræ electionis cognitionem deducet.

§. 153. Inſtantia

Atqui anima eligit quædam ex pluribus ſine ulla bonitatis vel tantiſper majoris pro aliqua parte ratione, ut movet brachium verſus dexteram, aut lævam. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. In movendo brachio verſus dexteram, aut verſus ſiniſtram multoties nullam offendit rationem boni in alterutra plaga, ſed indifferenter ſe habet erga utramque. Ergo nec majoris, nec minoris boni rationem in alterutra plaga cognoſcit.

§. 154. Reſponſio

Diſt. ant. nullam offendit rationem boni in alterutra plaga, ſi plaga ipſa per ſe conſideretur co. ſi conſideretur cum omnibus diſpoſitionibus in quibus anima reperitur ne. Nam plura eſſe poſſunt in anima, quæ ipſam magis determinent ad dexteram ex. g. quam ad ſiniſtram, ex. g. habitus acquiſitus movendi brachium eam verſus plagam, fortuita & involuntaria defixio mentis in conſideranda dextera, ex quo fit ut eadem fortius animam pulſet, & eidem tamquam eligendam ſe repræſentet, aliaque hujuſmodi innumerabilia, quæ Deo perſpecta ſunt. Quamobrem ex intimo ſenſu nihil colligi poteſt quod ſententiam evertat.

ARTICULUS V.

An propoſitiones de futuro contingenti libero ſint determinate veræ aut falſæ.

§. 155. Propoſitio

IN Logica ſtatuimus omnes propoſitiones eſſe aut determinate veras aut determinate falſas; ab harum numero non ſunt excipiendæ neque propoſitiones de futuro contingenti libero, quales ſunt *Antichriſtus peccabit*, *Antichriſtus non peccabit*, quia illarum objectum ſive peccatum jam determinatum eſt in mente Dei, & in ipſius decreto dandi Antichriſto vim tendendi in bonum in gene-

nere, & ponendi illum in talibus circumſtantiis, ut peccatum ſit illi appariturum ſub ſpecie boni majoris, ex quo decreto infallibiliter, licet libere, peccatum ſecuturum eſſe Deus ab æterno prænovit.

§. 156. Corollarium

Ex quibus apparet illarum objectum eſſe omnino determinatum non in cauſſa proxima, ſcilicet voluntate hominis, quæ nondum eſt, ſed in voluntate Dei quæ ab æterno fuit.

§. 157. Objectio

Si Deus ab æterno omnes animarum actiones & appetitiones prævidiſſet, illæ appetitiones non forent liberæ, ſed neceſſariæ; atqui falſum conſequens. Ergo & antecedens.

§. 158. Reſponſio

Diſt. maj. Si Deus omnes animarum appetitiones prævidiſſet in decreto abſoluto dandi vim ex natura ſua efficientem tales appetitiones & ad illas determinatam co. ſi in decreto dandi vim indifferentem ad plura, & ponendi animas in talibus circumſtantiis, in quibus aliqua pars majorem habeat rationem cur appetatur ne. Præviſio ipſa per ſe non efficit futuram actionem nec neceſſariam, nec liberam; idque pendet a cauſſa in qua prævidetur, quæ ſi illam actionem neceſſario effectura ſit, neceſſitatem in eadem inducit; ſi libere, nullam inducit antecedentem neceſſitatem. Ut ſi Paulus mihi ſignificet ſe cras urbe egreſſurum, ego in voluntate Petri prævideo ejuſdem ex urbe egreſſum ſine ulla neceſſitate, quia Petri voluntas, in qua tamquam in cauſſa id prævideo, ſe ad egreſſum libere determinavit. At ſi Princeps mihi dicat ſe cras vi compulſurum Petrum ut urbe egrediatur, in voluntate Principis tamquam in cauſſa prænoſco eumdem Petri egreſſum ſed neceſſario, quia voluntas Principis illum neceſſario ratione habita Petri effectura eſt. Idem in Deo contingit; ſi Deus prævideret futuras appetitiones in decreto abſoluto dandi vim ex natura ſua efficientem eaſdem, illæ eſſent neceſſario futuræ, quia talis determinatio voluntatis liberam electionem tollit, ut ſupra confecimus §. 147. & ſeq. ſi prævideret in iis duobus, quæ diximus, certo quidem prævideret ob rationes paulo ante allatas & §. *61*. Pſych. ſed nihilominus appetitiones liberæ manerent, eo quod nec vis a Deo genita in animabus illas ad unum neceſſario determinat, nec illa major ratio pro una parte neceſſitatem inducit. Ergo etſi Deus hoc pacto prævideat, actiones animæ liberæ manent.

§. 159. Inſtantia

Atqui quocumque modo Deus appetitiones animæ prævideret, ex-

eædem non eſſent liberæ. Ergo nulla diſt. Prob. min. ſub. Si appetitiones futuræ eſſent liberæ, poſſet Deus falli in ſua divina prævisione; atqui Deus in ſua divina prævisione falli nequit. Ergo &c. Prob. maj. Si forent liberæ, poſſent eſſe futuræ & non eſſe; atqui ſi poſſent eſſe futuræ, & non eſſe, Deus poſſet fallli in ſua divina præſcientia, qua illas tamquam futuras prævidet. Ergo &c. Prob. min. Si non eſſent futuræ, reipſa falleretur Deus in ſua divina prævisione. Ergo ſi poſſent non eſſe futuræ, poſſet Deus falli in eadem prævisione.

§. 160. Reſponſio

Diſt. ant. Si poſſent eſſe non futuræ in ſenſu composito cum divina prævisione, poſſet Deus falli co. ſi poſſunt eſſe non futuræ in ſenſu diviſo ne. Vel conſideramus futuras animæ appetitiones ſimul cum divina prævisione, vel eas mente ſejungimus ab eadem. Si primum, fieri non poteſt ut ſimul Deus prævideat actiones futuras, & hæ nequaquam futuræ ſint. Quare ſi Deus prævidet appetitiones futuras, hæ neceſſario futuræ ſunt, ſed non neceſſitate antecedenti, quæ oritur a cauſſa, quæ neceſſario gignat actiones futuras tamquam effectum; eo quod prævisio Dei appetitiones animæ saltem, quod attinet ad directionem, non gignit, ſed neceſſitate ſolum conſequente & concomitante, quæ libertatem non tollit, quemadmodum ſi ego viderem Petrum ſedentem, & non fallerer, Petrus ſederet quidem neceſſario, ſed non ea neceſſitate antecedente & orta a cauſſa, quia mea viſio non facit ut Petrus ſedeat; ſed ſolum conſequente & illationis, eo quod alterum ex altero inferri poteſt; & poſito quod ego non fallar in mea viſione, perinde eſt ac ſi dicerem; ſi Petrus ſedet, neceſſario ſedet, proptereaquod eodem tempore non poteſt ſedere & non ſedere. Quemadmodum vero, non conſiderata mea viſione Petri ſedentis, fieri poteſt ut Petrus non ſedeat; ſic, non conſiderata prævisione Dei, fieri poteſt, ut animæ appetitiones futuræ non ſint.

§. 161. Inſtantia

Fruſtraneum eſt mentis cogitatione ſejungere futuras appetitiones a divina prævisione. Ergo nulla diſtinctio. Prob. ant. Appetitiones revera conjunctæ ſunt cum divina prævisione, & ſine illa eſſe non queunt. Ergo &c.

§. 162. Reſponſio

Diſt. conſ. Fruſtraneum eſt mente ſejungere futuras appetitiones a divina prævisione, ſi hæc foret cauſſa appetitionis tum quod attinet ad actum abſolutum, tum quod ad relativum, ſive ad dire-

Digitized by Google

ctionem eo.; ſi non foret ne. Si ſimul hæc duo obtinerent, quod prævisio eſſet cauſſa futuræ appetitionis, & quod poſita prævisione neceſſario futura foret appetitio, tunc concederem ad finem conciliandæ libertatis cum divina præſcientia, nihil prodeſſe mentis cogitatione ſejungere appetitionem a prævisione, eoquod effectus a cauſſa efficiente ſejungi non poteſt, cum ab illa habeat, quod in ſe eſt. Hac de cauſſa §. 127. contra Thomiſtas docui nihil juvare hanc mentis ſejunctionem in præmotionis negotio, eoquod præmotio eſt cauſſa appetitionis in eorum ſententia. At ſi prævisio non ſit cauſſa futuræ appetitionis ſaltem quod attinet ad directionem, quid ni poſſumus illam ab appetitione ſejungere, quemadmodum meam viſionem a ſeſſione Petri ſejungo? Ergo hæc ſejunctio per mentem ſatis eſt ſervandæ libertati appetitionis futuræ.

ARTICULUS VI.

Solvuntur quædam difficultates adverſus hominis libertatem.

§. 163. Animadverſio & Objectio

IN Pſychologia §. 60. polliciti ſumus nos hanc de humana libertate quæſtionem enucleatius tractaturos. Jam vidimus paulo ante quomodo humanarum actionum libertas cum divina eaque infallibili earumdem prævisione concilietur, ut neceſſe non ſit ad libertatem ſartatectam ſervandam negare divinam liberorum prævisionem cum aliquibus mente captis, qui ut leviorem repellant, majorem plagam accipiunt, ponendo novas in Deo cognitiones, ſimul ac futura libera præſentia fiunt, atque idcirco veras interiores in eodem mutationes, quas a perfectiſſima divina natura quammaxime abhorrere jam oſtendimus §. 21. Nunc alias difficultates proponimus, ut diluamus.

2. Nulla ratione ſuadetur animam eſſe liberam. Ergo anima libera non eſt. Prob. ant. ſiquæ ratio id ſuaderet, illa maxime foret quæ ab experientia ducitur atque ab intimo ſenſu, quo quiſque noſcit ſe pro libito ex pluribus poſſe aliquid eligere, immo ab omnibus abſtinere §. 55. Pſych. Atqui ratio ducta ab experientia nullius eſt roboris, etiamſi cum divina bonitate jungatur §. 57. Pſych. Ergo &c. Prob. min. Quin Deus deſinat eſſe bonus & ideo nos decipiat, poteſt anima intimo ſenſu experiri ſe eſſe liberam, etiamſi libera non ſit. Ergo &c. Prob. min. anima intimo ſenſu credit & experitur in ſomnis ſe eſſe liberam, quamvis libera non ſit, nec

ta-

tamen dicendum eſt Deum tunc eam decipere, & ideo non eſſe ſumme bonum. Ergo &c.

§. 164. Reſponſio

Diſt. ant. nec tamen dicendum eſt Deum tunc decipere animam, eo quod medium providit quo ſuum errorem cognoſceret co. ſi non providiſſet ne. Inter ſtatum vigiliæ & ſtatum ſomni eſt diſcrimen, quia licet quædam tamquam certo exſiſtentia & præſentia in ſomno menti appareant, tamen iis claris ſomni ſenſationibus Deus animam non decipit, quia providit remedium, quo anima ſuum errorem cognoſceret, & ſenſationibus atque intimo ſenſui tunc excitatis non fideret, ſtatum ſcilicet vigiliæ, in quo anima ſomni errores diſcutere poteſt. At ſi non exſiſtit, quod ſenſibus & intimo ſenſu a Deo excitatis in vigilia experimur tamquam exſiſtens, in præſenti vita nullum eſt aliud remedium, nullus alius clarior vigilia ſtatus, in quo ſuum errorem deprehendere queat. Quare ne in has compellamur anguſtias quod Deus nos perpetuo in hac vita decipiat, & ideo non ſit ſumme bonus, dicendum eſt intimo ſenſu & experientia, quam quiſque habet de ſua libertate, certo certius eamdem conſtare.

2. Et revera quid amplius facere poterat Deus, ut homini perſuaderet ſe eſſe liberum? Talem dedit facultatem, ut ſi quis apud ſemetipſum ajat, volo experiri an ſim liber, & facere id omne quod placet ex pluribus, quæ non multum habent momenti, illa omnia perficere poſſit, ut manum ſemel, ter, quater, attollere, pedem, quoties vult, elevare, & alia ſimilia præſtare. Neque dicant Spinoſa, Collinius, Helvetius aliique libertatis hoſtes eſſe latentes in rerum natura cauſſas, quæ ad hæc omnia præſtanda neceſſario nos pellant. Nam ſi res ita ſe habet, ſunt jam in promtu cauſſæ quæ me ad manum paulo poſt aut attollendam, aut ſecus determinabunt; alterutrum enim ex contradictoriis neceſſario futurum eſt. Quo poſito optionem do adverſario meam neganti libertatem, ut eligat utrum velit ex hiſce duobus. Si ajat me eſſe manum elevaturum, hac ſponſione laceſſo: ſi manum elevaro, mille nummos aureos eidem dependam; ſi non elevaro, is mihi unum tantum dependet. Si vero neget me eſſe elevaturum; hanc alteram facio ſponſionem: ſi non elevaro, eidem mille ſolvam; ſi elevaro, unum is mihi ſolvet. Cum alterutrum neceſſarium ſit, & in ſententia adverſarii latentes cauſſas ipſum neceſſario efficientes habeat, nec in mei poteſtate arbitrii poſitum ſit, ut manum aut elevem, aut ſecus, hæc ſponſio mille contra unum adverſario valde utilis

 erit,

erit, qui cum in eadem, atque ego, ignoratione cauſſarum, quæ alterutrum neceſſario effecturæ ſunt, verſetur, eſt in valde diſparibus ſpe lucrandi mille, & metu amittendi unum. Verumtamen nec is, nec alius quiſpiam ſanæ mentis hanc conditionem accipiet, & ſi accipiat, ſuo damno confirmabit meam libertatem eligendi partem, quæ ipſi contraria ſit. Quod argumentum proponitur a Buffierio *Traité des Primieres Veritez* tom. 2. cap. 3. num. 419.

§. 165. Inſtantia

Atqui licet intimo ſenſu libertatem experiamur, tamen nos Deus non decipit. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Deus nos non decipit, ſi providit medium, quo poſſimus hunc errorem depellere; atqui Deus hoc medium providit. Ergo &c. Prob. min. Ratione, quam Deus dedit, cognoſcere poſſumus nos non eſſe liberos. Ergo &c. Prob. ant. Ratio docet nos a Deo neceſſario præmoveri & compelli non ſolum ad actum abſolutum, verum etiam ad relativum & ad directionem ejuſdem in hoc potius quam in aliud. Ergo &c. Prob. ant. Non ſolum actus abſolutus, ſed etiam relativus, ſive ipſius directio eſt ens; atqui ſolus Deus creare & conſervare poteſt entia, non autem res creata poteſt id facere. Ergo &c.

§. 166. Reſponſio

Diſt. maj. Etiam actus relativus & ejus directio eſt ens relativum co. abſolutum ne. & diſt. min. ſolus Deus creare & conſervare poteſt entia abſoluta co. relativa ne. Nam ut docui §. 39. Ont. ſola abſoluta, cujuſmodi ſunt ſubſtantiæ & vires ipſarum, a Deo proxime creari poſſunt, conſervari, corrumpi, & variari. Relativa autem ſive relationes inter unam & aliam ex rebus creatis, non proxime a Deo procedere poſſunt, ſed ſolum exſiſtunt ex rebus creatis. Quo conſtituto vel abſoluta vis eſt determinata ad unum tantum, uti eſt vis motrix in corporibus, quæ movet corpus per unam tantum lineam & verſus unum tantum punctum atque determinata velocitate; & in hoc eventu Deus creans hujuſmodi vim neceſſario gignit etiam determinatum motum non proxime, ſed remote: vel eſt determinata quidem ad objectum in genere, ſed eſt indifferens ad hoc, vel illud in ſpecie quod ſub eo genere continetur, uti eſt vis qua anima impellitur ad bonum in genere appetendum, ſed eſt indifferens ut anima utatur ea vi ad hoc potius, quam ad aliud ex duobus, quæ ſub ſpecie boni apparent, & ideo ſub genere boni continentur; & in hoc altero eventu Deus neceſſario quidem creat & efficit atque conſervat hanc vim & appetitum erga bonum in genere, adeout voluntas nequeat

aut

Digitized by Google

aut illum actum ſuſpendere, aut malum, qua malum, appetere; ſed non efficit neceſſario neque remote illius appetitus directionem in hoc potius, quam in aliud ex duobus bonis quæ ipſi proponuntur, verum hæc directio ab ejuſdem animæ pendet arbitrio, quin tamen anima debeat aliquod abſolutum ens in ſemetipſa creare & conſervare. Id vero ſatis eſt ad animæ libertatem, quæ poſita eſt in directione appetitus a Deo creati in hoc potius bonum quam in aliud ex pluribus, quæ ipſi propoſita fuerint.

§. 167. Inſtantia

Atqui vis tendendi in bonum a Deo creata & conſervata debet eſſe ad unum tantum determinata. Ergo &c. Prob. min. ſub. Vis quæ ad unum ex pluribus non foret determinata, eſſet adhuc indifferens; atqui vis adhuc indifferens non poteſt eſſe vis idonea ad mutationem gignendam. Ergo &c. Prob. min. Vis idonea ad mutationem gignendam eſt ultima ratio mutationis, qua poſita ſtatim ſequitur mutatio, quin aliquo alio ſit opus §. 35. Ont. atqui vis adhuc indifferens ad plura non eſt ultima ratio mutationis, qua poſita ſtatim ſequatur mutatio abſque alio, ſed opus eſt aliquo alio, a quo determinetur ad unum. Ergo &c.

§. 168. Reſponſio

Diſt. min. vis prorſus indifferens non eſt ultima ratio mutationis co. vis partim determinata, partim indifferens ſub. non eſt ultima ratio mutationis illius, quæ reſpondet vi ex ea parte qua eſt indifferens co., ex ea parte qua eſt determinata, neg. Nam vis appetendi bonum in genere a Deo in anima creata eſt ita determinata ad efficiendum in anima appetitum erga bonum in genere, ut anima non ſolum nequeat appetere contrarium, ideſt malum qua malum, ſed neque poſſit hunc appetitum ſuſtinere & neceſſario illum elicere debeat. Verum eſt adhuc indifferens ut hic appetitus ab ea genitus ab anima dirigi poſſit ad hoc potius bonum quam ad aliud ex duobus, aut pluribus quæ proponuntur. Quare vel anima dirigit hunc appetitum ad aliquod ex pluribus particulare bonum, vel non; ſi minus, non ideo tamen vis a Deo creata fruſtratur ſua mutatione, quæ illi quatenus determinatæ reſpondet, ideſt appetitu in bonum in genere, ſed tunc anima ſolum bonum in genere appetit. Si vero dirigat, tunc illa vis fit determinata etiam quod attinet ad particularia bona. Sed hujus determinationis ultima cauſſa non eſt ſola vis a Deo genita, ſed etiam ipſa voluntas hac vi adjuta. Quare vis in bonum a Deo genita eſt ultima ratio appetitus animæ erga bonum in genere, quem ſemper & neceſ-

Digitized by Google

ceſſario gignit; vis autem a Deo genita & ſimul hominis voluntas ſunt ultima ratio etiam directionis appetitus ad aliquod particulare bonum ex pluribus quæ proponuntur; uti motus navis erga occaſum ultima ratio eſt vis venti eodem verſus, qua poſita neceſſario ſequitur illius motus illorſum, etiamſi nullus foret nauclerus, qui eam dirigeret; directionis autem erga hoc potius punctum, quam verſus aliud, ultima ratio eſt partim vis venti, ſine quo nauclerus eam movere non poſſet §. 133., partim vis manus naucleri.

§. 169. Inſtantia

Atqui nec poteſt anima appetere ſolum bonum in genere, atque idcirco vis a Deo genita non erit ultima hujus appetitus ratio, nec anima poteſt libere hunc appetitum in aliquod particulare bonum dirigere. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. Nec poteſt eſſe aliquis actus ex parte indeterminatus, quia quidquid exſiſtit omnino determinatum eſt §. 111. Log. nec poteſt anima dirigere hunc appetitum ad aliquod particulare bonum ſine alia vi a Deo genita, quæ ob rationes ſupra allatas eamdem directionem neceſſario efficeret. Ergo &c.

§. 170. Reſponſio

Diſt. primam partem antecedentis. Quidquid exſiſtit extra animam, eſt omnino determinatum co. quidquid in anima ſub. eſt omnino determinatum ex parte ſubjecti, in quo ineſt co. ex parte objecti aut cogniti aut appetiti ne. Nam ut oſtendi in Logica §. 112. quamvis animæ actus ſint per ſe & ex parte ſubjecti omnino determinati, ut quæcumque aliæ res exſiſtentes, poſſunt tamen eſſe indeterminati ex parte objecti, ſive rei quæ in anima repræſentatur; quatenus anima non cognoſcit, nec conſiderat omnes differentias & determinationes quæ in re ſunt. Si vero non conſiderat omnia, quæ inſunt, poteſt etiam appetere objectum ex parte indeterminatum, quia appetitus cognitionem ſequitur. Quare non repugnat, ut in genere id quod ſui bonum eſt, appetat, quin hunc actum dirigat ad aliquod particulare bonum.

2. Alteram partem ſic diſtinguo. Non poteſt anima hunc dirigere appetitum ad aliquod particulare bonum ſine alia vi a Deo genita, ſi facultas ſeſe dirigendi non foret cum ipſius natura & eſſentia neceſſario conjuncta co. ſi foret ne. Nam ſicut talis eſt Dei natura, ut per vim creandi & conſervandi ſubſtantias & accidentia ipſi eſſentialem Deus poſſit eam ad hæc potius quam ad alia creanda dirigere §. 84.; ita ſubſtantiam intelligentem ſibi ſimilem

Digitized by Google

lem talis naturæ fecit, ut anima vim tendendi in bonum in genere in ipſa creatam atque idcirco accidentalem poſſet in hoc potius particulare bonum, quam in aliud quodcumque dirigere. In quo non video quid ſit repugnantis.

§. 171. Inſtantia

Immo eſt maximum abſurdum, ut quod eſt indifferens ad plura bona, ſe ipſum ad unum determinet. Ergo &c. Prob. ant. Nemo ſibi dare poteſt, quod non habet; atqui ſi quod eſt indifferens ad plura bona, ſe ipſum determinaret ad unum, ſibi daret eam determinationem quam non habebat. Ergo &c.

§. 172. Reſponſio

Diſt. maj. Nemo ſibi dare poteſt abſolutum quod non habet co. relativum ne. atqui ſi quod eſt indifferens ad plura bona, ſe ipſum determinaret ad unum, ſibi daret relativum quod non habet co. abſolutum ne. Præter ſolutionem, quam dedi §.140. & ſeq. hanc alteram hic addo. Vel qui hoc objiciunt argumentum, concedunt divinam libertatem, vel inficiantur. Primis ſic occurro; Deus eſt quidem omnino deteterminatus, ut actus purus, intrinſecus §.21. & ſeq. eſt tamen extrinſecus indifferens ad hunc potius mundum, quam ad alium creandum; & nihilominus potentiam habuit ad ſe extrinſecus determinandum ad creationem potius hujus mundi, quam ad alterius. Ergo a pari quamvis anima ſit indifferens ad plura particularia bona, tamen quia vim a Deo accepit determinatam ad bonum in genere, illam poteſt ad hoc potius particulare bonum quam ad aliud dirigere. Quare niſi velint tantum eſſe in hac ratione momenti, ut Dei quoque libertatem evertant, concedant oportet nullam in eadem eſſe vim ad labefactandam animæ libertatem: Ad quod animum advertere hortor Thomiſtas, qui ſuis adverſariis eam objiciunt. §.135. & ſeq.

2. Secundis autem hoc altero pacto. Nemo quidem ſibi dare poteſt aliquod abſolutum, quod antea non habebat, poteſt tamen ſibi dare relativum; ut corpus per ſolam vim motricem, quæ in ipſo ſit, novos ſemper ſitus atque aliorum corporum contactus acquirit. Hoc poſito, cum Deus ſe ab æterno ad creandum hunc mundum libere determinat, non acquirit in mundi creatione abſolutum aliquod, ſed ſolum novam relationem ad hunc mundum, quam ipſi non repugnare obſervavimus §.21. & ſeq. Ex quo fit ut in hac ratione petita a principio *nemo ſibi dare poteſt quod non habet*, nihil ſit contra divinam libertatem momenti. Simile contingit in anima, quæ ut vim a Deo acceptam & determinatam ad ſolum bonum in ge-

ne-

nere dirigat ad aliquod particulare bonum, non eſt neceſſe ut acquirat novum abſolutum ens, ſed ſatis eſt ut acquirat & ſibi det relativum, ideſt directionem actus appetitus erga bonum in genere a Deo geniti. Ergo pariter in eadem ratione nihil eſt, quod humanam libertatem evertat.

§. 173. Objectio II.

Una ex præcipuis rationibus quibus libertas ſuadetur, in eo poſita eſt, quod ſi homo non foret liber, ſed neceſſario operaretur, Deus eſſet auctor peccatorum, quæ ab hominibus perpetrantur, ut qui homines talis naturæ feciſſet, ut neceſſario peccarent; quod divinæ bonitati repugnat. Atqui in hac ratione nullum eſt momentum. Ergo &c. Prob. min. Etiamſi homines neceſſitate adigerentur ad operandum, Deus non foret auctor & cauſſa peccatorum. Ergo &c. Prob. ant. Si homines neceſſitate adigerentur ad operandum, nullum ab iis peccatum perpetraretur. Ergo &c. Prob. ant. Actio hominis ut ſit peccatum, debet eſſe libera; atqui tunc nulla foret libertas. Ergo &c.

§. 174. Reſponſio

Diſt. maj. Actio hominis ut ſit peccatum, debet eſſe libera aut in illa ſubſtantia quæ illam actionem ponit, aut in illa ſubſtantia, quæ eſt cauſſa effectrix, cur illam neceſſario ponat co. ſolum in ſubſtantia quæ illam gignit ſub. debet eſſe libera ut ſit peccatum ratione effectus, quem gignit ſcilicet vituperationis & pænæ co. ut ſit peccatum in ſe ne. Nam primo etſi prava hominis actio, ut foret odium Dei ſummi & perfectiſſimi boni, non foret libera in hominis voluntate, poſito quod homo neceſſario operaretur, tamen eſſet libera in Deo, qui potuiſſet hominem potius determinare ad bonum, quam ad malum, uti ad odium ſui. Quare ſi ad malum impelleret, Deus ipſe peccaret, uti homo, qui alium ad malam actionem perpetrandam contra ipſius voluntatem neceſſario cogeret. Illa vero actio, uti odium Dei, non deſineret eſſe peccatum in ſe & ratione ſui, quia ex. g. odio habere ſummum bonum ipſum in ſe, ita abhorret a recta ratione, ut impoſſibile ſit hunc animæ appetitum aliquando non abhorrere; at in homine, qui neceſſitate inevitabili ad Deum odio habendum cogeretur, non eſſet peccatum, quod effectus peccati liberi ſecum trahere debeat, ſcilicet vituperationem & pœnam.

§. 175. Inſtantia

Pravi appetitus neceſſario in anima excitati non dedecent Deum. Ergo &c. Prob. ant. In ſpiritibus æternæ pœnæ addictis ſunt hi pra-

vi

vi appetitus neceſſario exſiſtentes, ſcilicet obſtinata voluntas in malis in hac vita perpetratis. Ergo &c.

§. 176. Reſponſio

Diſt. In ſpiritibus æternæ pœnæ addictis ſunt hi pravi appetitus neceſſario, tamquam effectus pravorum appetituum, qui in hac vita libere eliciti ſunt co. aliter ne. Nam in hiſce ſpiritibus aliquando fuit libertas, qua cum peccatis libere admittendis abuſi fuerint, manet in ipſis obſtinata in iiſdem criminibus voluntas tamquam libertatis prave uſurpatæ effectus, qui certe Deum auctorem non habet, ſed humanam voluntatem, quæ depravare ſe ipſam poteſt, non autem corrigere ſine Dei gratia, quam ob libertatis abuſum Deus juſte negat. At ſi ab initio homo fuiſſet a Deo creatus ſine ulla libertate, pravorum appetituum ipſe ſolus auctor foret, qui hominem ita comparaſſet, ut neceſſario peccaret.

§. 177. Inſtantia

Atqui licet Deus hominem neceſſario operantem creaſſet, Deus peccati auctor non foret. Ergo &c. Prob. min. ſub. Dici poteſt etiam Deum neceſſario operari & velle quæcumque operatur & vult; atqui tunc nullum eſſet peccatum nec habita ratione Dei, quia liber non foret. Ergo &c.

§. 178. Reſponſio

Diſt. maj. Dici poteſt &c. ſine ratione co. cum ratione ne. Atqui tunc non eſſet peccatum in ſe & ratione ſui ne. ratione vituperationis & pœnæ co. Ex dictis §. 84. conſtat ſine ratione Deo libertatem negari; ex dictis §. 174. ſine libertate pravam actionem, uti odium Dei, eſſe malum in ſe & ratione ſui, ſed non ratione effectus, ſcilicet vituperationis & pœnæ, quam nec Deus ſi neceſſario operaretur, aliquando mereretur. At id maxime dedeceret ſummum & perfectiſſimum bonum, ut eſſet cauſſa neceſſaria actionum, quæ a recta ratione abhorrerent. Immo ex hoc ipſo tum libertas divina, tum humana invicte demonſtrantur; quod ni ita foret, ſummum bonum eſſet auctor & cauſſa malorum.

§. 179. Scholion VII.

Aliquis fortaſſe putabit me, repudiata Thomiſtarum ſententia, in exploſum a majori parte qua Philoſophorum, qua Theologorum Molinæ ſyſtema incidiſſe. Verum niſi mea me fallit opinio, arbitror expoſitum a me ſyſtema ex utroque eſſe coalitum, & ex altera parte accedere ad primum, ex altera vero ad ſecundum. Nam in qualibet animæ appetitione duo ſunt diſtinguenda, ipſemet appetendi actus abſolute conſideratus, quatenus eſt animæ motio & tendentia in aliquod bonum; & ipſius directio in bonum verum, aut in apparens, aut in unum potius bonum verum, quam in alterum, quæ eſt aliquod relati-

Digitized by Google

vum. Primum efficaciter a Deo fieri, & a vi tendendi in bonum univerſe, quam Deus in animis continuat, neceſſario pendere volo tum ob rationes hic allatas in ſolvendis Thomiſtarum objectis ex ratione primæ cauſſæ & ex neceſſitate divini concurſus petitis §. 104. 135. tum ob eas quas in Ontologia produxi, ductas partim ex eo quod res creatæ nihil veri entis abſoluti creare poſſunt §. 145. & ſeq. partim ex eo, quod vis ſine ſuo effectu eſſe non poteſt. In quo quantum mihi convenit cum D. Thomæ diſcipulis, tantum diſſentio a Molinæ aſtipulatoribus, qui volunt ipſummet abſolutum actum appetendi efficaciter a Deo non generari, ſed eſſe in animæ poteſtate illum eliciendi ex ſuo penu, vel ſecus. Alteram vero contendo efficaciter a Deo non fieri, ſed animæ naturam ita eſſe a Deo comparatam, ut vel eumdemmet ab ipſo genitum tendendi in bonum univerſe conatum in bonum apparens dirigere poſſit, qua divinæ voluntati cum conatum ad bonum verum, ſed non efficaciter, dirigenti reſiſtit, vel ſinere ſe ab eodem abripi in bonum verum, quorſum a Deo quoque dirigitur. In hac autem parte nemo non videt me diſſentire a primis, & cum ſecundis convenire, quin tamen ſequantur illa Molinianæ ſcholæ de ſcientia media, de conditionatis decretis deque aliis ſimilibus dogmata, ut in conſequentibus perſpicuum faciam.

2. Atque hæc eſt mei ſumma ſyſtematis, in quo mihi videor Thomiſtis dediſſe, quantum & ex ipſorum atque ex meis rationibus deducitur, & ſartatecta libertate concedi poterat. Ipſam enim voluntatis directionem in bonum apparens, ſive in *formalem*, ut ajunt, malitiam iidem non repetunt a divina præmotione, ſed ab ipſamet voluntate creata, quæ in eamdem ſe dirigit. Quod unum ſatis eſt ad meum ſyſtema, qui ſtatui §. 138. eum voluntas appetit bonum verum, hunc actum tum abſolute conſideratum, tum relate quatenus in bonum verum dirigitur, totum a Deo pendere, ſed quod pertinet ad directionem, libere, eo quod voluntas ſe tunc a divina motione prorſus abripi ſinit, cum poſſit ex parte eidem reſiſtere, & abſolutum actum a Deo efficaciter genitum in bonum apparens convertere.

3. At enim hoc ſyſtema uſui quidem eſſe poteſt in conciliando concurſus divini cum libertate actionum animæ naturalium neceſſitate, non autem cum libertate ſupernaturalium, eo quod eadem divina motio non poteſt eſſe talis naturæ, ut appetitum ab illa genitum voluntas in bonum vel verum, vel apparens dirigere queat. Siquidem motio ſupernaturalis, quæ dicitur Gratia divina præmovens, eſt cauſſa ſolum appetituum bonorum, quique ſolum ad bonum verum diriguntur. Sed ut mittam me hic non Theologum agere, ſed Philoſophum, qui ſatis ſuo fungitur munere, ſi naturalem ſubſtantiarum ſtatum ſibi explicandum ſuſcipiat, modo nihil excogitet, quod ſupernaturali earumdem ſtatui lumine fidei cognito adverſetur, ajo noſtram animam in ſtatu Gratiæ conſiderari oportere duabus excitam viribus atque motionibus, altera naturali, quæ gignit appetitum ita indifferentem, ut eum voluntas vel in bonum verum, vel in apparens dirigere poſſit; altera ſupernaturali, quæ tendit ad efficiendum actum appetitus altioris ordinis, quam ſint naturales, quique in ſolum bonum non tantum verum, ſed etiam ſupernaturale dirigi quit: eamdem vero, ſive obtemperet gratiæ & vi ſupernaturali, & ab ea in bonum verum & ſupernaturale dirigatur, ſive eidem reſiſtat, appetitum naturalem a prima genitum in bonum apparens dirigendo, eſſe liberam, eo quod eſt in ip-

ſius

Digitized by Google

ſius poteſtate uti utra velit, ſive quia poteſt vel ſinere ſe abripi a divina gratia in bonum verum & ſupernaturale, cum poſſit eidem reſiſtere dirigendo naturalem appetitum a vi naturali genitum in bonum apparens; vel eidem reſiſtere, ſi eumdem naturalem appetitum in bonum apparens revera dirigat. Ex quo intelligi poteſt qui conveniant & in una ſede morentur hæc duo, quæ cum conſtant ex pluribus S. S. L. L. & præſertim Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos, teſtimoniis, tum vero primo aſpectu inter ſe contraria eſſe videntur, quod ſcilicet actus boni & ſupernaturales, ſive quod attinet ad ſubſtantiam, ſive quod attinet ad directionem, toti ſunt a Deo, & nihilominus ab anima cum libertate indifferentiæ eliciuntur. Primum enim ex eo conſtat, quia efficiuntur a vi ſupernaturali, quæ non tendit niſi in bonum verum, atque idcirco non eſt ut naturalis, quæ vel in bonum verum, vel in apparens dirigi poteſt. Secundum autem, quia voluntas libere ſinit ſe abripi a ſupernaturali motione, cum naturali vi, quæ explicata ratione eſt indifferens, poſſit ſe in bonum apparens dirigere, & hoc pacto gratiæ reſiſtere.

4. Quiſpiam hic regerere poteſt, vel hæc ſupernaturalis vis neceſſario gignit aliquem appetitum in anima, antequam hæc aut ſinat ſe ab illa abripi, aut eidem vi naturali reſiſtat; vel nullum: ſi primum, tum ille appetitus non erit liber, eo quod omnem animæ electionem antevertit. Sin autem ſecundum, ruit noſtrum ſyſtema, qui volumus nullam vim ſine aliqua mutatione, quæ ipſi reſpondeat, poſſe in ſubſtantiis creatis reperiri §. 42. & 271. Ont. Verum facilis reſponſio eſt. Nam in voluntate ſunt actus perfecti appetendi, & ſunt imperfecti. Id jam vidimus in actibus, quibus aſſentimur vero, ut perfectioni noſtri intellectus §. 219. Log. Nam veritati evidenti, tamquam certo bono, plene & perfecte aſſentimur, veritati obſcuræ ſolum ex parte & imperfecte. Univerſe autem quiſque in ſua voluntate hos perfectos & plenos appetitus ab imperfectis & non plenis diſtinguit. Hoc poſito ajo vim ſupernaturalem ex noſtra doctrina neceſſario quidem generare aliquem in anima appetitum erga bonum verum & ſupernaturale, ut quiſque, tametſi in peccato obſtinatus, animadvertere poteſt, ſi ad ſe ipſum attendat, ſed non plenum & imperfectum taliſque naturæ, ut anima non plene & perfecte bono ſupernaturali aſſentiatur. Quod ſi anima ab hac prima vi atque primo eoque imperfecto appetitu in bonum ſupernaturale libere ſinat ſe abripi, perpetuam illam naturalem vim qua erga bonum in genere cietur, non dirigendo, ut poteſt, in bonum apparens; tunc Deus inceptum perficit opus, & majorem in anima creat ſupernaturalem vim, quæ perfectum & plenum animæ appetitum erga bonum verum & ſupernaturale ſecum trahit. Quæ & cum rebus lumine fidei revelatis & cum SS. Auguſtini diſcipulorum doctrina, & cum noſtro virium ſyſtemate mirifice congruunt.

5. Auctor eximii libri inſcripti *De l' action de Dieu ſur les creatures* a Paris 1713. tomo 4. ſect. VI. p. 1. cap. 1. ſuadere conatur, quod noſtro ſyſtemati maxime contrarium eſt, Deum non poſſe ſine decretis abſolutis & phyſica præmotione ab iis profecta, futuras cognoſcere voluntatis determinationes in rebus creatis, & præſertim in ipſamet voluntate. Duas in hanc rem profert rationes; quarum primam, ut minoris momenti, ſic breviter proponimus. Quoniam ſcientia, qua res neceſſario futuræ videntur in decreto abſoluto & prædeterminante, eſt nobilior ea, qua eædem videntur in rebus ipſis creatis, &

in ipſamet voluntate, quia primum medium eſt altero valde excellentius, abſurdum eſt has in Deo ponere ſcientias, nobiliorem alteram, alteram vero minus nobilem.

6. Secundam vero rationem valde majoris momenti propono ipſius verbis num. 2. ejuſdem capitis e gallico ſermone in latinum translatis. „ Fieri non poteſt ut Deus ope rerum creatarum cognoſcat futuras voluntatis determinationes. Quo Deus hac ratione eaſdem cognoſcat, opus fuiſſet ut ab æterno tempore voluntatem cognoſcens videret eam eſſe appetituram hanc rem potius, quam alteram, momentumque adjecturam, aut ſecus, verſatilibus & concomitantibus, auxiliis, & ut exemplum afferam magis ad rem, me volentem manum movere, determinaturum eſſe hunc motum potius verſus dexteram, quam verſus ſiniſtram, tametſi nulla ſit major ratio pro motu unam verſus plagam, quam alteram verſus.

Fieri nequaquam poteſt ut Deus hanc futuram prævideat determinationem in voluntate creata. Hæc enim prorſus æqualis eſt, ut ſe ad dexteram aut ad lævam inclinet; eadem eſt prorſus indifferens atque indeterminata verſus utramque partem. Jam vero in voluntate, quæ in utramque determinationem, ſive in motum brachii verſus dextram, aut ſiniſtram omnino æqualiter propendet, impoſſibile eſt videre & cognoſcere unam potius determinationem, ex. gr. motus verſus dexteram potius, quam verſus ſiniſtram.

Etenim in re cognoſci non poteſt quod in ea non eſt. Determinatio vero motus manus dexteram verſus potius, quam lævam, nullo pacto eſt in voluntate abſolute & perfecte æquali, quod pertinet ad motum aut dexteram verſus, aut lævam. Inde conſequitur, cujuſcumque ſit perfectionis ſcientia divina, & quocumque nomine non ſolum comprehenſionis, verum etiam ſupercomprehenſionis donetur, fieri nequaquam poſſe, ut medium, in quo Deus futuram cognoſcat voluntatis determinationem, ſit ipſa voluntas in ſemetipſa conſiderata. Ut Deus voluntatem hac ratione conſideratam perfectiſſime noſcit, ita maxime eam videt hujuſmodi qualis eſt, & ita minime in ea non videt quod in ea non eſt. Quod ni ita foret, divina cognitio aberraret a veritate. Manet ergo, quo Deus voluntatem perfectius cognoſcit, eo magis noſcere eamdem prorſus æqualem, quod attinet ad unam potius quam ad alteram futuram determinationem, & quoniam neutra ex hiſce determinationibus potius eſt in voluntate, quam altera, in ipſa voluntate nullam percipere futuram determinationem.

At enim ſi nos, quorum cognitio tam anguſtis limitibus circumſcripta eſt, aliquando conjectura aſſequimur, quid talis homo in tali circumſtantia facturus ſit; quidni Deus ob ſummæ ſuæ cognitionis perfectionem prævidere poterit id, ad quod voluntates creatæ ſe in poſterum determinabunt?

Advertatur noſtram cognitionem circa id, quod homines ſunt appetituri, aut ſecus, eſſe parum certam, & aliquando in errorem inducere; cognitionem autem divinam eſſe certam & infallibilem, quam dedecent dubia, opiniones, & conjecturæ. Jam vero pro fundamento certæ ſcientiæ medium certum eſt neceſſarium. Si enim aliquid noſcimus propter tale medium, certitudo cognitionis certitudini medii proportione reſpondebit ſecundum axioma *Propter quod unum quodque tale & illud magis*; quia effectus cauſſa major eſſe non poteſt. Voluntas autem humana pro certo medio haberi non poteſt ad eruendam

Digitized by Google

dam cognitionem ejus, quod voluntas appetet, aut ſecus, quod attinet ad electionem quæſiti motus.

Quod enim eſt certum, illud eſt ratum, determinatum & invariabile. Nihil vero minus ratum eſt ipſum per ſe, minuſque certum & conſtans eo, quod appetet Petri voluntas centum ab hinc annis in poſterum. Quo plus eam attentius conſidero, eo minus certo futurum intelligo, ut brachium moveat dextram verſus, quam lævam .....

Longius excurro & ajo eſse quaſdam futuras voluntatis determinationes, quas homines neque conjectura & opinione aſſequi poſſunt; ex. g. ſi quis cujuſdam finis aſſecutionem ſibi proponat, utrum ſit electurus medium ex duobus, quæ perfecte æqualia ipſi obiiciuntur, & ſi quis velit manum movere id tamquam finem ſibi proponens, utram in partem, an in lævam, an in dexteram motum ſelecturus ſit ....

Hoc poſito quæro qua conjectura Deus aſſequi poterit fore ut voluntas ſe determinet ad manum movendam potius dexteram verſus, quam ſiniſtram, quoniam in hac voluntate nulla eſt verſus unam partem, quam verſus alteram major propenſio, & hæ duo media omnino æqualia ſunt, eademque, ut prorſus æqualia, a voluntate habebuntur. Nullum eſt igitur majus aut minus momentum verſus alterutram partem, hujuſque habita ratione voluntatis quantum eſt rationis ut inde inferamus determinationem ejuſdem ad motum verſus dexteram, tantumdem eſt pariter, ut determinationem ad motum verſus lævam. Jam vero ſi ex utraque parte rationes ſunt prorſus æquales, temere faciet, qui alterutrum conjectura aſſequi ſe poſſe contendat. Quapropter ſuprema ratio, in qua nullum eſt vitium nulluſque defectus, nihil videt in hac voluntate, quod poſſit vel conjectando in cognitionem inducere futurum, ut hæc voluntas ſe ad unam potius actionem, quam ad alteram determinet „ Hactenus Auctor de ſecunda ratione.

7. Capite vero 3 ejuſdem ſectionis, in quo auctor ſibi oſtendendum propoſuit, Deum in ſua eſſentia non poſſe videre futuras liberas voluntatis actiones, hanc eamdem inculcat his verbis „ Impoſſibile eſt videre determinationem in voluntate indeterminata, atque prænoſcere talem potius eſſe futuram, quam alteram, in voluntate æquali prorſus quod attinet ad utrumque .... Pono Petri & Pauli voluntates eſſe prorſus æquales, & divinam eſſentiam eaſdem ſibi repræſentare tamquam iiſdem affectibus, iiſdem diſpoſitionibus, iiſdemque propenſionibus donatas, & præterea tamquam in iiſdem poſitas circumſtantiis velle utramque manum movere, & tandem omnia prorſus eſſe æqualia, quod attinet ad motum verſus dexteram, aut verſus ſiniſtram. Nihilotamen minus in hypotheſi hac perfectæ inter duas voluntates ſimilitudinis uſuveniet, ut altera ſe determinet ad motum dexteram verſus, altera ad motum verſus ſiniſtram. Id autem in dubium non eſt revocandum; eſt enim res non ſolum quæ poteſt eſſe, verum etiam quæ experientia confirmatur ....

Jam vero impoſſibile eſt Deum hanc in hiſce voluntatibus determinationum differentiam prænoſcere ope medii, quod eas exhibet ut prorſus æquales. Hæ autem duæ voluntates ſive in ſe ipſis cognoſcantur, ſive in eſſentia divina, tamquam perfecte æquales repræſentantur. Ergo impoſſibile eſt Deum hoc medio videre diſcrepantes earum futuras determinationes. Quod erat demonſtrandum „

8.

Digitized by Google

8. Cum vero capite quarto monſtraſſet Deum in decretis conditionatis & minime prædeterminantibus, & in concomitantibus ipſis per ſe non efficacibus auxiliis, quæ eorum virtute a Deo in tempore voluntati præbentur, non poſſe videre futuras animæ determinationes, ob evidentem & toties inculcatam rationem, quod hæc auxilia voluntatem nequaquam determinant, & idcirco rationem in ſe non continent determinationis ad alterutram partem, hæc adjungit numero quarto. „Quamquam autem huic divino concurſui certarum adjiciamus feriem circumſtantiarum, in quibus ſi voluntas humana collocetur, eique comes concurſus adjungatur, hoc vel illo modo operatura ſit; hoc tamen nihil plus facit ad rem, quam concurſus, nec eſt in eo quidpiam, in quo jactare ſe poſſint. Sint enim duo homines in iiſdem circumſtantiis. Idem ſibi proponunt in movenda manu; alter tamen protendet dexteram verſus, alter autem verſus ſiniſtram. Qui adminiculo circumſtantiarum, quæ ſunt prorſus æquales, Deus in altero videbit motum manus dexteram verſus, in altero lævam verſus? Quidquod in re cognoſci non poteſt quod in ea non eſt, nec in eo quod non eſt determinans, determinatio videri quit? Hæ autem cirrumſtantiæ nullo pacto ſunt hujuſmodi. Ne nobis ipſi fucum faciamus in harum circumſtantiarum cognoſcenda natura; aut illæ motionem aliquam faciunt in voluntate, & eam excitant ad hanc potius determinationem, quam ad aliam, aut ſecus. Si ſecundum, nihil ad voluntatis conferunt determinationem, nec uſui eſſe poſſunt, ut earum ope futuræ determinationes cognoſcantur.

Sin autem excitant ad ſe determinandam, & quaſdam in ea gignunt illecebras, vel hæ illecebræ ipſæ per ſe vim habent efficiendi, ut voluntas tali ratione ſe determinet, vel ſecus. Si etiam, jam non ſunt congruentes illecebræ, ſed id quod appellatur victrix & minime ſpontanea delectatio, & gratia per ſe efficax, de quo hic non diſputamus.

In ſyſtemate quod hic explodo, hæ illecebræ ipſæ per ſe vim non habent efficiendi, ut certo voluntas ſe determinet, eamque in ſuæ determinationis incerto relinquunt, & Deus non aliter videt hanc voluntatem ſe tali ratione determinaturam, niſi quia videt eamdem effecturam, ut has illecebras effectus revera conſequatur. Ergo in hiſce illecebris Deus non videt futurum, ut voluntas certo ad talem rem ſe determinet; propterea quod nec in ipſis videt quod in iiſdem non continetur, nec ipſæ talem certo continent determinationem, cum uſuveniat, ut duæ voluntates iiſdem excitatæ illecebris & in iiſdem poſitæ circumſtantiis, altera ad alteram rem ſe determinet. Igitur hæ congruentes illecebræ non ſunt idoneum medium, in quo Deus futuras voluntatis determinationes cognoſcat. „

9. Hactenus Cl. Vir, qui ſibi viſus eſt adeo firmis præſidiis ſuam ſententiam undique communiſſe, ut quas attulit rationes, iis qui rerum momenta ſatis acute perpendunt, eas pro demonſtratione obtrudere non dubitaverit. Nec diſſentirem ſi quæ attulit ad id oſtendendum, animam aliquando eſſe in perfecto æquilibrio inter duo, & in eo ſtatu unum ex iiſdem ſeligere, tam firmis argumentis confeciſſet, quam cetera. Verum nimis jejune verſatus eſt in hac re, & id unum attulit non poſſe id negari, quod experientia comprobatur.

10. Quamobrem conabor id confirmare iis, quæ Cl. Monilia accurate diſputat in libro inſcripto *Diſſertazione contro i Fataliſti*. in Lucca 1744., dum parte I. ſect. III. adverſus Collinium & alios humanæ libertatis hoſtes veram

&

& propriam indifferentiæ libertatem in anima reperiri demonſtrat. Primum §. 8. hæc habet. „ Ingens libidinis ardor ob impenſæ timorem cohibetur ab homine, quem ſingularis avaritia non teneat. Mediocre lucrum comprimit ac ſuperat vehementem propenſionem erga intemperantiam. Quamobrem vi minori majorem ſuperari experimur. Ergo facilius de medio tolletur æquilibrium, in quo gradus contrarii momentis æqualibus librantur. Hæc eſt libertas indifferentiæ & arbitrii, quam revera poſſidemus, ut experimenta accurate expenſa declarant. Quo materiæ legibus magis contraria eſt, eo facilius ineſſe percipitur in ſubſtantia, quæ omnino diſcrepat a materia, cujuſque exſiſtentia hanc eamdem libertatem ſatis evincit. Tum §. 11. exemplis docet homines interdum in officio ſe continere adverſus graviſſimas difficultates, quas ſuperant, eoſdem alias minimis cedere impulſibus. Ex quo concludit „ arbitrium eſſe dominum ſuarum deliberationum, & animam non eſſe obnoxiam materiæ legibus, & in æquilibrio indifferentiæ potentiarum, quæ contrariæ ſunt, atque inclinationum ſe poſſe libere movere, eoquod non eſt veluti libra a ponderibus aut depreſſa, aut in æquilibrio ſuſpenſa. Deinde §. 13. id confirmat iis, quæ inter ludendum contingunt; tunc enim multæ obſervantur actiones atque determinationes arbitrariæ, quæ a nullo ſunt profectæ judicio a qualitate & pretio objectorum pendente, quod eas aliis præponendas præſcriberet, tametſi quod attinet ad appetitum, quo voluntas cietur, prorſus indifferens ſit alia atque alia ratione operari. Expoſitis variis, quæ circa mutationem, mixtionem, diſpoſitionemque alearum ſine ulla majori ratione a luſoribus fiunt, hæc ſcribit §. 14. „ Quod attinet ad animum recreandum, omnia æqualia ſunt; quod autem ad vincendum, neſcitur quid ſit neceſſarium. Igitur nequit effici aliquod prælationis judicium, quod ex objectis ſimiliter ignotis unum pariter ignoratum præferendum præſcribat, aut cum ratione ob aliquam majorem veriſimilitudinem quæ in ipſo ſit, aut temere propter aliquem occultum animi affectum, qui vim adhibeat „ Poſtea §. 15. preſſius accedit ad eventus æquilibrii, & ponit exemplum mulieris, cui data ſit optio eligendi utram velit ex duabus prorſus æqualibus & æqualis pretii gemmis, quæ numeris diſtinctæ in arca clauſæ ſint; atque concludit in tanta rationum pro utraque gemma æqualitate, quæ majorem pro alterutra parte rationem eſſe non ſinit, nihilotamen minus ſore, ut mulier alterutram eligat, nec niſi meras nugas reſponderi poſſe ab iis, qui verbo tenus, ut ſoli docti eſſe videantur, libertatem impugnant. Demum §. 17. affert commemoratum Boſſierii exemplum motus manus vel corporis aut verſus dexteram, aut verſus lævam ſine ulla prorſus ratione, quæ alterutrum magis appeti poſſe ſuadeat, & rationem inde petitam primum §. 18. confirmat his verbis Voltairii, cap. 4. Metaphyſicæ Newtoni, quæ e gallica in linguam italicam verſa Florentiæ edita fuit an. 1742. „ Si unus eventus poteſt eſſe, in quo homines vera libertate indifferentiæ potiantur, mihi videtur idem unus ſufficere pro decidenda quæſtione. Quem ergo eventum excogitabimus, niſi illum ipſum, in quo noſtræ libertatis periculum facere velimus? Ex. cauſſa mihi proponitur converſio aut verſus dexteram, aut verſus lævam, aut alia quædam operatio, ad quam nec aliqua vocor voluptate, nec aliqua moleſtia aut dolore retrahor. Tunc ſeligo, nec in eo ſequor regulam intellectus, qui majus bonum mihi repræſentet, eoquod hac in re nec eſt melius, nec pejus. Quid ergo facio? jus exerceo, quod mihi creator dedit,

dit, appetendi atque operandi in quibuſdam eventibus ſine alia ratione, quam meæ ipſius voluntatis. Potentiam & jus habeo ponendi motus initium, & illam verſus partem, quam volo. Si hoc in eventu alia non poteſt afferri ratio a mea voluntate diverſa, ut quid eam alibi inveſtigem, quam in mea voluntate? „ Deinde his aliis Boſſueti ex capite 1. tract. 1. ipſius Operis de Libero Arbitrio & de Concupiſcentia „ Quod attinet ad evidentiam intimi ſenſus, nos ipſos in conſilium adhibeamus, atque nos eſſe liberos comperiemus, quemadmodum ſenſu intimo percipimus ratione donari. Diſtinguamus inter appetitum felicitatis, & inter appetitum capiendæ cujuſdam relaxationis, quia poſſumus impedire ſecundum, non autem primum ... Quia vero in quibuſdam magni momenti deliberationibus ſemper eſt aliqua ratio, quæ nos ad aliquod decernendum impellat; quiſquam putare poteſt hanc rationem voluntati inferre latentem aliquam vim & neceſſitatem, cujus anima ſibi conſcia non ſit. Ad hanc perſuaſionem ex animis evellendam periculum faciamus, ubi nulla eſt major ratio in alterutram partem. Mihi ſum conſcius me manum tollentem poſſe illam aut movere, aut ab omni motu cohibere; volentem autem movere poſſe eamdem inflectere aut dexteram verſus, aut lævam. Muſculi ita ſunt comparati, ut motum utrumque ſine labore perficere poſſint, ſentioque id omne a voluntatis determinatione pendere.... Sentio me id facere ut periculum faciam libertatis, hancque voluptatem me ad id impellere. Verum ſi mihi eſt voluptati illam experiri, eamdem in anima ponere neceſſe eſt. Præterea voluptas in periculo de illa faciendo me ad aliquod determinat, ſed non verſus hanc plagam potius, quam verſus hanc alteram. Cum ergo animadvertam nullam eſſe voluptatem, affectum, aut moleſtiam, quæ me ad hanc potius partem impellant, quam ad contrariam, aliud nihil experior, quam meam liberam voluntatem „ Hactenus Boſſuetus atque Monilia, qui magnopere confirmat ea, quæ de ſtatu æquilibrii Boſſierius tetigit.

11. Fateor me hic valde ancipitem eſſe, in varias diſtrahi partes, & nunc hanc, nunc illam veroſimiliorem videri. Sed omnibus expenſis, omnibuſque ſubductis rationibus hanc feci ſummam cogitationum mearum. Hic tria tamquam certiſſima & a quibus non licet ne latum quidem unguem diſcedere, ſtatuenda ſunt; primum eſt Deum omniſcium ab æterno cognoſcere omnes futuras actiones animarum, quæ ab ipſo in tempore erant creandæ; alterum animas vera libertate indifferentiæ gaudere, qua fit ut dum aliquid volunt, habeant veram potentiam ad contrarium, vel ad contradictorium; tertium ad omnes animarum actiones neceſſarium eſſe divinum concurſum §. 104. Summa in eo poſita eſt ut excogitemus ſyſtema in quo hæc omnia ſartatecta ſerventur. Accommodata ad hæc inter ſe concilianda ſyſtemata tria omnino eſſe poſſunt; primum eorum, qui volunt a Deo vim animis infundi ipſam per ſe efficacem ad gignendos ejuſdem appetitus, non ſolum quod attinet ad ſubſtantiam, verum etiam quod attinet ad directionem erga tale individuum bonum, ſi de bonis appetitibus ſermo habeatur; alterum eorum qui voluntatem contendunt ſe primum ad hanc potius rem, quam ad alteram convertere, & hoc pacto determinare Deum ad talem potius comitantem concurſum, ex. g. ad bonum apparens, quam ad alium præbendum, ſcilicet ad bonum verum. Tertium eſt meum, qui volo ſubſtantiam actus appetendi bonum univerſe non ſolum efficaciter, verum etiam neceſſario effici a Deo; voluntatem autem

præ.

Digitized by Google

præmotam tali ratione & hoc divino utentem impulſu, ſe ad hoc potius bonum, quam ad aliud ex iis quæ eodem tempore ſibi proponuntur, dirigere, & ad hanc potius partem, quam ad alteram, ſe convertere. In primo facile eſt explicare neceſſitatem divini concurſus, & futuram liberarum actionum prævisionem, in æterno ſcilicet decreto dandi phyſicam præmotionem tum ad abſolutam actus ſubſtantiam, tum ad directionem, ſi agitur de actionibus bonis, & ſaltem ad abſolutam ſubſtantiam, ſi de malis, eoquod hæc præmotio determinatam actionum animæ rationem continet. Verum animæ libertas parum tuta eſt ob illa, quæ §. 123. & ſequentibus late diſſerui.

12. In ſecundo nec neceſſitas divini concurſus, nec actionum animæ futurarum prævisio ſatis ſervantur. Nam ut alia nunc mittam, Boſſierius citato loco cap. 4. num. 3. ita docet impoſſibilitatem divini concurſus pure comitantis „ Deus præbet hujuſmodi concurſum eodem inſtanti, quo videt creatam voluntatem ſe determinare ad hanc potius rem, quam ad alteram. Igitur neceſſe eſt hanc determinationem ante cognoſcat præſentem, quam donet concurſum. Cœca enim ratione non dat, nec dare poteſt, quoniam videre debet utrum miniſtrare debeat concurſum ad actionem bonam, an ad malam, utrum ad actionem tot graduum, an ad actionem pauciorum. Jam vero impoſſibile eſt Deum in hoc ſyſtemate hanc actionem cognoſcere; idque eſt abſurdum pluribus de cauſſis. Interim non ajo id eſſe abſurdum, propterea quod ſi Deus hanc prius noſcit determinationem, quam concurrat, jam illa eadem eſt, & eodem momento eſt ſine Deo. Si autem eſt eodem temporis puncto ſine Deo, ſupervacaneum eſt deinceps divinum accedere auxilium. Ad quod enim faciendum præſto eſſet? Præſto ne eſſet ad faciendum id, quod jam fuit generatum? Sed miſſis hiſce abſurdis, nunc de ſola diſputo cognitione, & pugnaciter contendo determinationem eſſe præſentem, & a voluntate jam eſſe generatam nihil prodeſſe ad eum finem, ut Deus illam cognoſcat, quemadmodum cognoſcere debet, quo idoneum in continenti auxilium præbeat. Quo enim momento hæc determinatio divinum, ut ita dicam, auxilium vocat, efficitque, ut Deus illud det, eodem eſſe debet ſine hoc concurſu, & ſine aliqua alia Dei operatione. Jam vero capite ſecundo monſtratum eſt, ſi aliqua determinatio ſine Deo fieret, Deum illius fieri conſcium non poſſe, nec ad eum finem ſolam ejuſdem præſentiam eſſe ſatis. (Nam ibi monſtrarat ad hoc ut Deus conſcius fiat rerum quæ ſuut in creatis rebus, neceſſarium eſſe ut aut res creatæ aliquid faciant in Deo, quod eſt abſurdum, aut Deus eas res faciat in ipſis) Ergo Deus hanc non cognoſceret voluntatis determinationem, quæ ad concurſum dandum illum invitaret. Unde conſequitur concurſum comitantem eſſe impoſſibilem, atque idcirco etiam decretum dandi tale auxilium humanæ voluntati inter impoſſibilia recenſeri oportere.„

13. Reſtat igitur tertium, in quo quia phyſicum actus a Deo neceſſario fit creando vim tendendi in bonum univerſe, ex qua neceſſario ſequitur actus appetitus in idem, ſatisfit neceſſitati divini concurſus; quia vero morale ſive ejuſdem appetitus directio in bonum verum, aut apparens ipſimet voluntati fertur accepta, ejuſdem ſatisfit libertati, quæ, poſita indifferentia directionis, ſartatecta ſervatur, eoquod in illa potiſſimum poſita eſt. Verum eſt aliqua difficultas in componenda cum eodem ſyſtemate divina futurorum, quæ libera ſunt, prævisione. Nam vel ponimus animam aliquando reperiri in perfecto

 æqui-

æquilibrio, ut contingit cum duo apparent aut æqualiter bona aut æqualiter mala, & in eodem æquilibrio ſe ad alterutrum nihilominus determinare ſine ulla prorſus ratione majori, quæ in alterutro ſit; vel numquam reperiri, vel ſi reperiatur, quamdiu illud permanet, ſe minime determinare, ſed ſemper eligere id quod majorem habet rationem cur eligatur. Si primum ponatur, actum eſt de divina præſcientia in hoc, quod amplexati ſumus ſyſtemate, ob allatas Boſſierii rationes, quæ rem omnino cogere ac perſuadere videntur. Sin autem ſecundum, in periculo verſatur humana libertas indifferentiæ, cui hoc pacto negamus id, in quo potiſſimum ea poſita eſt, electionem inter duo prorſus æqualia.

14. Verum niſi res ita ſe habeat ut numquam anima ſeligat quidpiam ſine aliqua majori ratione, quæ in ipſo ſit, non in ejus contrario, aut contradictorio, neceſſe eſt ut revolvamur in primum phyſicæ prædeterminationis ſyſtema, quemadmodum Boſſierius, ut ſupra vidimus, luculentiſſime oſtendit. Quo poſito cum res eo deducta fuerit, ut alterutrum ex hiſce duobus eligere oporteat, videndum eſt utrum ex iis ſit difficilius cum hominis libertate conciliare, atque, ut in loco lubrico ac ſalebroſo, illud ſeligendum, quod minus difficile videatur. Quidquid ſit de Boſſierio deque aliis Scholæ Tomiſticæ aſtipulatoribus, mihi certe valde difficilius apparet libertatem indifferentiæ ad duo cum vi prædeterminante ad unum componere, quam cum principio ſufficientis rationis, ob eas rationes quas §. 123. & ſeq. attuli, & hic nunc confero cum rationibus quæ hoc principium a liberis actibus excludere videntur. In hoc quidem conveniunt prædeterminans ad unum vis a Deo genita in anima, & major ratio pro alterutra electionis parte, quod utraque actum appetendi præveniunt, ſed in hoc altero differunt, quod illa eſt cauſſa phyſica & efficiens appetitus, cuique ſimilis eſt vis corporum motum in iiſdem efficiens; hæc autem eſt ſolum moralis & propria animarum, quibus ſolis rationes ad aliquid appetendum proponi poſſunt. Quotus vero quiſque non minus difficile fateatur cum cauſſa morali, tendente ad unum, veram phyſicam & efficientem potentiam ad oppoſitum; qualis requiritur ad libertatem indifferentiæ, poſſe componi, quam cum cauſſa phyſica, quæ ad unum directa & determinata ſit? Nam ſine vi, quæ eſt ultima ratio effectrix mutationis, non poteſt eſſe vera & proxima mutationis potentia, qualis ad libertatem indifferentiæ requiritur, quia vis a Deo impreſſa, utpote cauſſa efficiens; non deſideratur ſolum ad actum, ſed ad veram & expeditam actus eliciendi potentiam. Jam vero in ſyſtemate Adverſariorum prædeterminatio phyſica eſt cauſſa efficiens appetitum tum quod attinet ad ejuſdem ſubſtantiam, tum quod ad directionem, & ideo vis ad unum determinata, & quo tempore voluntas prædeterminatur ad unum, caret prædeterminatione ad oppoſitum. Ergo hæc prædeterminatio ad unum cum vera & phyſica & proxima potentia ad oppoſitum, qualis ad libertatem neceſſaria eſt, conciliari minime poteſt. At in noſtro ſyſtemate vis a Deo genita in anima eſt determinata ad ſolum bonum in genere, & niſi voluntas ad aliquod particulare illam dirigat, gignit ſolum actum appetendi bonum univerſe, in quo libera voluntas non eſt; in ipſius autem proxima potentia eſt dirigere hunc appetitum a Deo genitum in hoc potius quam in alterum ex pluribus, quæ animæ objiciuntur. Cujus rei alia non poteſt afferri ratio, quam ea quæ a M. Tullio affertur in libro de Fato num. 11. his verbis

Digitized by Google

bis *Ad animorum motus voluntarios non eſt requirenda externa cauſſa; motus enim voluntarius eam naturam in ſe ipſe continet, ut ſit in noſtra poteſtate nobiſque pareat: nec id ſine cauſſa; ejus enim rei cauſſa ipſa natura eſt.* In ipſa vero directione appetitus ad hoc potius, quam ad aliud, ſemper certo quidem, ſed non neceſſario hæc ſervatur lex, ut voluntas ſemper reipſa ſe dirigat ad id, quod majorem habet rationem, cur ſe ad illud convertat, tametſi veram & proximam habeat potentiam ſe quoque ad alterum dirigendi. Quamobrem nobis videmur poſſe meliori jure, quam Thomiſtæ fecerint in prædeterminationis negotio, defendere has majores rationes pro una parte deſiderari ad actualem voluntatis directionem ad illam, non autem ad potentiam proximam ſe dirigendi, eoquod hæc tribuitur, tamquam a cauſſa efficienti, a vi tendendi in bonum, quam Deus in anima creat, quæ cum in ſyſtemate Thomiſtico ſit ad unum determinata, non relinquit potentiam ad oppoſitum; cum vero in noſtro ſit indifferens ad utrumque, hanc ad utrumque veram potentiam intactam relinquit.

15. At enim vel hæ majores pro alterutra parte rationes animam certo excitant ad illam præferendam, vel ſecus. Si etiam, libertas in tuto non eſt; ſive enim neceſſitas inducatur a cauſſa efficiente appetitum, ſive a rationibus tamquam a cauſſis moralibus, quatenus ab anima cognitæ eam ad alterutram impellant & moveant, res perinde ſe habet; non enim ipſa per ſe cauſſa, unde neceſſitas oritur, libertati officit indifferentiæ, ſed ipſa genita neceſſitas ejuſdem inimica eſt. Jam vero ſi certo excitant, id præſtare non poſſunt, niſi quia ex indifferenti ad duo contraria determinant ad unum. Si ad unum determinant, anima non retinet potentiam ad oppoſitum; quia quod extrinſecus & antecedenter determinatur ad unum, in mea ſententia proximam ad contrarium eligendum potentiam non retinet. Ergo hæ pro alterutra parte majores rationes neceſſitatem libertati indifferentiæ contrariam in primo eventu inducerent. Sin autem nullam neceſſitatem & ideo nullam ad unum determinationem efficerent in voluntate, in ſe non continerent rationem, cur anima alterutram partem eligeret; quo pacto alteram graviorem plagam acciperem. Nam ob rationes a me productas §. 148. & ob eas, quas ex Boſſierio retuli num. *6.* & ſeq. Deus in ipſis majoribus pro alterutra parte rationibus certo videre non poſſet futuram animæ determinationem.

16. Quibus ut ſatisfaciam, adverto duobus omnino modis rem aliquam a nobis percipi poſſe ut bonam, ſive ut pertinentem ad noſtram perfectionem, primum ita clare & evidenter, ut contrarium vel ejus contradictorium ut bonum intelligi nequeat; deinde ita obſcure & confuſe, ut etiam contrarium & contradictorium ejuſdemmodi poſſit nobis videri. Si primum, in illo appetendo anima libera non eſt, quia cum ex altera parte jugiter a Deo excitetur ad bonum univerſe appetendum, & ex altera illud unum ſub ſpecie boni appareat, non autem ipſius contradictorium, aut contrarium, generali ad bonum appetitu ad illud unum neceſſario determinatur. Et revera hac in re potiſſimum poſitum eſt fundamentum Adverſariorum humanæ libertatis, ut videre licet apud Helvetium in libro quem adduximus in Pſych. §. 200. num. 5., qui ex eo, quod non eſt effectus ſine cauſſa, colligit voluntatem nihil appetere ſine ſufficienti ratione, & hoc poſito eam neceſſario velle contendit. Sin autem ſecundum, tunc libera eſt, eo quod genitus a Deo erga bonum univer-

ſe appetitus duo habet contradictoria, aut contraria objecta, ad quorum alterutrum dirigi poteſt. Utrumque veluti manu tetigimus in aſſenſu, qui eſt appetitio veri, quatenus eſt intellectus perfectio §. 219. Log. nam aſſenſus, qui datur propoſitioni omnino claræ & evidenti, eſt omnino neceſſarius, ut mens nequeat illum ſuſtinere, multo minus diſſenſum præbere, eoquod veritas propoſitionis omnino evidentis ita eſt clarum & evidens intellectus bonum atque perfectio, ut contraria, aut contradictoria enuntiatio ſub ſpecie boni & perfectionis intellectus apparere non queat; aſſenſum autem qui præbetur dubiæ & incertæ propoſitioni, non ſolum mens cohibere poteſt, verum etiam in contrariam aut contradictoriam flectere enuntiationem, eo quod propoſitio dubia & ſolum probabilis intelligi poteſt tamquam talis intellectus perfectio, ut etiam contraria & contradictoria ejuſdemmodi videri poſſint. Cum autem ex duobus contrariis quæ ſub ſpecie boni apparent, alterum habeat præ altero majorem rationem, & ex. g. ſub ſpecie boni majoris appareat, voluntatem quidem ad ſe præferendum certo alliciet & revera trahet, ſed non neceſſario, adeout voluntas ad oppoſitum potentiam nequaquam retineat, eo quod illa major ratio non poteſt efficere, ut oppoſitum ſub ſpecie boni & perfectionis apparere non poſſit. Ad illud quod dicitur de indifferentia, reſpondeo voluntatem quidem adhuc manere indifferentem, ſed diſpariter, adeout ſit minus indifferens erga partem, quæ majorem habet rationem, magis erga illam, quæ minorem. Ex quorum primo ſequitur ut potentiam ad utrumque retineat, ex altero vero, ut vi quam a Deo accepit, certo utatur ad ſe determinandam ad id quod majorem habet ſufficientem rationem. Deo vero, qui omnes pro utraque parte rationes, quæ voluntatis aſſenſum antevertunt, perfectiſſime noſcit, id ſatis eſt ad certo eruendam futuram eamque liberam voluntatis determinationem.

17. Quibus mihi videor ſatiſfeciſſe Boſſierii argumentis a ratione petitis. Nunc venio ad experimentum æquilibrii iis confirmatum, quæ ex Monilia deſcripſimus. Itaque ajo experimentis quidem conſtare animam eſſe liberam & vera uti potentia ſe ad alterutram partem pro arbitrio determinandi, ut docui in Pſych. §. 57. & pluribus infra ſum confirmaturus, ſed nego ſimiliter conſtare aut dari aliquando perfectum æquilibrium, aut in perfecto æquilibrio animam ſe ad alterutram partem determinare. Tot enim in anima ſunt ſenſationes cognitioneſque, tot animi affectus & inclinationes, tot habitus a cerebro & ab ipſa acquiſiti, tot corpora, quæ circumfuſa ſunt & multis miriſque modis varia & multiplici intenſione in ipſam adminiculo commercii ſe explicant, ut cum differentiæ impreſſionum animæ infinitæ eſſe queant, æqualitas vero una tantum, difficillimum ſit, ne dicam fere impoſſibile, ut ad præſentiam duorum quamtumvis æqualium & ſimilium, quorum alterutrum ipſi eligendum proponatur, æqualiter prorſus atque ſimiliter ab utroque ſe affici ſentiat. Nonne illud ſaltem fieri poteſt, ut alterius idea vel ob majorem cum cerebri veſtigiis & animæ habitibus connexionem §. 10. Pſyc. & 25. Log. vel ob aliam cauſſam Deo cognitam, nobis latentem, diutius & firmius præ idea alterius menti obverſetur? Hoc autem nonne ſatis ſuperque eſt ad æquilibrium tollendum impreſſionum, quæ a rebus quamtumvis æqualibus & ſimilibus excitentur, cum hoc pacto illa ſe eidem menti clariorem efficiat, & ita ad objectum ab ipſa repræſentatum animam fortius alliciat? Cum Wolphius has appetitus re-

Digitized by Google

regulas in Pſychologia Empirica ſtatuiſſet, animam ex duobus, quæ apparenſub ſpecie boni, ſed ſimul appeti nequeunt, illud præferre, quod ſpecie majoris §. 898.; ſi in neutro nulla videatur ratio major interna, cur alterutrum præferatur, externam aliquam in ſubſidium vocari, quæ voluntatem excitet ad alterutrum præferendum §. 899. ſi externa quoque deſit, illud quod animæ magis familiare eſt, ab eadem ſeligi §. 900.: ſcio equidem Moniliam has refutandi æquilibrii rationes tamquam meras nugas traduxiſſe. Verum animadvertere debebat ex altera parte parvam aliquam pro alterutro ex propoſitis bonis rationem, quæ accedat, ſatis eſſe ad æquilibrium tollendum, ut optime Wolphius adnotavit ſecundum illud Terentii in Andria act. 1. ſcena 5. *dum in dubio eſt animus, paulo momento huc illuc impellitur*, & ex altera hanc exiguam rationem non eſſe totam cauſſam, qua fit ut voluntas eligat in ſupra allato exemplo nummorum ſecundum præ primo, ſed duo diſtingui oportere, alterum rationem boni utrique nummo communem, qua fit ut eos appetat, alterum eam parvam rationem, quæ ad ſecundum accedit, qua fit ut illum primo præponat. Cum vero Deus etiam minimas duarum rationum, quæ menti ad alterutrum ſeligendum proponuntur, differentias perfectiſſime noſcat, illæ ſunt ſatis, ut ſtatuamus hanc majoris ſufficientis rationis regulam in animæ appetitibus obſervari, & inde eliciamus Deum in eadem lege poſſe futuras voluntatum liberas determinationes certiſſime prævidere. Ergo nec a Boſſierio, nec a Monilia monſtratum eſt animam aliquando in perfecto reperiri æquilibrio, aut ſi reperiatur, eo durante ad alterutrum ſe determinare. Immo nec poſſe ab aliquo demonſtrari contendo; tot enim ſunt in animis noſtris receſſus & latebræ, ut ſolus Deus cor humanum ſcrutari poſſit, & omnia videre, quæ ad illius appetitus ex utraque parte concurrunt, & eorum momenta atque intenſiones expendere & juſta lance librare: ut non ſolum mirum mihi videatur fuiſſe, qui contenderint intimo ſenſu conſtare animam aliquando æqualibus prorſus & contrariis momentis librari, & in hoc ſtatu in alterutram ſe inflectere plagam, immo etiam in eam, quæ levioribus utitur; verum etiam periculoſum in hac ab ipſis jactata experientia, quæ ita incerta eſt, maximum ſtatuere adverſus impios libertatis humanæ fundamentum. Præter Leibnitium in *Eſſai de la Theodicée* & Wolphium loco citato, conſule Joannem Erneſtum Gunnerum in *Tract. Philoſ. de Libertate*. Jenæ 1747. de hoc æquilibrio & de iis, quæ cum eo connexa ſunt, ex ſententia Leibnitii enucleate diſputantem in ſcholiis ad §. 73., & multos auctores qua Catholicos qua Proteſtantes ab ipſo laudatos.

18. Ceterum ſupra laudatus Monilia in altera diſquiſitione quam poſt primam ſcripſit adverſus Materialiſtas parte 4. ſect. 1. §. 2. hæc habet, ex quibus apparet ipſum non omnino abhorrere a principio ſufficientis rationis, ſi cum libertate indifferentiæ bene componatur. „ Verum ſi quis (ſunt ejus verba ab italica in latinam linguam translata) in hiſce circumſtantiis (æquilibrii), quæ maxime impugnari videntur, aut in aliis, in quibus voluntas eligit operari, aut ſecus; operari hac ratione, aut aliqua alia eidem contraria, arbitraretur aliquam ſemper eſſe ſufficientem rationem, quæ pro alterutra parte præponderaret, mihi in hoc admittendo nec minima eſt difficultas, cum hac tamen conditione, ut hæc ratio ſufficiens electionis arbitrium non perimat, ideſt ut in actionibus liberis non ſit ratio quæ impediri nequeat, quæque idcirco

vo-

voluntatem neceſſario non determinet, aut cogat. Cum, viris ſanæ doctrinæ ponatur in qualibet cujuſcumque generis actione ratio quædam, quæ nos ad deliberandum determinet, atque ſuſpenſi animi æquilibrium tollat, ſi modo in nobis ſit reſidua vera illius repudiandæ poteſtas, ob alias rationes, quas variæ cum variis relationibus meditationes, quas habitus, quas præjudicatæ opiniones, paſſiones, inclinationes ipſæ & affectus, tametſi cœci, nimis etiam acuti ſunt in efficiendo, ut excogitentur ab intellectu, cum volumus eas excogitare. Hac ratione non dubito affirmare Principium ſufficientis rationis, quod in Academiis tantas excivit turbas, pertinere quoque ad voluntatis actiones, quatenus libertas permittit. Sed hæc confundenda non eſt cum eo, quod non eſt violentum, quod eſt pure voluntarium, quod eſt mere ſpontaneum, quia hoc neceſſarium eſſe poteſt.

19. Hactenus Monilia, qui non tantum momenti hic ponere videtur in iis, quæ in altero opere pro æquilibrio voluntatis & ejuſdem in eodem ſtatu electionibus attulerat. Nec immerito, ut conſtat ex iis, quæ ad illius argumenta reſpondimus. Nam argumentum ductum ex ſtatu ſuſpenſionis, in quo ancipites & conſilii incerti non raro verſamur, tantum abeſſe mihi videtur, ut hanc ipſius ſententiam confirmet, ut potius eamdem labefactet. Id enim evincit mentem tamdiu manere ſuſpenſam, quamdiu major aliqua ratio idonea, quæ ipſam determinet, pro alterutra parte non appareat. Quamquam experientia docet mentem non prorſus diu manere ſuſpenſam inter utramque partem, ſed modo his rationibus ductam in hanc, tametſi non plene & perfecte, propendere, modo aliis in alteram, prout modo hæ, modo illæ veriſimiliores videntur, donec poſt plures in utramque inclinationes in aliqua perſtat ob rationes, quæ magis pro illa ſtare ſibi videntur. Ex quibus omnibus arbitror illud conſtare meo ſic expoſito ſyſtemati cum tribus numero 11. propoſitis, cum divina omnium futurorum cognitione, cum animæ vera libertate indifferentiæ, & cum neceſſitate divini concurſus maxime convenire.

20. Sed ut revertamur ad Boſſierium, adverto in meo ſyſtemate nullum eſſe momentum in ea ratione, quam is contorquet adverſus defenſores divini comitantis auxilii ibid. ſect. VI. par. 2. cap. 10. num. 2. hoc fere pacto. Si actio ex. g. S. Petri Deum determinat ad dandum concurſum idoneum, quo Petrus actum amoris erga Jeſum eliciat, illa actio non foret, niſi actus amoris, quia velle Jeſum amare eſt idem ac amare, & eſſet præſens ante concurſum; quod ni foret, Deum determinare non poſſet. Hoc autem eſt prorſus abſurdum, quia poneretur aliquid ſine divino concurſu, præterquamquod gigni non poſſet, quod jam generatum foret. Nec ajas eſſe amorem imperfectum, qui prævertit, & divino concurſu perfectum effici; nam cum actus amoris ſit aliquid ſimplex, cujus dimidia pars, tertia, quarta &c. ipſa per ſe gigni nequit, abſurdum eſt ponere actum amoris quamtumvis remiſſum ſine divino concurſu. Atque hæc eſt ratio Boſſierii, in qua nihil eſt momenti adverſus meam ſententiam, qui pono ſemper actionem Dei prævertere & neceſſario gignere ipſos animæ appetitus, quod attinet ad abſolutum, tendentias autem in bonum ſupernaturale a Gratia generatas num. 4. quæ perfectum voluntatis aſſenſum præveniunt, eſſe aſſenſus adeo imperfectos, ut eidem merito aſcribi non poſſint, ſed ſoli divinæ gratiæ, quæ eoſdem creat.

21. Capite vero primo ejuſdem ſecundæ partis ſectionis ſextæ ex eo, quod Deus

Digitized by Google

Deus ſua providentia hanc univerſum moderatur & regit, aliam eruit rationem pro divina prædeterminatione non ſolum ad abſolutum actum animæ, verum etiam ad morale, ſive ad ejuſdem directionem, quod pertinet ad actus bonos. Eſt enim Principis ſtatuere quæ facienda ſunt, & ſubditos ad eadem dirigere, non ſubditorum ſe prius determinare, & hoc pacto Principem ad auxilium actionibus ſubditorum præbendum dirigere? Jam vero in noſtro ſyſtemate Deus impellit quidem voluntates ad appetendum bonum in genere, ſed earum directionem ad bonum verum, vel apparens expectat, quo eaſdem pœnis afficiat, vel præmiis pro natura illius, ad quod ſe direxerunt. Et ſimiliter Deus ab æterno ſeſe abſolute non determinat ad dandum auxilium pro tali appetitu in bonum verum, ſed prius ſcientia media cognoſcit quo ſub tali auxilio voluntas creata ſit ſe directura, tumque decernit tale auxilium præbere, aut non præbere. Quo pacto Deus non rectoris animarum & actionum earumdem, ſed potius executoris munere fungitur. Quo nihil abſurdius dici poſſe videtur.

22. Ut in loco, de quo tantopere inter ſe digladiantur Philoſophi atque Theologi, meam expromam ſententiam, primum ajo duo ſcientiæ genera in Deo eſſe ponenda; aliud earum rerum, quæ proxime a Deo creantur, & ſolum ab ipſo ſunt; aliud earum, quæ ſolum remote, eoquod proxime a rebus creatis originem ducunt. Scientia primi generis cognoſcit ex cauſſa vim motricem in corpore, quam ipſe ſolus creare poteſt & conſervare §. 42. & ſeq. Ont. ſcientia vero ſecundi motum, qui remote a Deo & proxime a vi motrice creata pendet. Hoc poſito vel Deus ab æterno decrevit creare res, ex quibus aliæ pendent, vel non; ſi decrevit, hæc ſcientia eſt viſionis non ſolum primæ rei, verum etiam ſecundæ, quæ a prima ducit originem, niſi quod alio modo videt primam ex decreto orituram, alio ſecundam, ideſt primam proxime, ſecundam remote & adminiculo primæ. Sin minus, eſt pura ſcientia ſimplicis intelligentiæ non ſolum primæ rei, verum etiam alterius. Cum enim nullum ſit in Deo decretum creandæ primæ, a qua ſecunda oritur, ut pote quæ a Deo proxime oriri non poteſt, prima eſt ſolum poſſibilis, & ſi hæc eſt hujuſmodi, multo magis eſt ſolum poſſibilis ſecunda, quæ ſine prima eſſe nequit. Unde ſi nullum eſt decretum creandæ vis in tali corpore, & ideo vis non eſt futura, ſed ſolum poſſibilis, multo minus erit fururus motus, qui ut ſit hujuſmodi, non ſolum decreto Dei habet opus, ſed etiam vi motrice. Quare non video neceſſitatem inducendi pro hiſce propoſitionibus hypotheticis *ſi talis foret vis in tali corpore, talis exſiſteret motus*, aliam ſcientiam mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ pertinet ad res ſolum poſſibiles, & inter ſcientiam viſionis, quæ ad ſolum abſolute futuras, niſi quis velit hanc ſcientiam ponere in omnibus poſſibilibus etiam iis, quæ proximam a Deo ducunt originem, eo quod fieri poſſunt ſimiles conditionatæ enuntiationes. *Si Deus eam poſſibilem rem creare decreviſſet, illa res eſſet futura.* Quamquam de nomine non valde contenderim, dummodo res conveniat, illudque maneat futura ſecundi generis remote a divino decreto, proxime a rebus creatis pendere.

23. Quod dictum eſt de corporum motibus, id aliqua ex parte transferri poteſt ad appetitus directionem erga hoc potius bonum, quam erga aliud quodcumque. Nam uti ſine vi motrice a Deo creata motus in corpore eſſe nequit, ita ſine appetitu a Deo genito in anima erga bonum univerſe anima

non

non poteſt ſe in hoc potius bonum, quam in aliud dirigere. Eſt tamen illud diſcrimen, quod poſita vi neceſſario ſequitur talis determinatus motus, poſita vero vi tendendi in bonum, univerſe neceſſario non ſequitur directio aut in bonum verum aut in apparens, ſed ſolum certo verſus eam partem, quæ pro ſe habet majorem rationem. Quamobrem ad eum finem, ut anima certo aſſentiatur tali bono, opus alio non eſt niſi ut reperiatur in eo ſtatu atque in iis circumſtantiis, in quibus ſit major ratio pro tali bono appetendo, quam pro alio quocumque. Cum vero in Dei poteſtate ſit animam collocare in iis circumſtantiis, in quibus tale bonum majorem habeat rationem, cur appetatur, quam aliud quodcumque, non video quid in hoc ſyſtemate deſiderari poſſit ad eum finem, ut vere dicamus Deum omnes futuras animarum actiones proſpicere, & ipſius eſſe eaſdem ad eas dirigere operationes, quas ipſe vult. Quod enim Deus in ſyſtemate Thomiſtarum præſtat vi in anima creata, quæ appetitum in tale bonum naturaliter efficit, illud obtinet in noſtro adminiculo majoris boni, ſive majoris ſufficientis pro tali bono rationis, quæ in directionem appetitus ad tale bonum ſolum moralem habet influxum. Ex quibus apparet nullam in noſtro ſyſtemate dari ſcientiam qua primum Deus cognoſcit quid voluntas ſub tali auxilio electura ſit, & deinceps tale auxilium præbere, aut non præbere decernit, quia defendi poteſt Deum ab æterno decreviſſe creare in anima talem erga bonum in genere appetitum, & ponere illam in talibus circumſtantiis, in quibus foret major ratio appetendi aliquod ex pluribus, & in hoc decreto Deum certo & infallibiliter prævidiſſe futuram animæ electionem.

24. Quamobrem niſi valde fallor, quæ prædeſtinatio animarum ante prævisa merita ad vitam æternam, & alia ſimilia Scholæ Thomiſticæ dogmata ex eorum ſyſtemate conſequuntur, eadem in hoc quod amplexus ſum, defendi poſſe mihi videntur. Si enim natura prius eſt ſibi proponere finem, quam media ad finem conſequendum idonea, dicendum eſt Deum ante decreviſſe quoſdam ex ſpiritibus a ſe creandis æterna beatitate donare, quam media ad illam comparandam accommodata decerneret. Quæ media ſuum finem certo, licet libere, conſecutura, in ſententia Thomiſtarum ſunt Gratia ex ſua natura efficiens appetitum erga bonum verum, in noſtra vero ſunt Gratia & ſimul major ratio ſufficiens pro illa parte, quæ reſpicit bonum verum. Ex quibus mihi videor jure ac merito poſſe colligere gratuitam prædeſtinationem ad Gloriam & alia decreta his ſimilia poſſe in hoc ſyſtemate propugnari. Quæ cum ita ſint, conſtat nullius eſſe momenti contra me rationem a Boſſierio allatam, quæ maximam habet adverſus ſyſtema ab homine confutatum animarum, quæ in perfecto æquilibrio rationum inter duo oppoſita bona ſæpius in alterutram partem ſe dirigunt, immo etiam in eam, quæ minori utitur ſufficienti ratione cur eligatur.

25. Multas alias pro phyſica præmotione Boſſierius profert rationes, quas in meo ſyſtemate mihi videor facile poſſe refutare. Operæ pretium arbitror aliquas hic referre. Sectione 1. cap. 5. hanc rationem ducit ex rerum conſervatione. Deus animam creat in omnibus momentis, in quibus exſiſtit, quia non eſt niſi quia Deus eam eſſe voluit, nec eſſe pergit, niſi quia Deus pergit velle ut ſit. Ergo Deus in quolibet temporis puncto eam talem conſervat qualis eſt in eodem. Ergo in ipſa gignit omnes ipſius modificationes. Ex

quo

Digitized by Google

quo ſit ut Deus non ſolum rationes appetendi, ſine quibus nihil anima vult, ſed etiam ipſas voluntatis determinationes operetur, & gignat non ſolum animæ eſſentiam, ſed etiam ipſius actiones atque determinationes, eoquod hæ ſunt aliquod ens, quod ſolus Deus creare poteſt.

26. Malebranchius in opere inſcripto *Reflexions ſur la Premotion Phyſiq.* a Paris. 1715., quod is adverſus auctorem conſcripſit, multa involvit pag. 64. & ſequentibus, ut huic ſatisfaciat difficultati, proptereaquod eadem magnum habet momentum in hominis ſententia, qui vult cauſſas creatas eſſe cauſſas occaſionales, Deum autem ſolum eſſe veram cauſſam omnium non ſolum ſubſtantiarum, ſed etiam mutationum, quæ in ſubſtantiis uſuveniunt. Ego vero, qui non ſolum in animabus, verum etiam in corporibus, vires agendi tamquam accidentia abſoluta a mutationibus ipſis tamquam a relativis diſtincta pono, ſic paucis & præciſe reſpondeo. Ratio a Bourſierio producta & a me quoque in ſuperioribus uſurpata ſuadet quidem vim appetendi & abſolutum actum appetitus debere creari & conſervari a Deo, atque idcirco efficaciter gigni, non autem evincit relativum ejuſdem actus ſive directionem appetitus a Deo creati & conſervati ſimili ratione a Deo fieri. Nam relativa proxime a Deo creari, conſervari, corrumpi, aut variari non poſſunt, ſed ſolum abſoluta, ex quibus poſtea relativa oriuntur. §. 40. Ont. Quæ relativa ſi ita ſunt comparata, ut prorſus determinata ſint, & unum tantum determinatum ex abſolutis exſiſtere poſſit, creatione abſolutorum & hæc quoque neceſſario oriuntur; ſi ita ſint comparata, ut aut unum aut alterum ab iiſdem abſolutis oriri poſſit, tunc libere ab iiſdem procedunt, & in poteſtate rei abſolutæ a Deo creatæ poſitum eſt alterutrum ponere. Primi generis eſt vis motrix, quæ motum per unam tantum rectam verſus unum tantum determinatum punctum in corpore efficit. Secundi generis eſt vis appetendi bonum in anima a Deo creata, quæ efficit quidem appetitum determinatum in bonum, non in malum, ſed ita indifferentem ut anima illum dirigere poſſit ad hoc potius ex objectis, quæ ab ipſa ut bona percipiuntur, quam ad aliud. Quamobrem tantum abeſt ut relatio ſive directio appetitus ad hoc potius objectum, quam ad aliud, a Deo creari debeat, ut neque proxime creari poſſit, ſed ex vi abſoluta proxime a Deo genita exſiſtere debeat. Simul ac vero abſolutum appetitum a Deo genitum atque creatum anima ad hoc potius objectum, quam ad alterum dirigere poteſt, quin hæc directio a Deo proxime creetur & conſervetur, nihil eſt momenti in ratione, quam Bourſierius duxit a neceſſitate creationis atque conſervationis cujuſcumque rei, pro phyſica præmotione, quæ in ipſius ac Thomiſtarum ſententia non ſolum abſolutum actum, verum etiam relativum, ſi de actibus bonis agatur, efficaciter gignit.

27. Ex quibus principiis facile eruitur ſolutio alterius difficultatis, quam Malebranchius pag. 108. ex Bourſierio excerpit, quæque in hoc poſita eſt. Amor certe non eſt nihil. Ergo eſt aliquod ens. Quare amor ducenties, tercenties &c. altero major plus entis in eadem ratione concludit. Inde vero colligitur augmentum animæ in gradibus entium, quæ ipſa profecto creare non poteſt, ſed ſolus Deus. Plura Malebranchius reſpondet, ſed prorſus falſa defectu verorum Metaphyſicæ principiorum, & hæc duo præſertim e naturæ ſinu petita; alterum pilam, quæ velocitate centies majori cietur, non habere plus entis, quam ſi quieſceret; alterum materiam ſine ulla *entitatula* multimodis variare ſi-

Digitized by Google

figuras. Nam quidquid Malebranchius & alii Carteſii ſectatores ajant, perſpicua & evidens ratio §. 42. & ſeq. Ont. accurate expoſita & ab objectis vindicata docet a Deo in corporibus creari debere vim motricem tamquam accidens abſolutum, quod a motu diſtinctum ſit, ſitque ipſius proxima cauſſa; idemque in anima uſuvenire, quod attinet ad vim percipiendi & appetendi §. *91*. Pſych. Quare tum velocitas centies major deſiderat plus vis motricis in corpore, ſive plus entis abſoluti proxime a Deo creati, ſed non eſſentialis corporis, verum accidentalis; tum amor centies major ſimile requirit in anima. Quod vero ſecundo loco dicitur de materia, quæ ſuſcipit plures figuras alias poſt alias, vel intelligit auctor de primitiva figura, quæ in ſingulis materiæ particulis ſive primitivis corpuſculis proxime a Deo creatis reperitur, & tunc nego eam poſſe variari ob evidentes rationes, quas §. 235. & anteced. Ont. produxi; vel intelligit de ſecundaria, quæ ex conjunctione plurium corpuſculorum exſiſtit, & tunc ajo eam non poſſe variari ſine motu, qui corpuſculorum ſitum aliter aliterque diſponat, atque idcirco ſine vi, a qua una motus exſiſtere poteſt. Quamobrem, miſſis Malebranchii reſponſionibus, ajo amorem centenis partibus majorem deſiderare quidem in anima plus entium non ſubſtantialium, ſed accidentalium partim abſolutorum, partim relativorum, ex quibus abſoluta creari & conſervari debent a Deo, relativa autem pendere a voluntate creata ope vis abſolutæ a Deo creatæ conſervatæque. Quo ſoluta manet Bourſierii graviſſima difficultas.

§. 180. SCHOLION VIII.

Quæ cum ita ſe habeant, conſtat nullius prorſus momenti eſſe rationes, quas homines impii adverſus humanam libertatem poſſunt afferre. Illæ enim omnino ex duplici fonte queunt hauriri, ex divina nimirum actione, quæ vim tendendi in bonum in anima creare debet & conſervare, & ex animæ natura, quæ ita comparata eſt, ut id ſemper appetat & eligat, quod majorem habet, cur appetatur eligaturque, rationem. Jam vero neutrum eidem officere libertati docuimus; non primum, quod Deus neceſſario quidem abſolutum appetendi bonum in genere actum efficit, non vero directionem ipſius in hoc potius bonum, quam in oppoſitum, quam eſſe in animæ poteſtate planum fecimus; nec alterum, quia voluntas ſemper quidem eligit, quod majorem habet rationem, ſed eodem tempore potentiam ad oppoſitum retinet. Quamobrem ab iis, quæ objiciuntur, ſeorſim refellendis hic ſuperſedere poſſemus, quin humana libertas aliquid capiat detrimenti. Nihilotamenminus ut tanti momenti veritas magis magiſque confirmetur, his etiam objectis ſuas proprias accommodabimus reſponſiones. Quare loco principii ſtatuo duo hic eſſe diſtinguenda, alterum, ipſam veluti libertatis ſubſtantiam, alterum autem, modum, quo illa explicetur, cumque Dei decretis & auxiliis inde profectis ad operationes humanæ voluntatis neceſſariis concilietur.

2. Primum enim experientia & ratione tam certum & exploratum eſt, ut nullus ſanæ mentis Philoſophus poſſit de illo dubitare. Intimi ſenſus experientiam attulimus in Pſychologia §. *56*. confirmatam ex eo, quod ſi homo in appetendo vere liber non eſſet, non potuiſſet Deus in omnibus hominibus eam, quam habent, ſuæ libertatis perſuaſionem efficere §. 58. & ſeq. Pſych. Ex quo & ex iis, quæ in Logica §. 222. & ſeq. diſſeruimus, conſequitur tam certum

eſſe

Digitized by Google

eſſe liberum in anima arbitrium, quam certum eſt exſtare corpora in hac rerum univerſitate.

3. Rationem autem elicuimus ex eadem divina bonitate, quam Deo utpote ſumme perfecto §. 50. ineſſe perſpectum & exploratum eſt. Nam experientia conſtat multa eſse mala moralia; ut plures homines Deum odio habuiſſe, quod adeo magis malum & imperfectum eſt, quo ex altera parte Deus eſt majus bonum, & ex altera humana voluntas ita comparata eſt, ut majus bonum majore debeat proſequi amore. Jam vero Deus, utpote ſummum bonum, eſſe non poteſt cauſſa efficiens & vera, quæ humanam voluntatem ad ſe ipſum odio habendum excitet & impellat; nec aliud eſt extra Deum increatum Principium, unde mala oriantur, quemadmodum adverſus impios §. 199. Ont. monſtravimus. Ergo aliud nihil eſt reliquum, niſi ut dicamus humanam mentem eſſe hujuſmodi cauſſam, quæ libertate ſibi a Deo attributa abutatur, & ſe ad malum ſub ſpecie tamen boni dirigat. Dicet aliquis eam a Deo nequaquam ad verum dirigi malum, ſed ab iis rationibus, quæ ipſam ad malum appetendum alliciunt, neceſſario excitari. Verum ſi res ita foret, Deus illam ita comparaſſet, ut quæ rationes eamdem ad malum excitantes apparerent, eædem illam ad malum neceſſario appetendum excitarent. Tunc autem eſſet vera & propria mali cauſſa, cum foret effectrix cauſſa impreſſionum, quæ ab hiſce rationibus excitantur, & ideo malorum appetituum, qui cum hiſce impreſſionibus neceſſario connexi ſunt.

4. At enim hæc evincunt quidem humanam mentem aliquando fuiſſe liberam, non vero eſſe in ſtatu præſenti. Si quis enim contenderet æternis ignibus addictas animas libere Deum odio habere & maledictis inceſſere, ex eo quod Deus nec poteſt eſſe mali moralis cauſſa, nec poteſt animas ita creare, ut ad malum appetendum neceſſitate adigantur, catholicus reſponderet has animas aliquando fuiſse creatas in ſtatu veræ libertatis, qua cum abuſæ fuerint ſemetipſis ad malnm ſub ratione boni dirigendis; Deus auxilia ad verum bonum appetendum neceſſaria juſte ſubtraxit, itaque permiſit, ut in ſua perverſa voluntate obduruerint. Ex quo fit ut illæ malæ appetitiones non quidem proximam, ſed tamen remotam ab animæ libertate originem duxerint. Quid ni ergo idem dicatur de hominum animis in ſtatu præſenti, in quo neceſſario malum appetant, eo quod olim in altero collocati ſtatu ſua libertate abuſi fuerint, ideoque juſto Dei judicio ſecundum Origenis ſyſtema incluſi fuerint in hiſce corporibus, tamquam in carceribus, quorum impreſſionibus ad malum appetendum neceſſario impellantur?

5. Multa id prohibent, illudque præſertim, quod plurimos obſervare poſſumus modo pravis ſe dare affectionibus, modo reſipiſcere & virtutem amare, & deinceps modo rurſus ad vitia redire, modo a vitiis ad virtutem ſe denuo convertere. Quod argumento eſt animas hominum non eſſe aut in ſolo vero bono appetendo, aut in ſolo apparenti obſirmatas, quemadmodum neceſſe foret, ſi ob bonas vel malas in altero ſtatu contractas affectiones a Deo ſpoliatæ fuiſſent libertate, & ad operandum neceſſitate aliqua adigerentur. Aliquæ enim pro bonis in altera vita patratis actionibus felicem ad ſolum bonum verum appetendum neceſſitatem, aliquæ vero pro malis miſerrimam ad ſolum bonum apparens recepiſſent. Quare cum videamus eaſdem animas nunc in hanc partem, nunc in alteram ſe inflectere, dicendum eſt nulla ob pravas in altero ſta-

ſtatu affectiones inducta neceſſitate adigi ad male operandum. Atque ita fit, ut allata pro humana libertate ratio & ex eo ducta, quod Deus O. M. auctor & cauſſa mali moralis eſſe non poteſt, ſuum robur tueatur.

6. In altero autem nobis quidem ea protuliſſe videmur, quæ in re tam obſcura ſatis cuicumque cordato viro facere debent; verum etſi fateremur nos omnino nodum nequaquam ſolviſſe, nec hanc rem in clariſſima luce poſuiſſe, non tamen cauſſa caderemus, ſi modo objectas difficultates ita diluimus, ut illud ſaltem compertum factum fuerit eas pro demonſtratione contrariæ ſententiæ jure ac merito obtrudi non poſſe. Siquidem ubi quidpiam certo exſtare monſtratum eſt, neceſſe non eſt eadem perſpicuitate aut docere modum quo exſtat, aut ſolvere rationes quæ contradicuntur, ſed ſatis eſt ſuperque probabiles ad illas reſponſiones accommodare §.236. n.8. Log. Jam vero non credo me arroganter facturum, ſi dicam me id præſtitiſſe in ſuperioribus, aut recipiam atque pollicear me in conſequentibus etiam præſtiturum.

7. Et revera longe abſunt a demonſtratione quæ in ultimo Pſychologiæ Scholio num. 3. & ſeq. ex Helvetio & ex aliis auctoribus exſcripſimus. Nam præcipua ratio in eo poſita eſt, quod debent eſſe rationes, quæ animam ad aliquod appetendum determinant, quia ni id foret, quirent in anima eſſe appetitus ſine rationibus, & ideo effectus ſine cauſſis; ſi vero ſunt hæ rationes, anima non ſe determinat ad operandum, ſed extrinſecus determinatur & ideo neceſſitate adigitur ad eaſdem operationes. Nam primo in anima diſtinguenda eſt ſubſtantia veluti appetitus erga bonum in genere a directione illius verſus hoc potius particulare bonum, quam verſus aliud. Primum a Deo tamquam a cauſſa efficiente ducit originem, ſecundum autem ab anima ipſa tamquam a cauſſa pariter efficiente. Nam ſicuti Deus eſt cauſſa prima in efficienda ipſius appetitus ſubſtantia per vim quam in anima creat; ita quoque anima eſt in genere directionis cauſſa veluti prima, præſertim ſi ſe dirigat ad bonum apparens, quia cum a Deo illorſum non dirigatur nec dirigi queat, apparet animam eſſe illam primam cauſſam, cum agitur de hac directione. Quare ſicuti eorum quæ a Deo procedunt, alia præter ipſum Deum cauſſa efficiens quærenda non eſt ob id ipſum, quod Deus eſt cauſſa prima; ita quod attinet ad directionem appetitus verſus hoc potius bonum, quam verſus aliud, aliam efficientem cauſſam præter animam ipſam non debemus inveſtigare. Cum hujuſmodi vero cauſſis cognitione donatis ad directionem appetitus in hoc potius bonum, quam in alterum, aliæ concurrunt, quæ non ſunt efficientes, uti ſunt rationes, quas anima conſiderans, ſuum appetitum inflectit potius verſus id quod apparet ſub ſpecie majoris boni, quam verſus id quod apparet ſub ſpecie minoris. Nam hæ rationes ab anima conſideratæ non continent vim dirigendi appetitum ad hoc potius bonum quam ad alterum, uti neceſſe foret, ſi dici deberent cauſſæ effectrices §. 36. & ſeq. Ont. ſunt enim actus cognoſcendi; actus autem cognoſcendi ipſe per ſe non continet vim dirigendi alterum animæ actum, qualis eſt appetitus; eoquod ipſe eſt effectus alterius vis §. 42. Ont., qui certe vim ab effectu vis minime pendentem continere poteſt. Sed anima eſt quæ hac cognitione utitur ad appetitum a Deo genitum aliquorſum dirigendum. Jam vero ſupra docuimus hanc majorem pro alterutra parte rationem, ſecundum quam anima ſuum appetitum certo moderatur, non tollere veram & phyſicam potentiam ad alteram partem §. ſup. n. 22. & ſeq.

8.

8. Quibus conſtitutis preſſius accedo ad Helvetium, & ajo ad eum finem ut voluntas ſit libera, & poſſit appetitum aliquorſum dirigere, aut non dirigere, poſſit dirigere verſus unam partem, & etiam verſus contrariam, neceſſe non eſſe, ut ſint appetitus ſine rationibus, & ideo effectus ſine cauſſis. Jam enim attulimus tum cauſſam efficientem ſubſtantiæ appetitus erga bonum in genere, quæ eſt Deus, tum cauſſam directionis illius erga aliquod particulare bonum non ſolum efficientem, quæ eſt ipſamet anima, ſed etiam alias concurrentes, ſcilicet rationes ſufficientes, per quas intelligi poteſt, cur potius talis directio ſit, quam non ſit, quin tamen libertas indifferentiæ ad utrumque aliquid capiat detrimenti, eo quod iis poſitis certo quidem appetitus ad tale bonum dirigitur, ſed non neceſſario. Multo minus neceſſe eſt ut poſſit appetere tam bonum, quam malum cognitum ſub ratione mali, quia ſatis eſt ut ſit in eo ſtatu, quemadmodum eſſe experientia & ratione docuimus §. ſuper. num. 16. & in Pſych. §. 60. ut plura contraria poſſint ſub ſpecie boni apparere, quia tunc ad nullum ex iis neceſſario determinatur; non ad primum quia poteſt appetere ſecundum; non ad ſecundum, quia primum. Nec inde ſequitur voluntatem eſſe facultatem vagam, nullius imperio ſubjectam, & ſine delectu & temere operari. Nam certo quidem, ſed tamen non neceſſario, eam ſequitur legem, ut ſe dirigat ad id quod majorem habet ſufficientem rationem, cur ad illud ſe dirigat. Ex quo fit ut Deus certo videre poſſit, quo ſit ſe inclinatura §. ſuper. num. 23. & eamdem poſſit inclinare quo is vult, ſine libertatis diminutione, ſi modo eam ponat in iis circumſtantiis, in quibus id, quorſum vult eam ſe dirigere, tamquam majus bonum ipſi videatur. Quamobrem errat Helvetius, dum putat objecta externa ita animam noſtram commovere, ut appetitus neceſſario conſequi debeant ea ſaltem neceſſitate, quæ liberam eligendi potentiam evertat.

9. Acutius & melius antiqui, & inter eos apud Ciceronem de Fato Chryſippus, qui ex altera parte aſſentiens communi hominum perſuaſioni, quod aliæ hominum actiones juſte laudantur & honoribus afficiuntur, aliæ vero juſte vituperantur & ſuppliciis puniantur; ex altera vero noſcens, ſi appetitus & actiones in noſtra poteſtate non ſunt, conſequi manifeſto nec laudationes juſtas eſſe, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia, hæc capite 18. citati libri litteris conſignavit, quæ a noſtra ſententia non longe abſunt. *Chryſippus autem cum & neceſſitatem improbaret, & nihil vellet ſine præpoſitis cauſſis evenire, cauſarum genera diſtinguit, ut & neceſſitatem effugiat, & retineat fatum. Cauſarum enim, inquit, aliæ ſunt perfectæ, & principales: aliæ adjuvantes, & proximæ. Quamobrem cum dicimus omnia fato fieri cauſſis antecedentibus, non hoc intelligi volumus cauſſis perfectis, & principalibus, ſed cauſſis adjuvantibus, antecedentibus, & proximis. Itaque illi rationi, quam paulo ante concluſi, ſic occurrit; ſi omnia fato fiant, ſequi illud quidem, ut omnia cauſſis fiant antepoſitis; verum non principalibus, & perfectis, ſed adjuvantibus, & proximis, quæ ſi ipſæ non ſint in noſtra poteſtate, non ſequitur ut ne appetitus quidem ſit in noſtra poteſtate. At hoc ſequeretur, ſi omnia perfectis, & principalibus cauſſis fieri diceremus, ut cum hæ cauſſæ non eſſent in noſtra poteſtate, ne ille quidem eſſet in noſtra poteſtate.*

Quamobrem, qui ita fatum introducunt, ut neceſſitatem adjungant, in eos valebit illa concluſio; qui autem cauſſas antecedentes non dicunt perfectas, neque prin-

principales, in eos nihil valebit; quod enim dicantur aſſenſiones fieri cauſſis antepoſitis, id quale ſit, facile a ſe explicari putant; nam quamquam aſſenſio non poſſit fieri, niſi commota viſo: tamen cum id viſum proximam cauſſam habeat, non principalem, hanc habet rationem [ut Chryſippus vult] quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri poſſit nulla vi extrinſecus excitata [neceſſe eſt enim aſſenſionem viſo commoveri], ſed revertitur ad cylindrum, & ad turbinem ſuum, quæ moveri incipere, niſi pulſa, non poſſunt: id autem cum accidit, ſuapte natura, quod ſupereſt, & cylindrum volvi, & verſari turbinem putant.

Ut igitur, inquit, qui protruſit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: ſic viſum objectum imprimet illud quidem, & quaſi ſignabit in animo ſuam ſpeciem, ſed aſſenſio noſtra erit in poteſtate, eaque, quemadmodum in cylindro dictum eſt, extrinſecus pulſa, quod reliquum eſt, ſuapte vi, & natura movebitur. Quod ſi aliqua res efficeretur ſine cauſſa antecedente, falſum eſſet omnia fato fieri: ſin omnibus quæcumque fiunt, veriſimile eſt cauſſam antecedere: quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum ſit? modo intelligatur, quæ ſit cauſſarum diſtinctio, ac diſſimilitudo.

10. Hactenus Chryſippus, quem ſolo naturalis rationis lumine utentem verius erat ut imitaretur Helvetius etiam lumine fidei illuſtratus, quam aut Collinium, aut Hartleyum, aut Spinoſam, aut hujus furfuris alios, quos nimia cogitandi licentia in tranſverſum egit. Quod ſi ajat ſe ut Philoſophum ſcribere, & alioquin ut Catholicum Virum libertatem concedere, ſed tamquam myſterium, quod humana ratione non poſſumus mente complecti, illud unum poſtulo ut quæſtionem an anima libera ſit, diſtinguat ab illa, in qua quæritur modus eam conciliandi cum aliis Philoſophiæ capitibus. Primam enim ut experimentis & rationibus in anteceſſum expoſitis evidenter monſtratam admittat neceſſe eſt, niſi velit cum quibuſdam, qui non philoſophantur, ſed optant, ob ſubtiles quaſdam rationes etiam corporum exſiſtentiam in dubium revocare. Quod vero attinet ad ſecundam, homini non valde repugno, modo & is aſſentiatur nullis certis rationibus confici poſſe libertatem cum aliis Philoſophiæ locis non poſſe componi.

11. Venio ad Lochium, quem tamquam veræ Metaphyſicæ reſtauratorem & parentem quamplurimi auctores ſuſpiciunt, & ajo Scriptorem hunc in libro ſecundo *Eſſai Philoſ.* cap. 21. de Potentiis, multis locis defendere quidem libertatem indifferentiæ ad plura oppoſita atque idcirco cum Religionis principiis conſentire, ſed ea proferre, quæ cum Philoſophiæ principiis parum cohærent. Contendit enim animam eſſe liberam, non vero dici poſſe liberam ipſius voluntatem, & quæſtionem hanc §. 14. ejuſdem capitis an hominis voluntas ſit libera, male fuiſſe propoſitam, & abſurdam eſſe perinde, ac ſi quis moveret quæſtionem, an ſomnus ſit velox, an virtus hominis ſit quadrata? Cujus potiſſima ratio ea eſt, quam affert §. 8. & confirmat duobus ſequentibus, in eo poſita, quod cogitatio, voluntas atque appetitus eſſe poſſunt, ubi nulla eſt libertas. Tria vero ad id perſuadendum affert exempla; primum hominis, qui fracto ponte in flumen præceps rueret, quique eodem momento vellet non cadere, & tamen in eo liber non eſt; alterum hominis, qui contra ſuam voluntatem pugnis ſe ipſum aut amicum cæderet, eoquod brachium violenta convulſione ad eum motum adigitur; tertium hominis, qui dormiens aſportaretur in carcerem, ibique experrectus offenderet amicum, quicum libentiſſime ver-

Digitized by Google

verſaretur, & ſermonem haberet, tametſi clauſis januis ibi neceſſario maneret, nec poſſet exire. Ex quibus elicit appetitiones voluntatis eſſe de iis rebus, in quibus nulla eſt libertas, atque ad id confirmandum profert etiam deſideria, quibus non raro ferimur in ea, quæ ſunt impoſſibilia, ut eſt deſiderium volandi; indeque colligit libertatem ad voluntatem & ad ipſius actiones non pertinere.

12. Quibus ut ſatisfaciam, primum ajo his ad ſummum confici appetitus voluntatis aliquando non eſſe liberos, non vero oſtendi nullos eſſe, qui libertate fruantur. Etſi enim daremus appetitiones in dictis eventibus eſſe neceſſarias, non inde conſequens foret omnes in omnibus aliis eventibus lege neceſſitatis aſtringi. Deinde adverto libertatem proprie in animæ appetitionibus reſidere, in actionibus vero corporis, quæ inde ſequuntur, eſſe ſolum aliquem externum libertatis effectum, qui ab interna corporis diſpoſitione aut ab externa cauſſa impediri poteſt, quin animæ libertas in appetendo perimatur. Et revera qui una cum ponte qui ruit, præceps in flumen cadit, nollet quidem cadere, ſed etiam poſset velle, quemadmodum accidere facile quiret in homine deſperato, qui occaſione ſumta ab impendente & jam incœpta pontis ruina, quam effugere nequit, volens ac lubens hoc præcipitium eligeret. Item qui invitus pugnis ſe ipſum aut amicum petit, poteſt libens ac volens id facere, quemadmodum uſuveniret, ſi aut in deſperationem foret adductus, aut pro amico inſenſiſſimus inimicus eidem fieret obviam. Similiter in carcere clauſus non eſt liber in manendo aut in exeundo, ſed eſt liber in eo, quod poteſt libenter, aut ſecus in eodem commorari, atque hanc libertatem indicavit illud comicæ perſonæ Italorum, dum in carcerem truderetur, *faciant quod volunt; numquam id obtinebunt, ut libenter in carcere maneam*. Voluntas autem in deſiderandis, quæ alioquin fieri nequeunt, eſt libera in eo, quod poteſt hoc deſiderium elicere, aut ab illo abſtinere. Quæ cum ita ſint, quis manifeſte non videt appetitus voluntatis vera interna libertate gaudere? Quod ſi ita eſt, ego certe non video, cur alioquin acutus Philoſophus hanc communi ſententiæ litem intenderit. Nam ſi voluntatis appetitiones liberæ ſunt, quid ni dicatur voluntas eſſe potentia libera non minori jure, quam dicitur anima, quæ hujuſmodi eſt propter appetitiones, quas libere exercet? Multo minus videre poſſum rationem, cur alii eidem aſſenſi fuerint hac in diſputatione, in qua vitiligare mihi videtur, niſi advertiſſem immodica hujus Philoſophi auctoritate factum fuiſſe, ut quemadmodum in Ontologia atque in Pſychologia feci perſpicuum, in aliis etiam quampluribus Metaphyſicæ locis hunc Philoſophum tamquam tutiſſimum Ducem nimium ſervili more ſequerentur. Lochio & aliis, qui eum ſequuntur, oppono Joannem Erneſtum Gunnerum, qui in Tractatu Philoſoph. de Libertate edito Jenæ an. 1747. diſputans adverſus Anonymum quemdam qui in *Obſervationibus Halenſ. Select. ad rem litterariam ſpectantibus* Tom. I. obſ. 12. libertatem a captivitate & ſervitute ad libertatem neceſſario requirebat, hæc ſcribit in Scholio II. *Sed vero cum actiones voluntariæ & per conſequens omnes volitiones & nolitiones noſtræ actiones liberæ ſint, facile liquet ſervum in rigidiſſima ſervitute & captivum in carcere conſtitutum liberrime agere poſſe, ideoque libertate gaudere. Ubi enim volitiones & nolitiones liberæ eſſe poſſunt, ibi facultas volendi & nolendi pro lubitu ideoque libertas adſit oportet. Hinc etiam perſpicere potes, cur* li-

Digitized by Google

libertatem facultatem pro lubitu volendi & nolendi dixerim. Etenim ſi libertas hoc pacto definiatur, omnibus adverſariorum rimis evadendi optime obcluditur. E contrario ſi libertatem, excluſis volitionibus & nolitionibus, ad alias actiones reſtringamus, aut eam per facultatem pro diſtincto lubitu univerſali hanc, vel illam actionem externam producendi definiamus, innumeræ oriuntur difficultates, quibus tollendis non ſumus pares. Vide Celſ. Vagner l. c. §. 55. 57. pag. 104. 122. *Non negamus libertatem ſeſe mediate, mediantibus ſcilicet volitionibus & nolitionibus, in operationibus aliarum facultatum animæ exſerere. Nihilotamen minus immediate & principaliter libertas ſeſe ſemper in volendo & nolendo exſerit. Quamvis igitur impedimenta phyſica adſint, quæ faciunt ut hanc, vel illam actionem externam producere nequeamus, hoc tamen non obſtat quominus libere agere poſſimus, dummodo pro lubitu velle & nolle in noſtra poteſtate ſit.*

13. Magis faciunt ad confirmationem ſententiæ Lochianæ rationes, quæ ab aliquibus afferuntur, ut ſuadeant libertatem poſitam eſſe in illo judicio, quod a Scholaſticis dicitur ultimum & practicum judicium, quo mens judicat rem aliquam ſibi aut tamquam bonam eſſe appetendam, aut tamquam malam eſſe repudiandam, appetitionem autem aut averſationem inde neceſſario conſequi, & ideo ipſas per ſe proxime liberas non eſſe, ſed ſolum remote & in cauſſa, quatenus anima judicium illud elicere poteſt, & non elicere. Cum enim in communi ſententia judicium ſit actus intellectus, inde conſequeretur libertatem proprie ad intellectum pertinere, non ad voluntatem. Hanc celebrem controverſiam tractat laudatus Gunnerus ibidem in Scholio *6*. §. 73., ut de aliis quampluribus taceam. Verum nec ipſe, nec alii mihi videntur hanc rem acu tetigiſſe, nondum prorſus dijudicata illa inter Carteſianos alioſque Philoſophos quæſtione, an judicium ſit actus intellectus, an voluntatis. Cui cum mihi videar in Logicis §. 180. & ſeq. finem impoſuiſſe, arroganter me facturum non arbitror, ſi ajam me poſſe hanc quoque ab illa pendentem ad vivum reſecare. Quod ſic conſequor. Vel hujus judicii nomine intelliguntur ii mentis actus, quibus anima cognoſcit rem aliquam eſſe ſuimetipſius perfectionem, aut imperfectionem, & ideo ſibi bonam, aut malam, & a ſe appetendam aut repudiandam, vel intelliguntur aſſenſus aut diſſenſus qui eas perceptiones ſequuntur. Si primum, duo jam conſtant, primo judicium illud ut pote puram perfectionis aut imperfectionis rei cognitionem pertinere ad intellectum, deinde aſſenſus aut diſſenſus ſequentes neceſſarios non eſſe in iis conditionibus, quas ſupra poſuimus §. anteced. num. *16*. & in Pſych. §. *60*. ſi res ita appareat ſub ſpecie boni, aut mali, ut nihilominus contrarium, aut contradictorium ſub ſpecie mali, aut boni apparere poſſint, quemadmodum nec aſſenſus, aut diſſenſus ſunt neceſſarii, qui propoſitionibus ſolum veroſimilibus dantur, idque ob eamdem rationem §. 217. Log. quia veritas propoſitionis tantum veriſimilis eſt ejuſmodi, ut etiam contradictoria veri ſimilitudinem poſſit habere. Quod ſi huic rei anima non neceſſario aſſentitur, ſive illam neceſſario non appetit, quatenus eſt cognitio intellectum perficiens; multo minus appetere neceſſario debet, quatenus eſt aliquid ſe ipſam perficiens, eoquod a cognitione pendet voluntas in appetendo, & cognitio ſolum probabilis, & ideo incerta boni voluntatem neceſſario trahere nequit §. antec. num. *16*. Nam inter aſſenſus & diſſenſus ex altera parte, interque appetitiones & averſationes ex altera hoc intercedit diſcrimen, quod aſſenſus & diſſenſus ſunt quædam appetitionum & aver-

ſa-

Digitized by Google

ſationum ſpecies, adeout omnis aſsenſus ſit appetitio, & diſsenſus averſatio; non contra; nam aſsenſus eſt appetitio cognitionis rei, quatenus ea cognitio perficit intellectum; appetitio autem eſt ipſius rei, quatenus animam perficit, quamcumque ipſius partem perficiat. Jam vero fieri quidem poteſt ut detur aſseuſus cognitioni rei ſine appetitu ejuſdem rei, ut in Log. §. 188. uſuvenire docui in iis veritatibus quæ animæ moleſtæ ſunt, quia res poteſt non apparere bona ſive animam perficiens, quamvis ipſius cognitio bona, utpote intellectum perficiens, appareat; non autem fieri quit ut ſuſpendam aſsenſum in hanc propoſitionem *hæc res eſt mihi bona & a me appetenda*, & nihilominus eam appetam tamquam bonam, quia appetitus non efficitur & excitatur niſi a cognitione boni, & ab ea cognitione, quæ me moveat, cuique idcirco aſſentiar tamquam rei, quæ a me ſit appetenda. Quamobrem in hoc primo eventu, poſita cognitione perfectionis aut imperfectionis rei & quod ea ſit appetenda, aut fugienda, appetitus & averſationes non neceſsario conſequuntur. Cum vero ſolæ cognitiones ad intellectum pertineant, aſsenſus vero & diſsenſus ſequentes voluntatis ſint actus §. 180. Log. illud etiam conſequens eſt libertatem non in actibus intellectus, qui neceſsarii ſunt, niſi voluntas ſe libere ad eos applicet, ſed in actibus voluntatis eſse quærendam.

14. Sin autem ſecundum, ajo quod attinet ad quæſtionem, quam habemus cum Lochio, eſse perinde, ſive quis affirmet poſito dictu aſsenſu appetitionem neceſsario conſequi, ſive quis neget, eoquod cum uterque actus ad voluntatem pertineat, inde fit ut libertas in actionibus voluntatis reperiatur, & ideo voluntatis proprietas dici poſſit. Quod ſi quis meam roget ſententiam, reſpondeo mihi propius ad verum accedere videri, poſito firmo aſsenſu, quod ea res ſit mihi bona, & hic atque nuuc a me appetenda, continenter appetitionem inſequi ut amplius ſuſpendi non poſſit; cum enim mens eum dat aſsenſum eidem rei tamquam ſibi bonæ & appetendæ, nullam tunc habet rationem earum rationum, quæ illius contrarium aut contradictorium tamquam bonum & appetendum proponunt, quia ſi haberet, adhuc ſuſpenſa perſtaret. Quod ſi eas rationes tunc non conſiderat, perinde eſt, ac ſi eo momento illa tantum res ſub ratione boni appareat. Cum autem voluntas in bonum neceſſario feratur, concludendum eſt eam neceſsario appetere dictam rem, quæ ſola tunc ſub ratione boni cognoſcitur. Ita fit, poſito dicto aſsenſu, appetitionem eſse neceſsariam, & ideo libertatem proxime in aſsenſu, non in appetitione ſequente eſse ponendam. Verum non ſum valde ſollicitus hac de re, quæ parum refert ad ſummam quæſtionem quam habemus præ manibus.

15. Magis mihi cordi eſt a quibuſdam objectis vindicare libertatem Dei quæ cum hominis libertate neceſſitudinem habet, quia cum hominis libertas originem ducere debeat a Deo, qui rebus creatis dare non poteſt, quod ipſe non habet, ſequeretur hominem eſse libertate ſpoliatum, ſi Deus neceſſitate naturæ ad agendum impelleretur. Hæc autem objecta propoſita fuerunt ab Alethino Liberto in quodam tractatu germanico, & quantum colligo ex quibuſdam verbis latinis Gunneri in ſch. §. 119. interpoſitis inter textum germanicum auctoris ſunt hæc tria; 1. libertas conciliari non poteſt cum divina immutabilitate; 2. Deus unum tantum ſibi poieſt ut optimum repræſentare, & ideo eligere, quia voluntas optima ad optimum neceſsario tendit; 3. qui peccare & libertate abuti non poteſt, non eſt liber. Deus autem abuti libertate & peccare nequit. Ergo

Digitized by Google

non eſt liber ; quæ ratio a Gunnero refertur atque refellitur in Scholio 2. §. 127.

16. Primam rationem jam diluimus §.29.& ſeq. ubi Dei libertatem cum ejuſdem conciliavimus immutabilitate, & oſtendimus divinum decretum eſſe ſimul liberum, & neceſſarium atque immutabile; liberum quia Deus poterat ab æterno decernere creationem mundi, & non decernere, creationem hujus & alterius cujuſcumque §. 84. neceſſarium & immutabile tum abſolute, tum relative ; abſolute, quia abſolute Deus idem fuiſset, quodcumque ab æterno facere decreviſſet §. 27. relative, quia cum omnia perfectiſſime ab æterno norit, nulla poteſt eſſe nova ratio, quæ ipſum moveat ad aliud ſtatuendum. Nec ulla inde ſequitur libertatis imminutio, quia cum nulla ſit in Deo rerum ſucceſſio, & tempus, idem eſt nunc, atque fuit ab æterno : cumque ab æterno fuerit liber, etiam nunc & in omne tempus futurum libertate gaudere dicendus eſt. Quibus cum primæ rationi ſatis ſuperque fiat, nulla eſt ratio, cur in ea diluenda diutius immoremur.

17. Secundam & tertiam rationem ſolvit Gunnerus diſtinctione neceſſitatis moralis, quam Deo tribuit in eligendo optimo, & in cavendo libertatis abuſu, non phyſicæ, quam in Deo revera eſſe & ad libertatem indifferentiæ requiri contendit. Verum quod attinet ad ſecundam, ajo tantum abeſſe ut Deus ad optimum extra ſe operandum dirigatur, ut quemadmodum docui §.90.&ſeq. neque dirigi poſſit, non ex defectu Dei, qui eſt omnipotens, ſed ex defectu poſſibilitatis rei, quæ ſit optima ſaltem in ſenſu abſoluto. Nam quod attinet ad relativum, in ſcholio ſequenti §. 93. non valde repugnavi in dando adverſariis mundum hunc eſſe optimum & perfectiſſimum ratione habita finis, quem ſibi in ejuſdem creatione propoſuit, talis nimirum ac tantæ manifeſtationis eorum ſuimet attributorum, quæ manifeſtare ſibi propoſuit. Sed mundi in hoc ſenſu optimi plures ſunt, tot ſcilicet, quot fines ſibi Deus proponere poterat, ad quos mundi creationem referret. Ex quo fit, ut Dei voluntas ad unum tantum mundum minime determinetur. Nec dixeris Deum ſibi debuiſſe proponere finem omnium optimum ac perfectiſſimum. Concedo enim quod attinet ad ſubſtantiam ſive qualitatem finis ejuſdem, non quod attinet ad modum & intenſionem. Optimum enim illum finem manifeſtandi ſuas perfectiones debebat eligere, eoquod ſe ipſum rebus a ſe creatis anteponat oportet; & revera Deus Angelos & homines ad eum finem retulit, ut ſe ipſum Bonum ſumme perfectum in cœleſti Regno clare perſpicueque & ſicuti eſt cognoſcerent, atque viderent. Verum in hoc ipſo quot in infinitum gradus majores atque majores eſſe poſſunt, ut numquam tamen ad ultimum omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſſimum queat perveniri? Quod ni ita foret, in illud incideremus abſurdum, quod finita mens Deum abſolute infinitum comprehenderet. Quare Deus ita liber eſt, ut ſibi ab æterno propoſuerit finem aliquem ſaltem quod attinet ad ipſius modum & intenſionem, minus perfectum infinitis aliis, quos ſibi proponere poterat. Nec id dedecet Deum, qui ut Ens a ſe, eſt prima ratio, unde res ab alio profluunt & determinantur, nec a natura rerum creandarum, ſed a ſe ipſo tantum petere debebat rationem, cur illas crearet. Contra quam uſuvenit in mentibus creatis, quæ, utpote auctori ſuo ſubjectæ, libere quidem, ſed tamen certo eam legem ſequuntur, ut ſemper eligant id, quod majorem habet rationem, cur eligatur. Quorum altero id conſequimur, ut melius quam Leibnitiani, vitemus ſatum, cujus legibus ſuum quoque Jovem

vem

vem Gentiles teneri volebant; altero autem, ut fortuitos eventus nec ipſi Deo cognitos ab hac rerum univerſitate ablegemus.

18. Cum vero poſſit eſſe libertas indifferentiæ tum in appetendo bono, aut malo, quæ dicitur contrarietatis, tum in eligendo aliquo ex pluribus bonis cognitioni propoſitis, quæ eodem nomine appellatur, tum denique in appetendo aliquo bono, aut non appetendo, quæ dicitur contradictionis, quis non videt nullius eſſe momenti tertiam rationem, ex qua patet Deum eſſe expertem ſolius primæ libertatis, quæ, ut libertas valde imperfecta, perfectiſſimum Numen penitus dedecet? Quare longius non faciam, cum ex ſuperioribus conſtet Deum aliis duabus libertatibus gaudere.

19. Inter eos, qui libertatem ex profeſſo impugnarunt, fuit impius Hobbeſius, quem Cl. Harris ejuſdem nationis acerrime confutavit in opere, quod inſertum eſt in tomum II. pag. 70. Hagæ 1739. Collectionis Burneti Commentariorum, quibus aliqui præſtantes Angliæ Scriptores Religionem Naturalem ac Revelatam accurate defenderunt. Non valde moror præcipuam ipſius rationem, quam proponit atque confutat Cl. Monilia ſub initium tomi II. libri ſupra commemorati adverſus Fataliſtas, in eo poſitam, quod cauſſa ſufficiens ad effectum gignendum illum neceſſario gignere debet, ſublatis omnibus agendi impedimentis, quodque anima nihil quod non habeat, ſibi dare poteſt, nec idcirco ullum elicere actum, quo in hoc potius bonum, quam in aliud quodcumque tendat, ſed aliunde accipiat, ideoque neceſſario eumdem eliciat neceſſe eſt, cum nihil cauſſa cujuſdam entis eſſe non queat. Non, inquam, valde hanc moror rationem, quod primam ipſius partem ſatis diluimus, cum adverſus Helvetium alioſque Fataliſtas oſtendimus in Rationis ſufficientis Principio, ad quod Hobbeſiana cauſſæ ſufficientis ratio revolvitur, nihil eſſe, quod animæ potentiam ad oppoſita labefactet; alterius autem vim elevavimus, cum abſolutum appetendi actum per vim in anima a Deo creatam gigni ab eodem docuimus, directionem autem ejuſdem, quæ eſt ſolum aliquod relativum, ab anima proficiſci §. 179. n. 25. Tantum enim abeſt ut vi creandi, quæ in ſolo Deo eſſe poteſt, relativa indigeant, ut neque ipſa per ſe proxime creari poſſint, ſed ex rebus ſive ſubſtantiis atque viribus creatis exſiſtant §. 42. Ont. Quid ergo miri & incredibilis eſſe poteſt, ut quemadmodum Deus in corporibus ita creavit vires determinatas ad unum relativum, ex quibus illud unum neceſſario exſiſteret; ita in animabus toto cœlo a corpore diverſis crearit vires duorum oppoſitorum capaces, quibus ſe anima ad alterutrum determinaret atque dirigeret?

20. Nec pariter diu verſabor in ea refutanda ratione, quam impiiſſimus Spinoſa ex ſua hypotheſi unius infinite extenſæ & ab æterno exſiſtentis cognitione & motu, tamquam duobus ipſius attributis, donatæ ſubſtantiæ, & ex infinita ſerie cauſſarum, quarum aliæ ab aliis pendent, & ex quarum ultima actio quælibet voluntatis pariter neceſſario generatur, deduxit. Cum enim hanc inſanam hypotheſim manifeſtæ falſitatis coarguerimus §. 29. n. 9., plane conſequens eſt nullius eſſe roboris, quod ex ea colligitur, nec opere pretium eſſe illud ſeorſim refellere.

21. Potius arbitror eſſe digna in quibus refellendis hic operam ponam, quæ a fati defenſoribus contradicuntur adverſus rationem ductam a bono, & malo morali, & a premio & pœna, quibus eadem afficiuntur. Hæc autem ratio ſic fere concluditur. Si anima ſemper neceſſitate adigitur ad id appetendum, quod

X 2 ap-

Digitized by Google

appetit, & ad efficiendos in corpore motus, qui ex appetitu ſequuntur, nec laudem & premium aliquod meretur, ſi verum eligat bonum, nec vituperationem aut pœnam, ſi malum, ſive bonum tantum apparens. Nam foret uti machina, quam neceſſitas cogit ad aliquos motus, qui ſi rati ſunt & conſtantes, & ad finem, ad quem machina relata fuit, convenienter tendant, non eidem ſed artifici, qui eam ſic compegit, ut ordinatos efficeret motus, laudi dandum eſt; ſi varios & inconſtantes atque a ſuo fine diſſentientes edat, pariter artifici, qui eam ita compaginarit, ut tales ederet, eſt vitio aſcribendum. Ex hoc ſequeretur juſtum non eſſe, ut vel Deus, vel qui Dei vices in terris gerunt, alios homines, qui ſceleribus ſe obſtringunt, & humanæ ſocietati ſunt noxii, punirent; immo ſequeretur nullum eſſe malum morale in hominibus, ſed omnia eſſe naturalia & phyſica; quæ a neceſſariis naturæ legibus orirentur. Jam vero omnes orbis terraquei populi, locis atque temporibus disjuncti, in eo conſentiunt eſſe alias actiones bonas, laude & premio dignas; alias malas & vituperatione ac pœnis coercendas, & primas juſte mercedem recipere, ſecundas juſtis pœnis coerceri non ſolum ab aliis hominibus, quibus hominum ſocietates ſubjectæ ſunt, verum etiam a Deo, nec tantum in præſenti vita, ſed etiam in futura, quemadmodum in Pſychologia §. 130. docuimus: immo ipſimet, qui ſe ſceleribus commacularunt, quamtumcumque ſe excuſare nituntur, tamen in intimis animi receſſibus ſe accuſant, & vituperatione ac pœna dignos ſe exiſtimant; hæcque univerſalis hominum perſuaſio nullis aboleri potuit rationibus, quas impii ad eam radicitus evellendum congeſſerunt, quod profecto contigiſſet, ſi inanis foret & falſo ſuſcepta a teneris annis, quemadmodum alias plures falſas infantiæ opiniones excutimus. Quamobrem ſecundum principia, quæ hac de re in Logicis ſtatuimus, §. 233. n. 14. dicendum eſt hanc perſuaſionem ab auctore naturæ fuiſſe impreſſam, & ideo a veritate nequaquam alienam. Ex quo fit ut id quod ex negata hominis vera libertate conſequitur, ſit prorſus falſum, & ideo libertas hominis ſit res propemodum certa & explorata.

22. Hobbeſius atque Spinoſa perfricta fronte communem omnium nationum conſenſum deſerentes, non verentur ab hac rerum univerſitate omne morale bonum aut malum ablegare, & maximis ſceleribus neceſſitatis prætextum obtendere. Ex quo deinde colligunt injuſtos eſſe Judices & Magiſtratus, qui de ſontibus ſumunt vindictam, & ultimo quoque ſupplicio puniunt. Sed ut optime diſputat laudatus Harriſius, videant ne contradictoria loquantur. Nam in ipſorum hypotheſi non minus neceſſaria eſt interfectio hominis, quam alter privata auctoritate patrat, quam illius mors, quam Judices & Magiſtratus publica decernunt. Quod ſi ita eſt, utraque moralis injuſtitiæ culpa vacat. Quid ergo privatorum crimina excuſant, inflictas publica auctoritate pœnas vocant injuſtas? Aliud reſpondere non poſſunt, niſi ſe neceſſitate cogi ad ita ſentiendum atque ſcribendum. Ergo neceſſitas eos impulit ad falſum ſentiendum; quod in contradictoriis neceſſario continetur. Quis ergo fidem habeat hiſce hominibus, quos fatali quadam neceſſitate ad falſum opinandum trahi videamus? Quod ſi his coacti rationibus ajant tum privatorum, tum publicæ auctoritatis actiones ob dictam neceſſitatis legem omni culpa vacare, aliqua certe cauſſa illos ad ita opinandum coegit. Quid ni ergo eadem cauſſa in ceteris hominibus, quorum diſſimiles non fuerunt Hobbeſius atque Spinoſa aliique

pauci

pauci libertatis oſores, idem præſtitit? Immo in ipſorum ſyſtemate alia cauſſa impulit ad aliter ſentiendum. Quæ cauſſa fuit ne cœcus quidam impetus, ſeu vis a Deo impreſſa hominibus, & in iiſdem creata ſecundum ea, quæ diximus in Logica §.233. n.14.; an evidentia rationum, quæ aſſenſum extorſit pro humanæ mentis libertate? Si primum, ex iis, quæ alias diſputata ſunt de ſumma Dei perfectione & bonitate, qui nec falli nec fallere poteſt §. cit. plane colligitur non potuiſſe Deum impellere homines ad hoc de ſui libertate judicium ferendum, niſi revera hæc libertas in ipſorum anima reperiretur. Quod ni ita foret, illos Deus mirifice feſelliſſet. Sin autem ſecundum, quid ni eidem evidentiæ, quæ eſt primum noſtræ cognitionis principium §. 220. Log. omnes cedant, & ſuam aliorumque liberam eligendi facultatem tueantur? Quamquam & ipſa evidentia rationum eſt medium, quo Deus utitur ad extorquendum aſſenſum §. ſupra cit. Ex quo fieret Deum eſſe culpandum, ſi eadem evidentia quod falſum eſt, patefaceret.

23. Collinius cum Hobbeſio & Spinoſa inevitabilis neceſſitatis defenſor optime videns omnem Rempublicam everſum iri, ſi locum non habeant ulla premia pro bonis & ullæ pœnæ pro malis, quibus duobus quælibet continetur, ſperavit ſe poſſe vitare invidiam, quam apud omnes cordatos viros duo illi ipſius anteſignani ſubierunt, negando ex ſyſtemate neceſſitatis conſequi premia & pœnas a Rebuſpublicis eliminari oportere, propterea quod retinenda ſunt non quidem, ut alii putant, tamquam debitæ bonis eſt malis mercedes, ſed tamquam remedia quibus futura mala caventur, ne ſcilicet aliis civibus ab aliquo damnum inferatur, atque ut ipſe pravus ad meliorem redeat mentem. Quod ipſe duobus exemplis confirmat, altero belluarum, quæ licet neceſſitate ad aliquid operandum incitentur, tamen premiis & pœnis afficiuntur, ne aliis noceant, & ut ſe corrigant, atque ut aliquibus exercitiis humanæ ſocietati utilibus aſſueſcant; altero infantium, in quibus educandis, tametſi bene ſciamus nondum libertate gaudere, idem propemodum obſervamus.

24. Verum hic quoque contradictoria ſentit & loquitur. Dum enim ſcribit premia & pœnas in adminiſtratione Reipublicæ eſſe retinenda, tametſi omnes hominum actiones neceſſitatis lege teneantur, non videt ſe eodem tempore putare poſſe hæc ab hominibus retineri, & non retineri. Si enim aut neceſſario retinentur, aut neceſſario negliguntur, nullum eſt in hominibus eadem retinendi, aut non retinendi debitum. Et revera ideo ſine contradictione poſſumus affirmare beſtias & infantes corrigi debere, quia ſunt homines ratione & libertate donati, ad quos illud debitum refertur, tamquam ad eos, qui corrigere, aut correctionem omittere poſſunt. Ut igitur Collinius & alii Fataliſtæ ſecum conſtent, illud unum, me auctore, ſentiant & ajant premia & pœnas eſſe humanæ ſocietati Rebuſque publicis utilia, ideſt ſi ſunt aliqui homines, qui humanæ ſocietati quibuſdam ſuis neceſſariis actionibus rem utilem faciunt, & alii, qui eam diſturbant atque corrumpunt, eſſe quoque eidem ſocietati valde utile, ut alii ſint, qui premiis primos tueantur atque in longum tempus conſervent, quo utiles eſſe perſeverent; pœnis ſecundos coerceant, & etiam perditum eant, ne ſocietati exitium importent. Quo poſito videat Collinius an ſartatectas teneat regulas morum, & Rerumpublicarum cardines, quales ſunt premia & pœnæ, quæ certe conſiſtere nequeunt, ſi nihil ab hominibus fieri debeat, aut non fieri, ſed omnes ipſorum actiones vinculo neceſſitatis ſint col-

Digitized by Google

colligatæ. Nihilotamen minus confidenter gloriatur tantum abeſſe ut ea labefactet, ut potius ipſius ſyſtema magis, quam libertatis indifferentiæ, cum iiſdem conſentiat, ob eam rationem, quod homines nimium in vitia præcipites ruerent, ſi libertate uterentur, quaſi non magna nunc foret ſcelerum in toto mundo vis, tametſi neceſſitatis ſyſtema per ipſum obtineat. Videat etiam inde conſequi totius humanæ vitæ everſionem, atque omnium artium, quibus eadem continetur. Cum enim artes & ſcientiæ practicæ ſint habitus ſive facilitates alicujus rei difficilis efficiendæ, repetitis actibus comparatæ, hujuſmodi res debet eſſe ex iis quæ neceſſario non fiunt. Ad illam enim quæ neceſſario fit, cum facilitate faciendam opus non eſt ſe in illa ſæpius exercere, ſed continuo fit ſtatim ac cauſſæ illius efficiendæ vim cohibentes ſunt præſto; nulla vero ratione fieri poteſt, ſi abſint. Ita nulla in cadendo ex alto facilitas acquiritur, quia ſummotis corporibus, quæ inter tellurem & corpus grave interponuntur, grave ſuo pondere neceſſario deorſum delabitur. Bene vero comparatur facilitas ſaltandi, quia ſaltus cauſſas neceſſarias non habet, ſed repetitis ſaltibus homo paulatim aſſueſcit ad hunc motum perficiendum. Ut vero hi habitus acquirantur, duo neceſſaria ſunt, animalia quæ præcepta & regulas cujuſdam rei efficiendæ dare poſſint, & animalia, quæ has regulas addiſcere & ad uſum deducere queant. Jam vero ſi omnes omnium hominum actiones neceſſariæ ſunt, quænam regulæ ad aliquid efficiendum idoneæ tradi poſſunt de eo, quod a diſcipulis neceſſario fieri debet, ſi adſint idoneæ cauſſæ, nullo modo fieri poteſt ſi abſint, ab iis magiſtris, qui regulas idoneas docebunt, ſi ad id neceſſario impellantur, nullas vero hujuſmodi proferent, ſi neceſſarius deſit impulſus? Urgebit tamen Collinius belluas neceſſitate naturæ ad operandum impelli, nihilotamen minus alias ab aliis condoceſieri, & uſum aliquarum rerum addiſcere. Multa a multis dicuntur de animæ belluarum libertate, ut inter alios videre licet apud laudatum Moniliam parte ſecunda ſect. 4. citati libri, in qua difficultati ſupra expoſitæ Collinii ſatisfacere conatur. Ego autem operæ pretium arbitror referre ſententiam Gunneri, qui in Tractatu Philoſ. de Libertate cap. 4. aliquam, ſed longe inferiorem humana libertatem iiſdem attribuit. Hæc enim habet in ſcholio I. §. 82.

25. *Oppido multi dantur qui ſibi perſuadent bruta neceſſitate naturæ (intrinſeca phyſica) ad appetendum & averſandum neceſſitari; hinc libertatem a neceſſitate (indifferentiam formalem ſeu contingentiam phyſicam) de actionibus eorum non prædicari poſſe autumant. Ab his ſtat Alethinus Libertus in tract. cit. §. 3. . . . Nec raro alii dicunt hominem per libertatem a neceſſitate a rebus inanimatis & animalibus irrationabilibus, ſcilicet brutis diſtingui. Si autem ad experientiam attenti calculos noſtros recte ſubducamus, brutis libertatem a neceſſitate tribuamus oportet. Multæ enim actiones cum earum oppoſitis hic & nunc in poteſtate eorum poſitæ ſunt. Multa proſtant exempla, unde conſtat ea ad oppoſitas actiones ſe determinare poſſe. Canis ex. g. currens, ad locum paluſtrem veniens, motum ſuum aliter determinat, & iterum jam celeritatem, jam directionem motus ſponte mutat. Exempla ſunt egregia quæ allegantur in Tract. Germ. . . . . , pag.* 84. 88. *ubi exempla plane mira occurrunt. Item Amuſement Philoſophique ſur le langage des bêtes* pag. 91. 93. *Quod autem ad exemplum attinet, ad quod loco citato provocat Alethinus Libertus, experientia docet canem cibum propoſitum ſæpenumero intactum relinquere. Non raro enim contingit canem quammaxime eſurien-*

gientem per minas Domini ab eſca avocari ; unde facile patet eum non neceſſitate phyſica , ſeu fatali & mechanica ad eſcam capiendam determinari , ita quidem ut majore cum ratione aſſerendum ſit eum per repræſentationes boni & mali ſenſitivas ſeſe ad edendum & non edendum determinare. Provocat auctor nominatus ad uſum loquendi , ſed non ſatis accurate exinde evincitur quod probare voluit. Hactenus Gunnerus, qui ſubdit ex negato belluis uſu loquendi inferri quidem eas libertate perfecta & abſoluta , qualis eſt in hominibus , carere , non vero expertes eſſe cujuſcumque libertatis circa res , quæ cadunt ſub ſenſus . Cujus auctoris ſententia congruere videtur cum noſtris principiis §.30. & ſeq. Pſych. ubi diſcrimen animæ belluarum ab humana explicavimus . Nam ſi anima brutorum res ſingulares atque ſub ſenſum cadentes non ſolum cognoſcit directe, ſed etiam reflexe , & circa eaſdem judicia & ratiocinia ſolum ſingularia format , quid ni iiſdem aliquam circa hæc eadem objecta libertatem eligendi tot experimentis firmatam tribuamus? Nec inde ſequitur eaſdem poſſe proprie mereri & demereri, & morali merito aut culpa ſe obligare, quibus cognitio propoſitionum univerſalium , & perfectiores reflexio , ratiocinatio & libertas inde exſiſtentes neceſſariæ ſunt . Cum enim percipere nequeant niſi bonum ſub ſenſus cadens , ad illud neceſſario determinantur, nec poſſunt niſi inter plura ſenſibilia bona eligendi facultatem habere . Meritum autem & culpa eſſe non queunt, niſi in illa cognoſcente ſubſtantia , quæ tum cognoſcere poteſt & bona , qualia ſenſibus apparent , & bona , qualia rationi , & inter eadem facultatem eligendi obtinere. Quod ſi res ita ſe haberet, plane corrueret argumentum ſupra expoſitum in ſententiam Collinii , eoquod ex dictis conſtaret aliquam eſſe circa res ſub ſenſum cadentes libertatem in belluis , quæ ſit fundamentum , cur aliæ ex ipſis munere præceptoris, aliæ munere diſcipuli in quibuſdam addiſcendis exercitiis ſungantur . Ergo manet ex premiis atque pœnis, quibus apud omnes Gentes actiones humanæ afficiuntur, firmiſſimam duci rationem pro animæ libertate .

27. Sed adhuc urgeri poteſt ad eum finem ut alii ſint homines , qui artes & præſertim artem bene vivendi doceant, & alii , qui addiſcant , atque ut premia & pœnæ diſtribuantur , neceſſarium non eſſe , ut homines libertate fruantur , ſed ſolum ut Deus eoſdem ad hæc præſtanda primum idoneos crearit , deinde conſervando determinet. Si homines ſocietati utiles ſemper premiis allicerentur, & noxii pœnis deterrerentur , infirmum quidem , ſed aliquod tamen foret perfugium hujuſmodi. Nunc vero cum experientia compertum fiat contrarium uſuvenire , quis ſanæ mentis credat Deum ſumme bonum ita homines comparaſſe, ut multos ſocietati utiles pœnæ fere ſemper neceſſario conſequerentur, noxios autem præmia? Quare niſi velimus Deum tot quæ ab omni ratione abhorrent , auctorem facere , malorum originem non ab ipſomet Deo, ſed ut ſupra confecimus num. 21. ab humana libertate repetamus neceſſe eſt . Omnes, inquies , quamtumvis pravæ hominum actiones , libertate ſublata , non forent mala moralia, ſed ſolum phyſica & naturalia , quorum auctorem Deum facere non eſt a ratione diſſentaneum , eoquod neceſſitate quoque phyſica monſtra oriuntur, & pluviæ in loca deſerta ſine ullo commodo cadunt , & alia ſexcenta mala naturalia in hac rerum univerſitate obſervantur . Concedo equidem, & hoc ipſum eſt, quod hujus ſyſtematis falſitatem maxime evincit . Verum ajo diſtinguendum eſſe inter mala phyſica , quæ in ſolis corporibus accidunt,

in-

Digitized by Google

interque illa quæ in ſubſtantiis ſenſatione & cognitione donatis. Prima nullis doloribus aut voluptatibus obnoxia ſunt; hæ vero eorumdem capaces, quamtumvis neceſſitate adactas velimus ad operandum. Deum vero auctorem facere exquiſitarum doloris ſenſationum, quibus homines etiam ſocietati utiles ſine ulla ſua culpa ſæpius afficiuntur, mihi videtur nimium a ſumma ipſius bonitate diſſentaneum, quam ut concedere poſſim. Quamobrem tamquam rem omnium certiſſimam & maxime exploratam teneo humanam animam ſuis in actionibus appetendi liberam eſſe, inde originem moralium malorum eſſe repetendam, & hac de cauſſa tum premia & pœnas in qualibet bene temperata Republica juſte diſtribui, tum artes & diſciplinas ad hominum vitam regendam eſſe inſtitutas.

28. Antequam ab hoc loco diſcedam, non erit abs re exſcribere quædam ex capite I. lib. I. Operis conſcripti a Cl. Marchione Gorini, inſcriptique *L'Uomo Trattato Fiſico Morale*... in Lucca 1756., ex quibus apparet ratio cur Deus hominem liberum creare debuerit. „ Creavit innumeros ſpiritus (ſunt ejus verba in latinum verſa) qui cœlum incolerent & honorarent, quotieſcumque ſe ipſos dignos reddidiſſent in brevi certamine ab ipſis habendo cum ſuperbia, quam inſpirabant eorum libertas, & elevatio ad thronum, unde deſcendebant; hoc pacto decernens ut corona, jure ac merito comparata, foret baſis ac fundamentum felicitatis, quæ, niſi ita decreviſſet, foret minus perfecta. Ecce originem libertatis partus ſapientiſſimi Greatoris, qui ſubſtantiam creatam voluit ſuæ beatitudinis ex parte aliqua auctorem. Quemadmodum ſi quis Rex modo ex ſtercore nullius meriti hominem ad regalem thronum elevet, modo alteri hoſtes objiciat quos debellet, & ex quibus triumphum referat, ipſiuſque præclaris facinoribus ſuam ſedem loco mercedis conſtituat, nemo non aſſentietur, quamvis in æqualis honoris ac dignitatis loco ſint collocati, tamen quia primo deeſt illa jucunditas, quæ percipitur ex recordatione ſervitii Domino præſtiti, ſecundo autem cumulus gloriæ propter præclara facinora accedit, eoſdem valde diſparis felicitatis compotes fore, neque illam perpetuam atque præclaram voluptatem, quæ in beatitudine ſecundi tantam ſibi vindicat partem, Regem ipſum excitare poſſe in anima primi, quamtumcumque eum felicem reddere ſibi proponat: ita Deus cum ſibi propoſuerit æternam eamque abſolutam rerum a ſe creatarum felicitatem, debuit eas donare libertate, qua æternam mercedem, atque æternam pœnam ſibi comparare poſſent, quo eas redderet perfecte felices, ſi primam recepiſſent „. Hactenus Gorinus, ad cujus verba hanc appingit adnotationem Angelus Maria a Servis Min. Obſer. „ Plures ut Deum exſiſtere evincant, faciles ſibi proponunt difficultates, quas idcirco facile ſolvunt, ſed ut breve faciant, prætermittunt graviores. Auctor hoc loco occurrit maximæ omnium ex iis, quas Athei objecere, quam ſum neſcius an aliquis convenienter diluerit. Hanc ſibi propoſuit Eraſmus, nec refutavit; hanc aliis Spinoſa, & quod ſciam, nemo reſpondit. Gorinus eidem ſatisfacit quin eam moveat, aut ita ſenſim ſine ſenſu id facit, ut a doctioribus vix percipiatur. Eſt autem hujuſmodi.

29. Si Deus exſtaret, optimus eſſe deberet; is autem quem vos colitis, optimus non eſt. Ergo aut Deus non exſtat, aut non eſt is, quem vos colitis. Hoc vero conficitur Deum, quem vos colitis, optimum non eſſe. Alter Deus veſtro melior eſſe poteſt. Ergo quem vos colitis, optimus non eſt. Aſſumtum

tum autem ſic oſtenditur. Uter ex hiſce duobus Patribus melior erit, an ille, qui vult eſſe in poteſtate filii, ut ſe præcipitem det, quique ſi eum videat ſe mox præcipitem daturum, permittit ut cadat & ruat, an ille, qui in hujuſmodi eventu manu comprehenſum retinet, & in certam ſuæ hæreditatis & perpetuæ ſelicitatis poſſeſſionem mittit. Alterum eſſe meliorem perſpicua ſane ratio docet. Ergo perſpicua quoque ratio monſtrat meliorem futurum fuiſſe Deum, qui ſubſtantias intelligentes creaſſet ſine libertate ſeſe dandi præcipites, ſed omnes collocaſſet in cœleſtibus ſedibus, in quibus ſunt Angeli & Sancti poſt vitam præſentem. Nec id cum juſtitia pugnaſſet. Quia juſtitia aliud non eſt niſi virtus quæ præcipit, ut ſuum cuique detur. Ubi vero nullus culpæ locus fuiſſet, ibi nulla quoque extitiſſet pœnæ neceſſitas; ejuſque juſtitia maxime reſplenduiſſet in donando ſine ullo merito gloriam, poſtquam donaſſet ſine ullo merito gratiam. Quidquod magnum fuiſſet meritum in rebus creatis id ipſum quod ſunt intelligentes ſubſtantiæ, atque ad tanti Dei ſimilitudinem factæ? Num Deus ab æterno juſtus non fuit, eo quod nulla fuit in tota æternitate pœna? Ille igitur Deus, qui res creatas in ſuæ gloriæ ſinu feciſſet, melior fuiſſet eo, qui tot permiſit ſe in æternum præcipites dare virtute arbitrii, quod ipſis donavit.

Jam vero caput legatur, & quiſque comperiet quam valide rationem auctor concludat, haſque difficultates confutet, & neceſſitatem confirmet res creatas faciendi liberas, ut eas abſolute perfecteque felices efficeret. „ Quibus expoſitis pergit auctor adnotationis proponere quamdam a ſe excogitatam difficultatem petitam ex eo, quod Deus nullam habet peccandi libertatem, & nihilominus perfectiſſime beatus eſt, & ſolutionem auctoris operis ductam ex hoc, quod libertas peccandi imperfectio fuiſſet in creatore; eſt autem attributum naturæ rei creatæ conveniens.

30. Equidem aſſentior rationi a Gorino allatæ, per quam clare intelligitur cur Deus ſumma cum ratione maluerit animas libero arbitrio donatas, quam ejuſdem expertes creare; ſed non puto eadem ſatisfieri expoſitæ difficultati Atheorum. Nam poterat Deus creare liberas, & ſimul iiſdem tale auxilium præbere, quo ſine ulla neceſſitate ad bene operandum excitarentur, & ita beatitudinem æternam tamquam mercedem & premium acquirerent. Cor enim Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud; & Deus infinita cognitione donatus novit quæ auxilia ſint hujuſmodi, ut in qualibet ſubſtantia intelligente ſint accommodata ad aſſenſum bono vero ſine ulla coactione aut neceſſitate extorquendum. Quare ſi firma eſt ratio ab Atheis concluſa quod Pater, qui æternæ ſaluti ſuorum filiorum contulit, melior eſt eo, qui ſinit ut aliqui perditum eant, nulla eſt ad eam ſolvendam ratio ducta ex neceſſitate ſervandi libertatem peccandi, eo quod hæc revera eſſe poteſt in rebus creatis, quin aliqua ex ipſis ſe obſtringat criminibus, & æternam pœnam iiſdem jure ac merito debitam recipiat. Quamobrem hujus difficultatis ſolutionem capite mox conſecuturo aliunde petemus.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

De divina Providentia adverſus Deiſtas.

§. 181. Animadverſio

DEiſtæ vocantur, qui divinam negant Providentiam, ſive inficiantur Deum curam habere de rebus mundanis. Tres in ſectas diſpeſci queunt; alii volunt mundum eſſe a ſe ab æterno, ſuiſque legibus, quæ ab ipſis naturæ dicuntur, regi ac gubernari varieque diſponi; Deum autem in ſe beatiſſimum ac ſumme perfectum nihil prorſus in hoc mundo operari ac facere, ſed ſolum eum cognoſcere ac contemplari.

2. Alii concedunt quidem mundum a Deo creatum fuiſſe, ſed negant opus habere ulla conſervatione & concurſu Dei, quibus poſſit permanere, & ſuas operationes ſive motus in corporibus, ſive cogitationis in animabus perficere, ſed uti domus ſine artifice perſtat, ita Mundum ſine ulla Dei actione durare, & uti lapis manu projectus ſine continuata manus actione moveri pergit, ita illum ſine aliquo Dei auxilio ſuas operationes continuare ſecundum leges naturæ. Ex quo fit ut ordinarit quidem atque effecerit primum mundi ſtatum, non vero efficiat, adminiſtret & ordinet alios omnes ſequentes, ſed eos tantum videat atque cognoſcat.

3. Alii tandem Deo concedunt tum creationem mundi, tum ipſius conſervationem, non vero concurſum cum actionibus rerum, qua ab ipſo creatæ ſunt & conſervantur, atque idcirco volunt Deum non efficere, nec ordinare actiones mutationeſque rerum mundi, earum præſertim quæ ad homines pertinent.

§. 162. Propoſitio

Adverſus primos Deiſtas jam oſtendimus §. 73. mundum nec a ſe, nec ab æterno exſtare potuiſſe, & a Deo creatum ex nihilo fuiſſe, & objecta diluimus quæ adverſus mundi creationem ab Atheis urgeri ſolent. Unde ſupervacaneum eſt in his hoc loco verſari. Utrumque præſtitimus adverſus ſecundos, quod attinet ad conſervationem ſubſtantiæ §. 95. Adverſus tertios pariter ſtatuimus & oſtendimus neceſſitatem divini concurſus §. 104. in omnibus rerum creatarum actionibus: cumque Deiſtæ hanc explodant præſerſertim in actionibus liberis, huic difficultati plene ſatisfecimus toto capite ultimo, ubi neceſſitatem divini concurſus cum libertate actionum humanarum conciliavimus, atque illo præſertim, quod Deus con-

Digitized by Google

concurrens cum actionibus liberis neceſſario quidem efficit id omne quod abſoluti eſt in actu appetendi, animam ad bonum univerſe appetendum ſemper impellens, ſed in animæ poteſtate eſt relativum actus, ideſt dirigere appetitum a Deo creatum in hoc potius bonum, quam in hoc aliud.

2. Sed ut meam pro neceſſitate divini concurſus rationem magis declarem, optionem do adverſariis eligendi utrum velint, utrum vis, quam eſſe neceſſariam ad ſtatus mutationem evicimus in Ont. §.42. & ſeq. ſit cum ſubſtantia neceſſario conjuncta, an vero accidentalis ut ibidem, & in Pſycholog. §. 91. & ſeq. pariter oſtendimus. Si primum, jam conſtat qua actione Dei conſervari ſubſtantias admittunt hi tertiæ ſpeciei Deiſtæ, eadem conſervari quoque vim cum ſubſtantia neceſſario conjunctam, & conſervatione vis, ex qua ipſa per ſe mutatio exſiſtit, concurri ad ipſam mutationem. Sin autem ſit accidentalis, iis rationibus, quas attulimus in Ontologia §. cit. conficiemus eam a Deo creari, & ideo etiam conſervari debere §. 106. & ſeq. qua conſervatione vis rerum ſit manifeſtum Deum ad mutationes, quæ a vi oriuntur, concurrere.

3. Quod ſi Deus ſubſtantias & vires creatas non ſolum creat, verum etiam conſervat & veluti continuate creat, atque hoc pacto concurrit ad ſingulas rerum creatarum actiones mutationeſque, quæ, niſi Deus vires ſine quibus mutationes eſſe non poſſunt, conſervaret, continuo prorſus ceſſarent; quis negare poteſt Deum non ſolum e nihilo creaſſe mundum & ejus vires, verum etiam continuata actione conſervandi perpetuam rerum omnium earumque mutationum curam & adminiſtrationem habere?

§. 163. Objectio

Si Deus optimus, perfectiſſimus & ſapientiſſimus mundum regeret, non forent tot mala in eodem; atqui innumerabilia ſunt mala in eodem. Ergo Deus optimus & ſapientiſſimus mundum non regit, nec illius curam habet. Prob. maj. mala ſunt contraria ſummæ bonitati, perfectioni, & ſapientiæ Dei. Ergo &c.

§. 164. Reſponſio

Diſt. ant. Mala metaphyſica ſunt contraria ne. mala phyſica & mala moralia ſubd. ſi ſint auctore Deo co. ſi ſint eo ſolum permittente ne. Mala metaphyſica ſunt illæ neceſſariæ imperfectiones, ſive negationes majoris perfectionis, quæ in quolibet ente creato eſſe debent. Cum enim Deus extra ſe res abſolute infinitas & ideo omne poſſibile ens continentes creare nequeat, eo quod extra ipſum nihil hujuſmodi eſſe poteſt §. 84. neceſſarium eſt ut quæli-

libet res creata limitibus circumſcripta ſit, atque idcirco habeat ens aliquod, quod eſt perfectio & bonum, admixtum cum negatione quæ eſt imperfectio. Mala phyſica ſunt id, quod cum aliis mundi partibus non concurrit ad eum finem, propter quem a Deo mundus creatus eſt; cujuſmodi eſſe videntur ea, quæ nulli ſunt uſui, ut pluviæ in mari, aut in locis deſertis, monſtra & ſimilia, & ea, quæ noxia ut venena, ſerpentes aliaque hujuſmodi. Tandem mala moralia, ſunt peccata & crimina, ſive ſpiritus libertate donati appetitus pravi & a recta ratione & a bono vero deflectentes.

2. His poſitis conſtat mala metaphyſica, utpote neceſſaria, divinis attributis, minime adverſari, immo nec creationem mundi non optimi ac perfectiſſimi omnium poſſibilium, ut §. 88. docui; unde colligitur a liberrima Dei voluntate eſſe petendam rationem, cur tantæ perfectionis, non majoris creatus ſit.

3. Quod attinet ad mala phyſica, nemo ſanæ mentis poteſt affirmare, quædam eſſe in hoc mundo, quæ aut nulli ſint uſui ratione habita finis, ad quem mundus a Deo relatus eſt, aut eidem contraria ſint, niſi totum mundum prius cognoſcat, & quo quæque res munere in mundo fungatur. Nam fieri poteſt ut aliqua res in ſe ipſa conſiderata imperfecta videatur, perfecta vero ſit ratione habita totius, cujus eſt pars, eo quod cum aliis ejuſdem partibus ad finem ad quem totum eſt comparatum, conſentit. Et ſane qui partes horologii huc illuc disjectas videret, poſſet ne affirmare eſſe perfectas aut imperfectas, niſi prius eas in horologio conjunctas obſervarit, atque animadverterit utrum ad finem horarum accurate indicandarum concurrant nec ne? Profecto in aliquibus hanc videre poſſumus utilitatem. Pluviæ in deſertis locis & in mari cadentes aerem refrigerant, & potum adminiſtrant iis, qui per ea loca tranſmittnnt. Venena, & ſerpentes non ad eum finem deſtinata ſunt, ut mortem afferant, ſed ad alios uſus, quos habent in humana vita. Quamquam etſi daremus aliqua deſtinata eſſe ad eum finem, ut damnum atque perniciem hominibus afferrent, tamen dici poteſt illa eatenus eſſe bona, quatenus Deo conveniens fuit, etiam hujus vitæ miſeriis & ærumnis homines peccato originali & aliis criminibus obſtrictos punire, immo & corrigere, ut ad bonam redeant frugem. Ex quibus ſit manifeſtum mala phyſica cum divinis perfectionibus nequaquam pugnare.

4. Quamobrem venio ad mala moralia, ſive ad pravas hominem appetitiones, & ajo illarum auctorem Deum non eſſe, ſed humanam liberam voluntatem, quia Deus efficit quidem appeti-

tum

Digitized by Google

tum voluntatis in bonum univerſe, ſed voluntas, permittente quidem Deo, non autem id poſitive volente, hunc a Deo genitum appetitum in verum malum, quod ſub ſpecie boni apparet, libere dirigit, cum poſſet in bonum verum dirigere §. 133. Hæc autem mala cum bonitate & ſanctitate Dei pugnarent, ſi Deum auctorem haberent, non autem, ſi creatam voluntatem, & a Deo ſolum permittantur.

§. 185. Inſtantia

Atqui ſummæ Dei bonitati & ſanctitati contrarium eſt mala moralia permittere. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſubſ. ex Bælio, qui hanc a malis petitam difficultatem adverſus divinam Providentiam inſolubilem vocat in Dictionario, idque demonſtrare contendit ſub vocibus *Pauliciens*, *Manichéens*, *&* *Marcionites* & præſertim articulo *Pyrrhon.* hæc habet. Qui facile poteſt impedire omne malum & non impedit, peccat; atqui Deus facile poteſt impedire omne malum; ergo ſi non impedit peccat; atque idcirco ſummæ Dei bonitati & ſanctitati contrarium eſt mala moralia permittere.

§. 186. Reſponſio

Aliqui diſtinguere poſſunt minorem. Deus abſoluta potentia poteſt impedire omne malum co. ordinaria & ſervata hominis libertate ne. Verum hæc reſponſio ſatis non facit Bælianæ difficultati, quia poteſt Deus, ſervata prorſus indemni humana libertate, tale auxilium & in talibus circumſtantiis ſingulis hominibus præbere, ut ſemper eligant bonum verum, numquam apparens; quo in eventu & nullum in mundo foret peccatum, & ſartatecta maneret libertas, & finis, quem in illa hominibus concedenda ſibi propoſuit, ut homines non prorſus gratuitam, ſed ſuis debitam meritis æternam felicitatem acquirerent, & hoc pacto perfecte comulateque felices evaderent.

2. Quare hac miſſo reſponſo, ſic diſtinguo majorem. Qui facile poteſt impedire omne malum dando auxilium, quod dare debet, & non impedit, peccat co. dando auxilium, quod dare non debet ne. Peccatum in eo, qui cum poſſit facile impedire, non impedit, aliam ob cauſſam eſſe non poteſt, niſi ob hanc, quia debet impedire, & præbere auxilium hujuſmodi, ex quo malum non iri patratum prævideat. Si enim nulla in eo ſit impediendi & dandi hujuſmodi auxilium obligatio, quis in pura permiſſione peccati ab alio patrati malum offendere poteſt? Antequam igitur Bælius hanc difficultatem inſolubilem vocet, clare doceat Deum obligatione tene-

ne-

Digitized by Google

neri dandi voluntati creatæ non ſolum auxilium quod ſufficiens ſit ad eum finem ut bene operari queat, & verum appetat bonum, verum etiam tale, quo prævideat eam ſe ab bonum verum reipſa inclinaturam. Nam quamdiu is non evidenter id docet, nos noſtram divinæ Providentiæ ſententiam claris invictiſque rationibus confirmatam mordicus defendemus.

§. 187. Inſtantia

Atqui cum Deus facile poſſit omnia mala impedire, obligatione impediendi tenetur. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Quam legem Deus in hominum mentibus inſculpſit, ut obligatione teneantur impediendi quod facile poſſunt, eam ipſe prius ſervare debet. Atqui homines præſertim ii, qui Dei vices in regendis populis agunt, obligatione tenentur impediendi mali quod facile poſſunt. Ergo &c.

§. 188. Reſponſio

Diſt. maj. Quam legem &c. eam ipſe prius ſervare debet, ſi eadem ſit ratio in Deo & in hominibus co. ſi diverſa ſit ratio ne. Duplex honor, quod attinet ad Deum, diſtinguendus eſt, alter internus Deoque eſſentialis, qui in eo poſitus eſt, ut Deus ſe ipſum ut perfectiſſimum ens & omnium bonorum fontem amet & diligat, & omni honore & gloria digniſſimum putet; alter externus & accidentalis, qui in eo poſitus eſt, ut creatæ ſubſtantiæ intelligentes id ipſum præſtent circa Deum, & actiones contrarias fugiant. Deus debet ſibi primum honorem, utpote cum ejuſdem natura & ſumma bonitate, quæ maximum bonum amare debet, neceſſario conjunctum; non autem debet velle aut procurare ſecundum, qui ad ejus beatitudinem & perfectionem nihil confert, quia ut oſtendi ſupra, omnino poterat a creatione mundi abſtinere, quo in eventu nullum externum honorem ab intelligentibus creatis ſubſtantiis accepiſſet; aut ſi procurat mundum creando, non debet omni meliori modo, quo poteſt, quia id eſt impoſſibile, & in ipſius eſt poſitum libertate talem ſibi honorem externum, non alium majoris perfectionis procurare, ut conſtat ex iis, quæ de creatione mundi optimi §. cit. diſputavimus, & etiam ex hoc, quia cum primus ſit abſolute infinitus, alter autem quamtumvis maximus, tamen finitus ſit, qui tribuit primum, in quo omnes externi honores meliori modo, quam ipſi ſint in ſe ipſis, continentur, non tenetur aliquem ex ſecundis aut tantæ perfectionis ſibi procurare. At cum homines non poſſint internum & infinitum, ſed ſolum externum & finitum Deo, qui eſt ipſorum auctor & ſummum Bonum,

Digitized by Google

num, deferre, mirum non eſt ſi teneantur ad maximum præſtandum quem poſſunt, & in aliis etiam ſi facile poſſunt, ea procurare, quæ honorem extenſum augent, & illa impedire quæ minuunt, qualia ſunt peccata. Ex quo tam inſigni diſcrimine patet, cur contraquam uſu in hominibus venit, Deus obligatione non teneatur, impediendi omnia mala tribuendo creatis voluntatibus tale auxilium, quo futurum prævidet, ut ſe ad bonum verum inclinent, dummodo præbeat hujuſmodi [quod & facit] ut eo poſſint ſe ad bonum verum dirigere.

§. 189. Inſtantia

Atqui etiam in Deo eſt ratio quæ monſtrat ipſum debere omnia mala impedire. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Si Deus omnia mala non impediret, non eſſet optimus Pater atque Proviſor; atqui Deus eſt optimus Pater atque Proviſor. Ergo &c. Pater qui eadem mala impediret, eſſet melior Patre qui non impedit; ut Pater, qui prævideret filium in talibus circumſtantiis præcipitem ſe daturum, idque præcaveret, ſi facile poſſet, eſſet melior eo, qui ruinam non impediret atque permitteret. Ergo &c. Prob.ant. melius eſt non permittere malum, quam permittere; ergo &c.

§. 190. Reſponſio

Diſt. ant. Melius eſt non permittere malum quam permittere ratione habita rerum creatarum, in quibus malum permittitur co. melius eſt ratione habita Dei ne. Nam ut oſtendi ſupra ratione quidem habita rei creatæ melius eſt eſſe, quam non eſſe, melius eſt eſſe cum majori perfectione, quam cum minori; at ratione habita Dei perinde eſt, ſive res exſiſtant, ſive ſecus, ſive exſtent cum majori perfectione ſive cum minori, eoquod res creatæ nihil propemodum veræ perfectionis & felicitatis adjungere poſſunt Deo, qui ipſe per ſe eſt perfectiſſimus ac beatiſſimus. Similiter illa Dei actio qua impedit mala tribuendo majorem voluntati creatæ in verum bonum vim, ex qua prævidet ipſam ſe in bonum verum inclinaturam, ratione habita ipſius voluntatis creatæ eſt melior actione, qua tribuit vim minorem, ex qua prævidet nihilominus conſecuturam eſſe appetitionem in bonum apparens, ſive in malum verum, tametſi voluntas illa Dei auxilio bene uti poſſit, & in bonum verum ſe inclinare. At ratione habita Dei altera altera melior non eſt ob allatam rationem.

2. Allatis Matris exemplis, quemadmodum & aliis, quæ a Bælio afferuntur, quæ cum poſſit non præcavet, ne filia violetur, & Regis, qui prævidens aliquos ex ſuis ſubditis in perniciem ruituros,

ros, eos, cum poſſit, nequaquam coercet, jam ſuperiori §. 172. cumulate ſatisfecimus, ut hic neceſſe non ſit denuo reſpondere; quamquam & diſcrimen hic allatum inter Deum & homines in iiſdem nihil eſſe hoc in negotio momenti magis magiſque demonſtrat. Nam in hominibus, qui ſolum externum procurare poſſunt Dei honorem, quam bonæ actiones augent, malæ vero imminuunt, melius eſt non permittere mala, ſi impedire poſſunt, quam permittere, atque idcirco debent non permittere. At ratione habita Dei cum perinde ſe habeat, & æqualiter in ſe perfectiſſimus ſit, ſive permittat, ſive ſecus, nequaquam affirmari poteſt melius eſſe non permittere, quam ſecus, atque idcirco Deum ex eo quod eſt Pater ſumme bonus, non teneri obligatione impediendi omnia mala, etiamſi facere poſſit.

§. 191. Inſtantia

Melius eſt etiam reſpectu Dei non eſſe aliquod malum, quam eſſe. Ergo melius eſt etiam reſpectu Dei nullum permittere malum, quam ſecus.

§. 192. Reſponſio

Diſt. ant. Melius eſt etiam reſpectu Dei nullum eſſe malum, quam eſſe auctore Deo co. ſolum permittente Deo ne. Nam eſſe malum morale, volente & efficiente Deo, contrarium eſt optimæ divinæ naturæ, quæ ob id ipſum quod eſt optima, ſolum bonum creare & efficere poteſt. Quare melius eſt etiam reſpectu Dei, ut nullum ſit malum cujus ipſe ſit auctor, quam ut ſit. At nullum eſſe malum, quod a rebus creatis efficiatur Deo ſolum id permittente, melius non eſt ratione habita Dei, quia ob ſupra allatam rationem, ſive malum permittat, ſive ſecus, ipſe beatiſſimus ac perfectiſſimus eſt.

§. 193. Inſtantia

Atqui melius eſt etiam reſpectu Dei nullum eſſe peccatum, quod is tantum permittat. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Id melius eſt, ſi ex hoc malo permiſſo ſequatur quidpiam, quod divinæ juſtitiæ evidentiſſime contrarium eſt; atqui ex malo in Adamo permiſſo ſequitur quidpiam, quod divinæ juſtitiæ evidentiſſime contrarium eſt. Ergo &c. Prob. min. Evidentiſſimum eſt, ait Bælius loco ſupracitato, juſtitiæ refragari, ut conſcios atque participes eos puniri, qui tempore quo crimen ab Adamo fuit admiſſum, nondum exſtabant. Atqui ex permiſſo Adæ peccato conſequens fuit ut ipſius filii & nepotes tunc temporis nondum exſtantes tamquam conſcii & participes punirentur. Ergo &c. Prob. min. ob

Adæ

Digitized by Google

Adæ peccatum multis miſeriis atque calamitatibus obnoxii facti ſunt etiam infantes, qui nulla culpa ſua ſe voluntate inquinarunt. Ergo &c.

§. 194. Reſponſio

Diſt. ant. multis miſeriis & calamitatibus obnoxii facti ſunt Deo has pœnas volente aut permittente ut effectum humanæ naturæ propter Adæ peccatum gratia ſpoliatæ co. aliter ne. Ut id explicem, adverto Deum potuiſſe Adamum, & cum ipſo ejus filios creare in ſolo naturali ſtatu & cum ſolis naturalibus perfectionibus ſine ulla gratia ſanctificante, quæ ipſum ad ſtatum ſupernaturalem attolleret; propterea quod gratia ſanctificans humanæ naturæ debita non eſt, ſed ex pura Dei liberalitate ducit originem. Cum ſtatu vero naturæ, utpote partim perfecto, partim imperfecto, multa fuiſſent conjuncta tum bona naturalia, tum mala pariter naturalia, quibus Adam & ejus filii forent quidem obnoxii, ſed non tamquam pœnis, quibus eorum nondum perpetrata crimina juſte punirer. Cum vero Adamus, tametſi gratia ſanctificante ornatus, & ſupernaturalibus auxiliis inſtructus, gravi culpa ſe obſtrinxit, in pejorem ſtatum, quam puræ naturæ, ſe præcipitem dedit, ſuamque naturam prorſus depravavit, animam læthali culpa inficiens & ſanctificante gratia privans, ex quo tamquam pœna in ipſius corpore concupiſcentia exorta eſt, & pravi ſpirituum atque membrorum motus contra rationis regulas ad alia peccata allicientes ipſo invito inſurrexerunt. Innumerabilia quoque naturæ mala, tamquam pœnæ ipſius peccato debitæ, eumdem ſecuta ſunt. Quid vero ex hoc peccato in ipſius filios redundavit? Primum gratiæ ſanctificantis ſubſtractio tamquam minime debita, quam Adæ & nepotibus negare poterat, etiamſi nullo crimine ſe obſtrinxiſſent. In corpus autem concupiſcentia & pravi invita voluntate motus traducti ſunt, tamquam pœna, quæ ex vitiato corpore Adami naturaliter conſequeretur, & propter commercii inter animam & corpus legem, quam ob Adæ peccatum interrumpere non debebat, animam quoque ipſam vitiaret. Quam enim diſpoſitionem corpus parentis propter peccatum & in ejuſdem vindictam acquirit, ea contagione transfunditur in corpora filiorum, quæ cum in corpore Patris formentur, iiſdem motuum legibus in ſpiritibus, in cerebro, & in aliis corporis partibus ſubjiciuntur, & ob dictam legem in animas eorumdem. Simili ratione conſecutæ ſunt aliæ nepotum Protoparentis calamitates. Cujus vero injuſtitiæ Deus ab impiis accuſari poteſt, ſi quod nepotibus dare non debuit, ob Adæ

peccatum ſubtraxerit, & vitia corporis Adæ ob peccatum a ſe admiſſum contracta non reſecuerit ita, ut in corporibus filiorum naturaliter non propagarentur? præſertim cum ex eadem chriſtiana fide, quæ originale peccatum & mala inde profecta nobis manifeſta fecit, liquido conſtet Deum ſingularia providiſſe remedia, quibus humana natura cumulatiſſime reſtauraretur.

2. Hanc ego puto genuinam eſſe rationem diluendi Bælianam difficultatem. Nolim enim hic contra Bælium afferri exempla Regum, qui non ſolum perduellionis reos, ſed etiam uxorem & filios puniunt, ut facit Theologus quidam apud Stapferum in Inſt. Theol. Tiguri editis anno 1744. tom. II. §. 131.; propterea quod qui ad ſuperiora Bælii exempla Matris & Regis reſponderunt rationem de Deo non eſſe ſimiliter, ac de hominibus, concludendam, ſecum nequaquam mihi conſtare videntur, ſi paulo póſt exemplis eorum, quæ inter homines uſuveniant, adverſus eumdem & in eadem prorſus diſputatione abutantur.

§. 195. Inſtantia

Atqui homines ob unum Adæ peccatum obnoxii facti ſunt etiam pœnis, quæ ex Adæ peccato non conſequuntur. Ergo nulla diſt. Prob. ant. Infantes obnoxii facti ſunt etiam iis calamitatibus atque miſeriis, quæ ex Adæ peccato non conſequuntur. Ergo &c. Prob. ant. Infantes ſine baptiſmo decedentes in altera vita in æternum addicuntur pœnæ ſenſus, & pœnæ damni, quæ poſita eſt in privatione beatitudinis. Sed pœnæ æternæ ſenſus & damni ex Adæ peccato non conſequuntur. Ergo &c.

§. 196. Reſponſio

Nego antecedens quod attinet ad pœnam ſenſus, & deinde diſtinguo antecedens quod attinet ad privationem beatitudinis, privantur beatitudine tamquam re ipſis aliunde non debita co. tamquam pœna ſub. tamquam pœna poſita in aliquo negativo co. poſita in poſitivo ne. Audiatur de hac re Eminentiſſimus Gotti, qui vocans communiorem ſententiam eam, quæ ſtatuit parvulos ſine baptiſmo decedentes nulla torqueri ſenſili pœna aut ignis, aut triſtitiæ & doloris ex amiſſa beatitudine, hæc ſcribit tom. I. Theol. Schol. Dogm. tract. X. quæſt. X. dub. 2. §. 25. *Confirmatur ex eodem S. Doctore ibidem* (ſcilicet S. Thoma *in* 2. *diſt.* 33. *q.* 2. *ar.* 1.) *Pœna ſenſibilis eſt debita peccato particularis perſonæ, quæ ſicuti operatione ſua deliquit, ita pœna per paſſionem ejus eſſe debet: ſed culpa originalis non eſt commiſſa operatione particularis perſonæ, ſed per originem cum natura contracta: ergo ei non debetur* pœ-

pœna ſenſibilis ; alias puniretur non ſecundum quod culpam habet: nam culpam habet ſecundum naturam, & puniretur ſecundum perſonam, quæ pateretur ob culpam, quam ipſa non commiſit ; ſed quam cum natura contraxit. Quemadmodum ſi homo multis honoribus a Rege auctus fieret poſtea rebellis, & propter hoc traheretur extremo ſupplicio, omnique honore tam pro ſe, quam pro ſuis deſcendentibus ſpoliaretur; omnes qui ex illo originem traherent, naſcerentur quidem omnibus honoribus privati, non tamen extremo ſupplicio addicti. Ita Adamo tot donis a Deo ornato, facto poſtea contra Deum rebelli, propter quod ipſe & tota ejus poſteritas facta eſt Deo inviſa; debita quidem erat utraque pœna & carentia donorum, & viſionis Dei, & inſuper pœna ſenſibilis, quia proprio actu peccavit; poſteris tamen ejus æquum quidem eſt, ut ſubtrahantur dona Adæ ſubtracta, nempe gratia & gloria, non tamen quod ſupplicio pœnali addicantur, quia ſicuti culpa non fuit per operationem eorum, ita nec pœna per eorum paſſionem eſſe debet, ſed ſolum per defectum illius, quod gratuito fuerat conceſſum. Hactenus Gotti, qui eoſdem infantes nullo affici ob amiſſam beatitatem mœrore ac triſtitia multis conficit §. 5. & præſertim, quod nullum habere poſſunt dolorem amiſſæ beatitudinis, quam aut non cognoſcunt, aut ſolum valde obſcure ac confuſe. Huic vero ſententiæ omnes fere ſcholæ Theologos, ſi ab Auguſtini diſcipulis diſceſſeris, ſuſcribere certum & exploratum eſt. Quamobrem concedimus Bælio infantes hujuſmodi privari beatitudine in pœnam origine contracti peccati, quæ tamen pœna non illos afficiat aliquo ab amiſſam beatitudinem mœrore, ſed quæ ſolam complectatur negationem beatitatis, quæ aliunde ipſis debita non eſt. Quo poſito videat Bælius an evidentiſſimum ſit non poſſe Deum, ſalva juſtitia, in pœnam peccati ab alio patrati eos qui ab ipſo ducunt originem, ſine propria ipſorum culpa privare gratia & gloria, quas etiam, nulla antegreſſa in parente culpa, poterat & parenti & ipſius filiis atque nepotibus non elargiri. Quod ſi gratia & gloria Adæ filiis debitæ fuiſſent, ultro darem a juſtitiæ legibus abhorrere ob Patris culpam filios, qui tunc non erant, privare donis, quæ, nulla poſita culpa, ipſis dare debuiſſet. Cum vero nulla juſtitiæ lege ad ea concedenda teneatur, ego certe non video, quid in iis etiam in pœnam peccati Patris Adæ negandis juſtitiæ legibus adverſetur; niſi Bælius velit juſtitiæ leges migrare Regem, qui obſcuro ſed forti viro dignitates atque divitias ad ipſius nepotes tranſmittendas promittat, ſi ſtrenue bellum geſſerit, mortem & exilia, ſi ignaviter; eo vero in ipſum Regem arma

Digitized by Google

vertente, ob tantum patris crimen eaſdem filiis atque nepotibus dare abnuat. Quibus arbitror & Bælii difficultatibus ſatisfactum fuiſſe, & in bona luce poſitum obſcuriſſimum originis mali moralis pœnarum inde proficiſcentium locum, qui Clariſſimorum Virorum qua veteri, qua recenti memoria torſit ingenia, & aliquos etiam a vera & ceteroquin evidentibus confecta rationibus ſententia deterruit.

§. 197. Objectio II.

Si Deus res mundanas curaret, ipſius Providentia maxime obſervaretur in procuratione humani generis; atqui in cura humani generis nulla eſſe providentia videtur. Ergo &c. Prob. min. Si Deus humanas actiones curaret, puniret ſceleſtos, & bonos premiis afficeret; atqui non punit improbos, nec premiis afficit bonos. Ergo &c. Prob. ant. Sæpiſſime improbis bene eſt, bonis autem male. Ergo &c.

§. 198. Reſponſio

Diſt. conſeq. non punit improbos aut premiis afficit bonos ſtatim poſt mala aut bona perpetrata co. poſt aliquod tempus ne. Nam ſi culpam pœna ſtatim ſequeretur, væ hominibus, ex quibus pauci ſunt, qui aliqua læthali culpa ſe non obſtringant. Eſt igitur divinæ miſericordiæ eos expectare, quoad reſipiſcant, ut in dies uſuvenire videmus. Quod ſi in ſuis criminibus callum obducant, divinæ juſtitiæ fulminibus tandem obruuntur. Pariter bonis utile eſt virtutis premia non ſtatim recipere, ut amore virtutis ducantur, nec ob unam mercedem ei ſe dent, ut in patientia & humilitate & rerum mundanarum contemptu ſe exerceant, ut denique uberiorem in poſterum mercedem conſequantur.

§. 199. Inſtantia

Atqui interdum uſuvenit ut malos numquam puniat, & bonos numquam remuneretur. Ergo &c. Prob. min. ſub. Malis interdum ſemper bene eſt, bonis ſemper male. Ergo &c.

§. 200. Reſponſio

Diſt. ant. quod attinet ad externam felicitatem aut miſeriam co. quod ad internam ne. Nam externa felicitas atque miſeria ab interna diſtinguenda eſt; illa poſita eſt in copia aut inopia divitiarum, dignitatum, aliarumque rerum, quæ ad vitam commode degendam accommodata ſunt; hæc autem in interna animi pace, aut perturbatione, lætitiaque aut mæſtitia inde profectis. Impios aliquando prima comitatur felicitas uſque ad mortem, non tamen ſecunda, quia, ut docet experientia, variis animi immodicis affectibus atque perturbationibus, & conſcientiæ morſibus excruciantur.

Digitized by Google

tur. Bonos autem quamtumvis inopia bonorum, quæ humanæ vitæ neceſſaria ſunt, preſſos animi quies & recte factorum conſcientia conſolatur & recreat. Ex quo multo magis colligitur Deum habere convenientem ſuæ juſtitiæ curam bonorum atque malorum, dum in primis inter plura mala tantam animi quietem atque lætitiam excitat, in ſecundis autem inter innumerabilia fortunæ & corporis bona tot animi perturbationes atque mœrores ciere quit.

§. 201. Inſtantia

Hæc reſponſio ſuam vim haberet, ſi conſcientia recte factorum & quies atque lætitia inde profecta, remorſus conſcientiæ ob male facta & perturbatio hinc genita eſſet recte aut male factorum juſta merces atque remuneratio; atqui talis non eſt. Ergo &c. Prob. min. Beata perfecte aut miſera vita ſunt recte aut male factorum juſtæ mercedes; atqui ex ſola animi quiete aut perturbatione vita perfecte beata aut miſera non oriuntur. Ergo &c. Prob. min. Cum duæ ſint in anima partes, inferior atque ſuperior, nec poteſt eſſe perfecte beatus, qui exquiſitis in parte inferiori cruciatibus exagitatus ſibi nullius culpæ, ſed ſolum recte factorum conſcius eſt, & ab omnibus falſa putatur Stoicorum ſententia, qui bonum ac ſapientem virum in Phalaridis Tauro beatiſſimum arbitrabantur; nec qui ſuaviſſimis in eadem parte voluptatibus delinitur, eſt perfecte miſer ob id unum, quod in ſuperiori experitur conſcientiæ remorſus, quos obſervamus a pleriſque malis magna ex parte comprimi atque ſedari. Ergo ex ſola &c.

§. 202. Inſtantia

Diſt. conſ. Ex ſola animi quiete & lætitia ob recte facta, & ex ſola perturbatione ob male, non oritur in præſenti vita perfecta felicitas aut miſeria co. non oritur in futura ne. Concedo itaque in præſenti quam degimus, vita homines nec poſſe ad perfectam beatitatem pervenire, nec poſſe in perfectam prolabi miſeriam, eo quod cum prima poſita ſit in privatione omnium malorum tum corporis, tum animæ, ſive tum partis inferioris tum ſuperioris, & in poſſeſſione omnium bonorum, quæ utrique conveniunt; altera in contrariis ſit collocanda: nemo eſt in hoc orbe terraqueo, cui aut non deſit aliquod bonum, aut aliquod malum non ſuppetat. Quamobrem in irritum conati ſunt antiqui Philoſophi, qui ut videre licet apud Ciceronem in libris de Finibus, ſummum bonum in hac vita poſſe comparari putantes, ſuam aliis probare ſententiam, & ab objectis difficultatibus vindicare non potuerunt, nec ii, qui in virtute & honeſtate aut ſolum, aut maxima ex parte,

nec

Digitized by Google

nec qui in voluptatibus & externis bonis, nec qui in utriuſque generis bonorum abundantia ſummum bonum, ſummamque felicitatem poſuere. Dicimus ergo Deum in hac vita ſic omnes regere homines, ut bona cum malis permiſceat ad eos ſapientiſſimos fines, quo ſibi propoſuit, & præſertim ad eum, ut improbi ad bonam redeant frugem, & boni in virtutis operibus exerceantur, quo omnes, quantum in ipſo eſt, veram & perfectam conſequantur felicitatem; in altera vero vita ſibi integrum ſervare aut iis qui uſque ad finem præſentis in ſtudio virtutis perſeverarunt, juſtam perfectæ & abſolutæ beatitatis mercedem tribuat, aut iis, qui pariter uſque ad terminum ſe in vitiorum cœno volutarunt, juſtiſſimam miſeriæ pœnam. Immo ex hoc ipſo divinæ juſtitiæ & Providentiæ loco firmiſſimam §. 130. & ſeq. Pſych. eruimus rationem immortalitatis animæ, & æternæ vitæ futuræ, cujus notitiam ab Adamo filiis traditam omnes pervaſiſſe nationes ibidem docuimus.

§. 203. SCHOLION IX.

Ex his quæ hactenus diſputavimus, competitum ſit ad confutandum Bælium atque ad Deiſtas, quibus is cum ſummo omnium bonorum mœrore arma contra Divinam Providentiam ſuppeditavit, parum eſſe momenti in ea permiſſionis mali ratione, quam ex hominum libertate ad eos perfecte felices reddendos auctor §. 181. n. 28. citatus elicuit. Nam ea ſuam haberet vim, ſi homines tantum libertatis munus, quo maxime Deo ſimiles fiunt & ſuarum actionum domini, accipere non potuiſſent, quin multi ex ipſis eodem abuterentur. Nunc vero cum Deus potuerit homines creare liberos, & ſimul iiſdem tale præbere auxilium, quo ſine libertatis læſione ſemper ad bonum verum proſequendum determinarentur §. 151. ex eo ſolum, quod conveniens erat homines gigni libertate donatos, non colligitur ratio conciliandi divinam bonitatem cum permiſſione malorum, quæ ſalva libertate facillime a Deo poterant impediri. Sed ante Gorinum hanc eamdem iniit viam Alphonſus Turretinus, qui in libro inſcripto *Dilucidationes Philoſophico-Theologico-Dogmatico-Morales* edito Baſileæ an. 1748. volum. I. Diſſert. V. num. 34. & ſeq. confirmat Divinæ ſapientiæ maxime conveniens fuiſſe hominem liberum creare, primo quia ſubſtantia libera eſt opus Dei maxime perfectum, eoquod eſt vere agens, & quantum res creata patitur, non dependens & Deo ſimillimum; 2. quia ſi non forent ſubſtantiæ liberæ, nullus foret virtutibus locus; 3. quia nec divinis virtutibus exercendis aut manifeſtandis fuiſſet materia. Tum num. 38. hæc ſubdit. *Quod ſi igitur Deus, tot tantiſque rationibus motus homines liberos creaverit, tales proinde qui bene vel male agere poſſent, utique rem fecit in ſeipſa pulcherrimam ſuaque ſapientia digniſſimam:* Demum num. 39. concludit. *Et hæc quidem eſt, nobis judicibus, vera ac genuina nodi hujus Gordii ſolutio.* Concedo equidem quod pertinet ad creandos homines ita liberos ut poſſent bene & male facere, non vero quod pertinet ad eos in talibus circumſtantiis collocandos, in quibus prævideret eos libertate abuſuros, cum poſſet, ſalva liber-

ta;

tate & iis omnibus bonis, quæ ex illa ſequuntur, in aliis collocare, in quibus bene operaturos prænoſceret.

2. Sed Turretinus reponere poteſt, ſi homines numquam peccaſſent, non fuiſſet locus manifeſtandæ aut divinæ miſericordiæ in dimittendis offenſis, aut juſtitiæ in puniendis. At quid reſpondebit Bællo hæc objicienti loco ſupra citato? „ Evidens eſt honeſtum utili eſſe præferendum, atque ut cauſſa ſanctiſſima eſt, ita minime facultatem habet honeſtatem utilitati poſthabendi; nihilominus noſtri Theologi docent Deum electurum aut mundum, qui foret optime temperatus, omnibuſque ornatus virtutibus, aut mundum, qualis eſt hic, in quo perturbationes atque peccata dominarentur, hunc alteri prætuliſſe, eo quod hic cum ſua gloria maxime conſentiret. „ Mihi certe in promtu eſt reſponſio ex iis, quæ in ſuperioribus diſputavi. Deus elegit mundum, quem libere voluit, bonum quidem, & in quo nulla forent, ſe auctore, mala moralia, ſed non omnium poſſibilium optimum ac perfectiſſimum, eoquod talis creari non poteſt §. 93. n. 2., atque in hac electione ſuam internam & neceſſariam gloriam ita eſt proſequutus, quemadmodum ſi alium quemcumque creaſſet, aut nullum §. 92. eoquod res creatæ nihil prorſus perfectionis ipſi addere poſſunt. Externam autem gloriam, quæ ipſius interiorem non attingit ſubſtantiam, eam elegit, quæ ipſi placuit, talem ſcilicet, non majorem, nec minorem ſuorum attributorum manifeſtationem, quamvis alias aut majores, aut minores eligere potuiſſet. Quam ergo utilitatem, honeſtate contemta, in hujus pleni malorum mundi electione ſecutus eſt Deus, quem nullæ res creatæ nec externa gloria ex iiſdem exiſtens aut perfectiorem reddere poſſunt, aut imperfectiorem, quique nullam prorſus utilitatem ex iiſdem rebus, ſive perfectiores ſint, ſive minus perfectæ, colligere poteſt? Quare deſinat Bælius incantis, quorum non paucos pervertit, has tendere fallacias, quæ ſi bene diſpiciantur, non ſunt niſi telæ araneorum. Sed, hoc miſſo, redeo ad Turretinum, & ajo ex his, & ex iis, quæ in anteceſſum diſſerui, conſtare veram & genuinam omnium hujuſmodi difficultatum ſolutionem in eo poſitam eſſe, quod §. 92. & ſequentibus enucleate explicavi.

2. Nec valde moror Leibnitium, Wolphium, Stapferum in *Inſtit. Theol.* Tiguri 1744. cap. 7. de Deiſmo, alioſque non paucos, qui conſequenter ſententiæ, quam mordicus tenent, mundi optimi ac perfectiſſimi a Deo creati, contendunt idcirco Deum hunc eligiſſe mundum malis moralibus refertum, quod malorum permiſſio ad optimum mundum creandum eſt neceſſaria. Nam miſſo hanc opinionem niti ſententia optimi mundi, quam in ſuperioribus mihi videor enucleate confutaſſe §. 93. & antec. ab hominibus quæro reſpectu cujus eſt melior permiſſio mali moralis, quam non permiſſio? num Dei, qui æque beatiſſimus ac perfectiſſimus eſt, ſive malum permittat ſive ſecus? an vero ratione habita rerum, quæ creatæ fuerunt? non certe in iis, in quibus hoc malum permittitur, præſertim ſi æternum in iiſdem futurum ſit, eo quod inde æternæ quoque graviſſimæ pœnæ conſequuntur. Inquies hanc permiſſionem eſſe meliorem in iis, in quibus malum permiſſum non fuit. Non valde pugnarem, ſi vera & perfecta libertas ad merendum neceſſaria in illis eſſe nequiret, niſi quædam moralia mala in aliis evenire ſineret Deus. Nunc vero cum docuerim Deum potuiſſe & homines creare vera libertate donatos, & ſimul efficere ſine libertatis detrimento, ut nemo eorum eadem peccando abuteretur,

quod

Digitized by Google

quod bonum iis, in quibus malum permiſſum non eſt, ejuſdem in aliis permiſſio afferre potuit, quo reſpectu primorum mali permiſſio melior dici poſſit, quam non permiſſio? Quare ſi nec ratione habita Dei, nec ratione habita rerum, quæ procreatæ fuerunt, melior eſt mali permiſſio, quam ſecus, manifeſtum eſt nullam eſſe allatam a Leibnitianis pro mali permiſſione rationem, quæ ex natura mundi optimi, & ex malo ad illum efficiendum neceſſario deducta fuit.

3. Quod vero pertinet ad rationes a Bælio contra Divinam bonitatem & juſtitiam ductas ab originali peccato, quod Adæ filios non exſtantes, cum illud perpetrabatur, transfuſum eſt, adverſus ea quæ in anteceſſum reſpondimus §. 194. regeri poteſt ex multorum Theologorum ſententia, quam in Pſych. §. 74. expoſuimus, Deum non potuiſſe hominem creare cum rebelli concupiſcentia; quæque rationem præverteret. Qui ergo potuit in pœnam peccati ab uno Adamo admiſſi permittere, ut filii ipſius cum eadem naſcerentur? Nam de ſupernaturalibus gratiæ & gloriæ donis ſuſtineri poteſt noſtra §. 196. reſponſio, eo quod hæc ex juſtitia nequaquam homini debita ſunt, & Deus potuit ſaltem abſoluta potentia hominem ſine iiſdem creare. At cum Deus in horum Theologorum ſyſtemate non poſſit ulla ratione hominem condere cum tali concupiſcentia, eo quod foret auctor peccati, intelligi quidem poteſt cur ſine bonitatis detrimento potuerit in Adamo peccante permittere, non autem cur in nepotibus, qui ſua voluntate peccatum non admiſerunt.

4. Ut his ſatisfaciam, arbitror ſic omnia poſſe conciliari. Deus hominem in præſenti providentia compegit ex anima & corpore iis commercii legibus ita conjunctis, ut concupiſcentia rationem prævertens ſæpe ſæpius conſequi debeat. Ne id ſuccederet, quod cum divina pugnaret bonitate, humanæ naturæ in Adamo adjunxit alioquin minime debita ſupernaturalia dona, quibus homo tum ſupernaturalem finem conſequeretur, tum regeret atque comprimeret naturalis concupiſcentiæ motus, atque id obtinere poſſet, ut contra ipſius voluntatem verſus bonum ſenſibile rationi contrarium nequaquam prorumperent. Quod ſi homini ea ſupernaturalia dona conferre nequaquam decreviſſet, aliter feciſſet hominem & aliter cum his mundi corporibus copulaſſet, adeo ut concupiſcentia in bonum ſenſibile a recta ratione deflectens, ipſo invito, minime exorta fuiſſet. Quamobrem in hoc altero rerum ſtatu homo non egeret ſupernaturalibus gratiæ auxiliis & donis, quo a concupiſcentia rebelli nequaquam ſollicitaretur. At in præſenti opus habet iiſdem. Quo fit ut in hac providentia ſupernaturalium privationem donorum concupiſcentia naturaliter conſequatur. Peccanti vero Adamo & ejus filiis dona ſupernaturalia Deus juſte ſubtraxit, eo quod nulla juſtitiæ lege, etiamſi nullum præceſſiſſet peccatum, tenebatur ad ea conferenda, ſed ſolum habita ratione ipſius providentiæ, & naturæ humanæ perfectioni conveniens erat, ut ea largiretur. Sed depravata in Adamo ob ipſius peccatum tota humana natura, eoquod omnes homines ab eodem originem ducunt, non amplius divina providentia & naturæ humanæ perfectio hæc ſupernaturalia dona poſtulabant. His vero non ſolum juſte ſed etiam convenienter negatis, non ſolum in Adamo, ſed etiam in filiis concupiſcentia & aliæ vitæ hujus miſeriæ conſecutæ ſunt, tamquam naturales effectus, quos Deus in natura jam per voluntarium Adæ peccatum vitiata impedire nequaquam debebat. Nec Adæ nepotes jure ac merito ſuum accuſare poſſunt creato-

Digitized by Google

torem, eo quod & multa ab ipſo acceperunt bona, & ſi quibus malis obnoxii naſcuntur, acceptum ferre non debent primariæ Dei voluntati, qui eos in Adamo perfectos & bonis omnibus affluentes creavit, ſed Adæ ipſi, qui Dei juſſa tranſiliens Deum juſtum bonorum atque malorum remuneratorem impulit ad dona ſupernaturalia toti naturæ auferenda, ex quo concupiſcentia & mors & ilias malorum conſequerentur. Idque tanto minori jure facere poſſunt, cum quo fidei lumine peccatum originale & privationem gratiæ & gloriæ inde profectam noverunt, eodem noſcant Deum iufinita qua præditus eſt bonitate in filio ſuo homine facto providiſſe remedium, ad ſupernaturalia bona recuperanda. Hæc ſi bene expendiſſet Bælius, non eo fuiſſet progreſſus, ut contenderet mala moralia & pœnas peccati Adami ad ipſius filios propagatas cum ratione naturali pugnare, & hoc pacto magnam impiis anſam præberet, aut negandi Deum, qualem Chriſtiani venerantur, exſtare, aut ipſius Providentiam de medio tollendi.

5. Quo vero etiam Catholicis ſatisfaciam, atque demonſtrem nihil me in ſuperioribus protuliſſe, quod abhorreat a Catholicorum ſententia Theologorum, hic duos proferam textus ex Theologicis Diſciplinis Cl. Berti, quorum altero rationem qua fuit transfuſum originale pecatum, ex ſua & aliorum deſcribit. Is enim lib. XIII. cap. V. referens auctorum ſententias, hæc ſcribit. *Thomiſtæ, præſertim Gonet diſp. 7. de Pecc. Orig. art. 5. Contenſonus Diſſert. 2. de Peccat. cap. 2. ſpec. 3. Salmaticenſes Tract. XIII. diſp. XVI. dub. 3. Card. Gotti tom. 6. Quæſt. VIII. aliique paſſim tenent peccatum originale materialiter eſſe concupiſcentiam, formaliter vero privationem originalis juſtitiæ.* Deinde *cap. VI.* hæc ſtatuit. *Contrahitur originalis noxa propagatione naturæ, eoquod concupiſcentia & libidine ſeminetur corpus, cui lege providentiæ anima a Deo inſeritur, unde hæc carnis conſortio vitiatur: & quoniam corpus continebatur in lumbis Adæ, is communem naturam infecit ita, ut originarium peccatum ſit ob hanc præcontinentiam ſingulis proprium & originaliter voluntarium, non quod voluntates noſtræ moraliter continerentur in Adam, aut cum eo Deus conventionem aliquam vel pactum inierit.* Hactenus Berti, qui dum ſingulas hujus enuntiationis partes teſtimoniis S. S. L. L. & S. S. Petrum oſtendit, planum quoque facit cum iiſdem cohærere rationem, quam in explicanda peccati originalis propagatione adverſus Bælii ſophiſmata ſupra tenuimus.

6. Quod autem pertinet ad rationes, quibus divina Providentia & Sapientia in rerum gubernatione ſuadentur, aliæ multæ a Philoſophis adverſus Deiſtas & Atheos eliciuntur ex hujus aſpectabilis mundi contemplatione, & ex omni admiratione dignis phænomenis, quæ is repræſentat. Ut mittam veteres, inter quos non ultimum tenet locum non ſolum eloquentiſſimus Orator, verum etiam inſignis, ut iis temporibus, Philoſophus Cicero, in hac re præclare ſuam operam poſuerunt, Derhamus in Theologia aquæ & in altera Theologia Aſtronomica; Niewenthitus in libro inſcripto *Exiſtence de Dieu* in quo ex omnibus Naturæ miris effectis non ſolum divinæ exſiſtentiæ, verum etiam infinitæ in mundo regendo providentiæ & ſapientiæ demonſtrationem elicuit; Cheyne, qui in Principiis Philoſophicis Religionis Naturalis ex anglica in Italicam linguam a Derhamo verſis & editis Neapoli an. 1729. eamdem præſertim ex primariis naturæ legibus, ex mundano ſyſtemate, & ex hominis ſtructura collegit; Leſſerus in Theologia Inſectorum a Lyonetto adnota-

tionibus illuſtrata, & primum ex germanica in gallicam linguam, deinde ex gallica in italicam translata & Venetiis edita an. 1751., aliique plures, qui eamdem ſcholam varie accurateque tractarunt. Me vero tam latum excurrere campum, in quo exultet oratio, non ſinit operis, quod præ manibus habeo, ſcopus, præſertim cum ex parte explicaverim, & ex parte ſim explicaturus, ſi Deus dabit, ſcientiam naturalem, in qua percurrenda divinæ Sapientiæ atque Providentiæ prodigia quiſque manu tangere poteſt. Sed ne hunc locum prorſus intactum relinquam, operæ pretium arbitror uno eoque accommodatiſſimo exemplo rem oculis ſubjicere. Igitur in mentem veniat illarum in diſtantia attractricium, aut expultricium virium, quas Deus in ſingulis hujus mundi corporibus gignit & creat, rationem ſequentes compoſitam ex directa ac ſimplici maſſarum, atque ex inverſa ac duplicata diſtantiarum; quæque vires non ſunt, niſi motrices, quas Deus, ut vera effectrix cauſſa, creat ſumta occaſione a corporibus. §.303.n.2.Ont. Nam ex hac una lege ſua veluti ſponte præcipua conſequuntur naturæ phænomena, & leges motuum, quibus hanc univerſi molem Deus moderatur & regit. Nam primo ex vi attractrice talis naturæ eam in contactu fieri infinitam collegimus, §.303.n.3.Ont. & in Phyſ. Gen. t.1. §.201.n.3., & deinceps ex eo quod infinita fit, tum in repellentem abire & ratione ex reconditioris Philoſophiæ penu depromta collegi §. 300. Ont. & tom. 2. Phyſ. Gen. §.434.n.14.& quamplurimis Algebræ & virium centripetarum form ulis comprobavi §.434.tom. 2. Phyſ. Gen. tum ope hujus vis in contactu & in ſuperiori ſubſtantia repellentis Deum obtinere & impenetrabilitatem, quia ceteroquin corpora alia ab aliis penetrarentur §.237.n.14.Ont., & vim inertiæ, quia ſine hac vi repellente nullum quieſcens corpus alteri moto reſiſteret, nec ullam inde reciperet mutationem ab illo, quod ab altera uſque ad alteram corporis quieſcentis ſuperficiem ſine ullo prorſus impedimento tranſiret §. 237. Ont. & motus inter corpora communicationem, a qua mutationes omnes & ordo univerſi pendent §. 304. Ont. & §. 184. tom. 3. Phyſ. Gen. atque leges motum in colliſione corporum durorum, & æquilibrii §. 303. Ont. & §.201. tom. I. Phyſ. Gen. a quibus legibus aliæ corporum mollium & elaſticorum §. 191. 194.tom. III. Phyſ. Gen & innumerabilia naturæ phænomena proficiſcuntur, propterea quod ſine hac vi repellente nulla foret inter corpora motuum communicatio §. 304. Ont. & §. 201. tom. I. Phyſ. Gen. & totius univerſi ordo prorſus everteretur §. 184. tom. 3. Phyſ. Gen. Demum eadem vi attractrice in diſtantia, quæ in contactu in repellentem convertit, idem ſapientiſſimus Deus tam neceſſariam corporum cohæſionem eſt conſecutus §. 149. tom. 2. Phyſ. Gen. & quamvis Newtoniani velint hanc qua corpora cohærent, vim eſſe in alia ratione, quam quadrata poſtulent diſtantiarum inverſe, tamen ibidem & §§.509. 564. & ſeq. docui ejuſdem eſſe rationis, & contrariis Newtonianorum experimentis atque inde deductis rationibus cumulatiſſime ſatisfeci. Quia vero ſi ſola foret vis attractrix omnia corpora in unum coirent, & omnia inteſtino motu ſpoliata, quantum maxime fieri poteſt, condenſarentur §.504. tom. 2. ſi ſola foret vis expultrix, omnia in infinitum diſſiparentur, & mundus evaneſceret, ibidem oſtendi Deum in aliquibus corporibus & præſertim in igne generare vim in diſtantia repellentem, cujus cum attractrice temperatæ adminiculo idem obtinet, ut & corpora nec nimis diſperſa nec nimis conglobata ſint, & motum inteſtinum innumerabilibus neceſſarium phænomenis habeant §. cit. & cum

aliis

Digitized by Google

aliis particulis, quæ alioquin vi attractrice donantur, motum inteſtinum communicet, & hoc facto in corpora fluida vertat §. 153. & ſeq. tom. 3. Phyſ. Gen. Quis autem hæc omnia tam ſtupenda, tam varia, tam per omnem naturam longe lateque manantia ab una tam ſimplici virium in diſtantia partim attrahentium, partim repellentium lege, quam ſibi Deus in mundi gubernatione ſtatuit, prodire conſiderans, non miretur ipſius providentiam atque ſapientiam, qui uno eoque ſimplici medio, una eademque opera totius mundi corporei gubernationem exſequitur? Quod ſi advertamus hoc mutuarum attractionum ſyſtema, quod idem eſt ac cauſſarum occaſionalium §. 250. Ont. ad commercium quoque inter animam & corpus pertinere, quis cum Apoſtolo non clamet: *o altitudo divitiarum ſapientiæ ac ſcientiæ Dei!* obſervans mirabilem ſimpliciſſimæ legis fœcunditatem ad omnia ſubſtantiarum genera pertinentem?

CAPUT SEXTUM.

De Deo, quatenus eſt auctor legis naturalis, & de differentia inter actiones bonas & malas.

§. 204. Animadverſio & Definitiones

Divina Providentia quammaxime relucet in lege naturali, quam ſubſtantiis ratione & libertate utentibus, quales ſunt homines, obſervandam propoſuit atque præſcripſit. Ad hanc autem legem naturalem opus eſt ut aliquæ ſint actiones hominum ſua natura bonæ & honeſtæ, quæ fieri præcipiantur, aliæ autem malæ, & turpes, quæ prohibeantur. Quamobrem de his in præſenti eſt diſputandum.

2. Qua in re primum ajo legem eſſe normam, ſive propoſitionem practicam, ſecundum quam creatura rationalis ſuas actiones liberas determinare debet; ut parentes ſunt diligendi, ſive eſſe divinam voluntatem creaturæ rationali manifeſtatam, aliquam actionem fieri præcipientem aut vetantem, ſecundum quam eadem ſuas liberas actiones dirigere debet. Nec aliquis ajat ſecundam hanc definitionem convenire legi divinæ, non legi in genere; cum enim creaturæ rationales non debeant obedire niſi Deo, & iis aliis creaturis, quibus Deus illas ſubjicere voluit, ſequitur leges omnes in eo convenire, ut a divina voluntate vel proxime vel remote proficiſcantur; de quo in poſterum enucleatius.

3. Unde duplex legis genus primum diſtinguitur; alia enim eſt lex divina, alia humana; divina eſt proxima Dei voluntas, aliquid fieri præcipiens aut vetans; humana eſt voluntas aliquid ſimiliter fieri præcipiens aut vetans, illius hominis, cui Deus vult

Digitized by Google

ut alii obediant, & ſecundum illius voluntatem ſuas liberas actiones determinent.

4. Utraque autem alia eſt naturalis, alia eſt poſitiva. Divina naturalis eſt ea lex, quæ fieri præcipit & vetat ea quæ ſunt bona aut mala ex natura ſua independenter a libera Dei voluntate; ut ex his duobus *Deus eſt ab hominibus amandus*, *Deus non eſt ab hominibus odio habendus*, alterum præcipitur, alterum vetatur, quia primum eſt ex natura ſua bonum & honeſtum, ſecundum malum & turpe adeo ut nec Deus poſſit hanc eorum naturam immutare, & facere ut amare Deum aliquando ſit malum & turpe, odio habere ſit bonum & honeſtum. Divina poſitiva eſt ea quæ fieri præcipit aut vetat ea quæ ex ſua natura non ſunt abſolute bona aut mala, ſed ſolum relate, quatenus ad bonum aut ad malum finem diriguntur, cujuſmodi fuit lex Adamo præſcripta pomi arboris ſcientiæ boni & mali non comedendi, eæque leges a libera Dei voluntate pendent. Actiones primi generis ideo præcipiuntur aut prohibentur, quia ſunt bonæ aut malæ ipſæ per ſe; non ideo ſunt ipſæ per ſe bonæ aut malæ, quia præcipiuntur aut prohibentur; actiones vero ſecundi e contrario.

§. 204. Propoſitio

Datur lex divina naturalis. Prob. Ad legem divinam naturalem hæc requiruntur; 1. ut ſint aliquæ actiones liberæ per ſe bonæ & honeſtæ, aliquæ per ſe malæ & turpes, quarum naturam nec Deus ipſe immutare poſſit, & facere, ut honeſtæ in turpes, & turpes in honeſtas convertant. 2. Ut Deus velit primas ab hominibus patrari, ſecundas omitti; quia lex eſt poſita in voluntate præcipientis aliqua fieri, aut prohibentis. 3. Ut Deus ipſe per ſe hanc ſuam voluntatem hominibus declararit, quia lex niſi denuntietur ei, qui debet illam obſervare, non poteſt eſſe illa norma, ad quam homines ſuas liberas actiones determinare poſſint. 4. Ut homo obligatione teneatur obediendi Deo, & ſecundum ipſius voluntatem ſuas dirigendi liberas actiones. Atqui hæc omnia habentur. Ergo datur lex divina naturalis.

2. Prob. min. quod attinet ad primam partem. Cum ex altera parte Deus ſit verum ac ſummum bonum, & ex altera homines omnino pendeant a Deo, non ſolum quod attinet ad primam creationem §. 200. Ont. ſed etiam quod attinet ad continuatam conſervationem non tantum ſubſtantiæ, ſed etiam virium, quibus aliquas liberas actiones patrare poſſint §. 104. ita bonum & honeſtum eſt amare ſummum ac veriſſimum bonum, iis, quorum voluntates ad

ho-

bonum ſemper a Deo inclinantur §. 133. ita malum & turpe odio habere idem præſtantiſſimum bonum, ut nulla ratione Deus facere poſſit, ut ſui ipſius amor ſit aliquod malum, ſui ipſius odium ſit bonum, quia ſicuti ob eam rationem quod voluntas Dei eſt optima, fieri nequit ut Deus ſe ipſum odio habeat, aut non amet, ita ob eamdem cauſſam non poteſt facere, ut amor ſui ipſius non ſit aliquod bonum, & odium non ſit aliquod malum. Ergo hæ actiones, quæ in hominis libertate ſunt, amandi Deum, aut odio habendi, ita ex natura ſua ſunt bonæ & honeſtæ, aut malæ & turpes, ut nec Deus earum naturam immutare poſſit. Idem oſtendi poteſt de aliis actionibus. Conſtat igitur prima pars.

3. Unde venio ad ſecundam, quæ patet ex eo, quia licet Deus ſit liber a neceſſitate abſoluta, quia poterat ſubſtantias intelligentes creare, & non creare, facere liberas, & non facere, tamen non eximitur a neceſſitate hypothetica, quia poſita hypotheſi, quod eas condidit ſuimetipſius, & actionum bonarum atque malarum cognitione, & etiam libertate donatas, atque perpetua in bonum atque felicitatem propenſione, non potuit, ut optima voluntate donatus, non ipſarum actiones aliquibus regulis dirigere ad verum bonum, & præſertim non velle ut ſe ipſum tamquam ſummum bonum amarent & colerent. Unde liquet etiam ſecunda pars.

4. Quamobrem accedo ad tertiam, & ajo Deum dediſſe ſingulis hominibus rationem naturalem, & illius ope ſuam ipſis voluntatem in aliquibus actionibus committendis, in aliis omittendis ita declaraſſe, ut nemo illam ignorare poſſit. Nam primo quiſque ratione cognoſcit Deum exſiſtere & eſſe optimum atque ſapientiſſimum, atque omnia ad optimum finem, ideſt ad ſuæ gloriæ ſuorumque attributorum revelationem §. 92. & ad rerum ab ipſo creatarum felicitatem retuliſſe. Ex quo intelligitur Deum voluiſſe ut homines ſe ipſum cognoſcerent, atque ut perfectiſſimum bonum amarent, & ea facerent aut omitterent, quæ ipſum velle intelligerent, præſertim ut non ſolum Deo, ſed etiam ſibi & aliis ſuum cuique tribuerent. Cum enim cuique neceſſarii ſint potus ac cibus, quo vitam a Deo receptam conſervent, neceſſarium erat ut Deus idonea ad id obtinendum media hominibus provideret. Id autem præſtitit præſcribendo, ut quem quiſque agrum primus occupaſſet & coluiſſet atque ſeminaſſet, ex eo fructum ad vitam ſuſtentandam accommodatum colligere poſſet, quin alii ab aliis turbarentur. Qui enim vult finem, etiam media ad finem conſequendum idonea velle dicendus eſt. Quod ſi quiſque poſſet alios

ex

ex ſuis poſſeſſionibus deturbare', homines nequirent ex ſuis laboribus fructum vitæ conſervandæ neceſſarium colligere. Ex quo fonte clare colligitur jus hominum ſingulorum non in ſua tantum vita, ſed etiam in rebus ad eam degendam neceſſariis conſervandis. Quod confirmatur ex communi Gentium conſenſu, qui ſenſus naturæ & auctoris naturæ dicendus eſt, & ex iis inſtinctibus ſeu inſitis appetitionibus, quibus quiſque experitur ſe ad aliqua præſtanda vehementer impelli, ut ad tendendum in ſummum bonum, ad vitam conſervandam, ad prolem gignendam, & educandam, atque ad res ſuas defendendas, & ab aliquibus committendis deterreri, ex. g. ab iis, quæ dictis contraria ſunt. Præſertim vero quiſque experitur & ſentit ſe ita conditum a Deo fuiſſe, ut non ſolum ad ſpeciei conſervationem, ſed etiam ad ſuam vitam commode ſuſtentandam opus haberet aliis hominibus, atque idcirco deſtinatum a ſuo Creatore fuiſſe ad ſocietatem cum aliis coeundam, adeoque ad illa accurate ſervanda, quæ ſocietatem inter homines conciliant atque tuentur, ſive ad ſuum cuique tribuendum, ne aliter faciendo bella, lites, vulnera & homicidia ſequantur. Quid igitur clarius eſſe poteſt ſingulis hominibus, quam Deum optimum ac ſapientiſſimum, quique ipſorum curam agit §.181. hæc omnia adeo ipſis neceſſaria voluiſſe ut ſervarent, & a contrariis abſtinerent?

5. Quarta vero pars manifeſta fit ex eo, quod Deus non ſolum hominum ſubſtantiam creavit atque conſervat, ſed etiam vires agendi & appetendi, quibus hoc aut illud præſtare & omittere libere poſſunt. Ergo cum toti ſint a Deo, quis non videt eos Dei dominio prorſus ſubjici, & præſtare debere illa omnia, quæ ipſum velle intelligunt? Ex quibus omnibus palam fit dari legem divinam naturalem.

§. 206. Objectio

Nulla datur lex, niſi clare denuntietur, & obſervanda proponatur. Atqui Deus nullam hominibus naturalem legem denuntiavit & obſervandam propoſuit. Ergo non datur lex naturalis divina. Prob. min. Nuſpiam legitur Deum hominibus locutum fuiſſe. Ergo &c.

§. 207. Reſponſio

Diſt. Deus naturalem legem hominibus non denuntiavit locutione externa omitto; interna aliiſque ſuæ voluntatis ſignis ne. Eſt enim diſcrimen inter homines legum latores interque Deum, quod ut homines aliis ſuam voluntatem manifeſtam faciant, opus habent uſu locutionis vel ore vel ſcripto; Deus autem qui proxime in ani-

ma

Digitized by Google

ma operatur, ſuam voluntatem ſervandi plura legis naturalis præcepta ſatis perſpicuam facit ope illius rationis naturalis luminis, quo ſingulos homines donavit, quove, ſi animum attenderint, venire poſſunt in cognitionem divinæ naturæ, & illius voluntatis, qua legis naturalis præcepta ſupra expoſita obſervari poſtulat. Conſenſus autem in præcipuis juris naturalis principiis omnium nationum aut ortus a ſolo rationis lumine, & ab inſtinctu, aut etiam ſuppetias ferente Primi Parentis traditione ad ipſius nepotes propagata, quemadmodum erudite oſtendit meus conterraneus atque dum viveret, amiciſſimus Cl. Abbas Polinus in Opere inſcripto *De Jur. Div. & Nat. Orig. Brixiæ* 1761. hanc divinam voluntatem magnopere confirmat, & indicare videtur hanc naturalis legis notitiam Deum particulari quadam ratione primo dediſſe, a quo omnes alii uti originem, ita primarias rerum cognitiones hauſerunt.

§. 208. Inſtantia

Atqui Deus nec interna locutione naturalis ope rationis hanc naturalem legem hominibus denuntiavit. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Si res ita foret, omnes nationes in legis naturalis præceptis convenirent; atqui tantum abeſt ut convenerint, ut aliquæ pro licitis habeant, quæ dicta lege interdici dicuntur, uti furtum, uſuram, homicidium, adulterium, & incæſtuoſas cum ſororibus nuptias. Ergo &c.

§. 290. Reſponſio

Diſt. maj. Si res ita foret, omnes nationes in naturalis legis præceptis convenirent, ſi ſufficientem attentionem ad ea, quæ naturali ratione elici poſſunt, adhiberent, aut ſe affectibus prorſus depravari non ſinerent co. aliter ne. Nam primo in practicis legis naturalis principiis idem contingere poteſt, ac in ſpeculatricibus univerſæ Philoſophiæ, in quibus factum eſt, ut quamvis aut ipſa per ſe clara ſint, aut ex perſpicuis colligi poſſint, tamen multi errarent & errent etiamnum ex defectu attentionis, eoquod ad ſuas claras ideas & præſertim ad ea, quæ ex illis perſpicue colliguntur, non ſatis attendunt. Quid ergo mirum, ſi idem contingere poſſit ob eamdem cauſſam etiam in practicis? Nec inde tamen inferendum eſt Deum ſingulis hominibus ſuam legem manifeſtam non feciſſe, propterea quod Deus omnia providit ad illius acquirendam notitiam neceſſaria; hominibus autem eſt vitio vertendum, ſi mediis a Deo exhibitis ad hunc finem nequaquam utantur.

2. Deinde experientia docet non tam legis naturalis principia ignorari ab aliquibus, quam contemni ab iis, qui interiores conſcien-

ſcientiæ rectum monentis & præcipientis remorſus conantur, ſed fruſtra, retundere, ut cupiditatibus ſatisfaciant majori cum licentia.

§. 210. Inſtantia

Atqui etiamſi homines ad ea, quæ naturali ratione elici poſſunt, animum attenderent, nihilotamen minus in legis naturalis principiis & in eo, quod honeſtum ac turpe foret, diſcreparent. Ergo &c. Prob. min. Diſcreparent, ſi nullæ forent actiones hominum intrinſecus bonæ & honeſtæ, malæ & turpes; atqui nullæ ſunt. Ergo &c.

§. 211. Reſponſio

Diſt. min. nullæ ſunt actiones bonæ & honeſtæ, malæ & turpes in ſententia quod detur libertas in humanis actionibus ne. in hypotheſi quod non detur ſub. nullæ ſunt bonæ aut malæ quod attinet ad ipſarum effectum, ſcilicet ad juſte merendam laudem aut vituperationem, premium aut pœnam co. quod attinet ad ipſarum naturam ne. Honeſtas quarumdam actionum, ut amandi Deum, & proximo ſubveniendi in extrema ipſius neceſſitate, turpitudo aliarum, ut efficiendi contraria, præciſe non pendent ab hominis libertate in ipſis ponendis, ſed a natura ipſarum, & a natura perfectiſſimi Entis, & hominum ab ipſo creatorum, quorum appetitiones voluntati divinæ congruere debent, & ferri in bonum omnium maximum. Verum ſi homines liberi non forent, nulla ipſorum bonis actionibus laus & premium, malis vituperatio & pœna juſte deberentur §. 174. & ſeq. Cum vero jam oſtenderimus homines eſſe liberos & ſuarum actionum dominos §. 60. Pſych. & hic §. 180. ſequitur alias ipſorum actiones eſſe bonas & honeſtas, alias malas & turpes, non ſolum quod attinet ad internam ipſarum naturam, ſed etiam quod pertinet ad effectus, qui has actiones conſequuntur.

§. 212. Inſtantia

Atqui licet homines libertate præditi ſint, ipſorum actiones per ſe honeſtæ & bonæ, turpes & malæ non ſunt. Ergo &c. Prob. min. ſub. Ex libera hominum conventione pendet, ut actiones hominum bonæ aut malæ ſint. Ergo &c.

§. 213. Reſponſio

Diſt. ant. Ex libera hominum conventione pendet, ut omnes ipſorum actiones ſint bonæ aut malæ ne. ut aliquæ ſub. ſed ita ut poſtquam pactum & conventio præceſſit, ſint ex lege naturali bonæ aut malæ co. aliter. ne. Nam primo ſunt plura officia, quæ ante omnem conventionem debemus non ſolum Deo, cujus amandi & colendi obligatio non a noſtra libera voluntate pendet, ſed ab ipſius perfectiſſima natura, & a noſtrum ab ipſo ſumma dependentia

Digitized by Google

tia in creatione & conſervatione non ſolum ſubſtantiæ, ſed etiam virium, quibus agere poſſimus; non ſolum nobiſmetipſis, qui vitam noſtram tueri & conſervare debemus ante omnem cum aliis conventionem, ſed etiam aliis hominibus; ut ſi quis etiam ignotus in vitæ diſcrimine reperiatur, eidemque opem ferre poſſimus, certe eidem præſto eſſe debeamus, tametſi nullum inter eum & nos pactum præceſſerit.

2. Deinde poſteaquam aliqua cum aliis pacta inivimus ad ea præſtanda, ad quæ naturali lege nequaquam aſtringimur, ut ſi aliis quidquam promiſimus, tunc ex naturali lege ſequitur, ut poſito pacto hanc actionem ponere debeamus, & eam ſine peccato non poſſimus omittere. Quibus perſpicuum fit in objecta difficultate nihil eſſe momenti.

§. 214. Inſtantia

Atqui omnium actionum honeſtas aut turpitudo, & inde orta obligatio eas committendi aut omittendi, non oritur niſi a pactis, quibus homines ſe aliis obligarunt ad aliquod particulare præſtandum, aut ad obedientiam, ex quo imperia orta ſunt, & leges juſti & injuſti ab hominibus latæ. Ergo &c. Prob. min. ſub. Ante omnem conventionem hæc eſt una juſti & injuſti regula, ut quiſque ſuam quærat & procuret utilitatem, idque volente Deo. Ergo &c. Prob. ant. Homo ita comparatus a Deo eſt, ut neceſſario velit bonum, ideſt ſui perfectionem, & averſetur malum, ideſt ſui imperfectionem. Ergo &c.

§. 215. Reſponſio

Diſt. conſeq. Ergo hæc eſt una juſti & injuſti regula ut quiſque ſuam procuret utilitatem veram co. apparentem ne. In appetendo bono ſive ſui perfectione in genere homo liber non eſt; ſed ſolum in directione hujus appetitus ad hoc potius ſui bonum, quam ad aliud quodcumque §. 166. & ſeq. Appetere autem particulare aliquod bonum verum eſt ſemper homini utile, ſicut & appetere apparens eſt ſemper inutile, non ſolum ex eo, quod bonum verum eſt vera ipſius perfectio, & bonum apparens eſt vera imperfectio, ſed etiam ex eo quod appetitiones boni veri premiis, boni apparentis pœnis Deus afficit in hac brevi vita, aut ſaltem, quod maxime eſt attendendum, eſtque homini longe utillimum, in ſempiterna futura, quemadmodum §. 202. docuimus Deum, utpote optimum atque juſtiſſimum, præſtare oportere. Cum vero ante omnem inter homines conventionem & imperia inde orta, & leges humanas ab imperiis profectas homo multa præſtare debeat officia ſic volente

Deo tum erga Deum ipſum, tum erga ſeipſum, tum erga ſuum proximum, ut ſupra docuimus, & in iis præſtandis homo bonum verum, & veram ſui utilitatem inde profectam, in iis omittendis, aut in contrariis actionibus exercendis idem bonum apparens, & verum damnum inde ortum conſequatur; ſequitur in hoc utilitatis propriæ objecto nihil eſſe, quod legem naturalem ab ipſomet ſolo Deo pendentem, & ejuſdem obligationem labefactet.

§. 216. Propoſitio

Voluntas Dei præcipientis ea, quæ ab hominibus fieri debent, aut prohibentis ea, quæ omitti, iiſdem ope rationis, & ad ſummum etiam adminiculo primitivæ traditionis ſignificata, eſt ipſa naturalis lex adeout ſine aliqua Dei cognitione nulla naturali lege ad aliquid committendum aut omittendum humanum genus teneretur. Prob. Leges naturales ſunt aliquæ propoſitiones practicæ, ad quarum normam homines ex natura ſua & ante omnem liberam ipſorum conventionem ſuas liberas actiones exigere debent. Atqui propoſitiones practicæ non poſſunt eſſe, niſi in aliqua mente, & ſi homines ex natura ſua debeant ad earum normam ſuas liberas actiones exigere, debent eſſe in mente illius, cui homines obedire teneantur; ſoli autem Deo, cui non ſolum ſuæ ſubſtantiæ, ſed etiam virium, quibus actiones exerceant, creationem conſervationemque ferunt acceptam, obedire debent ex natura ſua & ante omnem liberam conventionem, §.204.num.2.&4. non autem aliis hominibus, quibus natura ſe eſſe æquales cognoſcunt. Ergo &c.

§. 217. Objectio

Si Deus non exſiſteret, nihilominus homo deberet aliquas actiones exercere, & aliquas omittere. Ergo voluntas Dei non eſt ipſa naturalis lex, cui ſoli debeant homines obtemperare. Prob. ant. Attenta ſolius hominis natura ſunt aliquæ actiones intrinſecus bonæ, & aliquæ intrinſecus malæ §. 204. num. 4. Ergo &c.

§. 218. Reſponſio

Diſt. ant. Attenta ſolius hominis natura ſunt aliquæ actiones intrinſecus bonæ, & aliquæ malæ, ſi hæc natura conſideretur cum neceſſaria ad Deum relatione co. ſi conſideretur ſine ne. Cum homo non poſſit eſſe a ſe §.200. Ont. non poteſt ipſius natura conſiſtere niſi cum relatione ad Deum, a quo ſubſtantia hominum & vires agendi creentur §.42. 237.& ſeq. Ont.& conſerventur. §.104. Quare ſi homo ſuam cognoſcat naturam cum hac neceſſaria ad Deum creantem ac conſervantem relatione, etiam cognoſcere poteſt tum alias ſui actiones eſſe conformes divinæ voluntati, & alias eſſe diſſentaneas, tum ſe de-

debere eidem voluntati obtemperare. Si non cognoſcat, tunc ſe eſſe a ſe putabit, atque ideo a cujuſcumque voluntate & imperio prorſus independentem, indeque eliciet illud ſibi eſſe bonum, quod aliquam præſentem utilitatem atque delectationem ſive partis inferioris, ſive ſuperioris efficiet; illud malum, quod moleſtam ſenſationem atque dolorem. Quod ab officiis legis naturalis quantum abſonum ſit, nemo non videt.

§. 219. Inſtantia

Atqui licet homo ſine ulla ad Deum relatione conſideretur, tamen ipſius actiones intelligi poſſunt intrinſecus bonæ aut malæ. Ergo &c. Prob. min. ſub. Atheus ſine ulla Dei cognitione intelligit ſe præſtare debere ea, quæ utilia ſunt humanæ ſocietati, omittere quæ ſunt inutilia; atqui ex hoc principio eruit quaſdam actiones eſſe intrinſecus bonas, quaſdam autem malas. Ergo &c.

§. 220. Reſponſio

Diſt. maj. Atheus ſine ulla Dei cognitione intelligit ſe præſtare debere quæ ſunt utilia ſocietati, & omittere quæ ſunt inutilia, ſi utilitas ſocietatis ſit conjuncta cum ſua privata utilitate voluptateque, & damnum ſocietatis conjunctum cum ſuo co. aliter ne. Ergo ſine ulla ad Deum relatione intelligi poteſt alias actiones eſſe intrinſecus bonas, alias intrinſecus malas vere vel apparenter co. ſolum vere ne. Cum Atheus ſine ulla cognitione Dei intelligere debeat ſe, quod attinet ad ſubſtantiam, eſſe a ſe; quod attinet vero ad conjunctionem ac diſpoſitionem ſubſtantialium partium, ſe pendere a neceſſariis ipſarum viribus atque motibus, quibus factum eſt ut tali pacto cohæſerint, cognoſcere non poteſt ſe aliquam voluntariam actionem, quæ damnum afferat ſibimetipſi, præſtare debere, aut aliquam omittere, quæ ipſi ſit utilis, in puram aliorum gratiam, a quibus nullum ſaltem voluntarium beneficium accepit, ſed id unum intelliget, ad quod ingenito appetitu feretur, ut ſuam voluptatem, commodum atque utilitatem, ſive bonum verum ſive apparens illud ſit, totis viribus procuret, & ſuos dolores, incommoda ac damna ſimiliter vitet. Quod ſi forte accidat ut quæ ipſi videntur bona aut mala, hujuſmodi ſint etiam ratione habita aliorum, tunc percipiet ea ſibi eſſe perſequenda aut fugienda non in gratiam ſocietatis, ſed ſuimetipſius; ſin autem contrarium uſuveniat, ut ſæpiſſime fit, pariter noſcet ſui rationem, non aliorum in iis perſequendis aut vitandis ſe habere oportere. Ergo Atheus ſine ulla cognitione Dei id, quod ſibi bonum eſt, ſeu vere, ſeu apparenter, pro ſummo bono judicabit; id quod ſibi ſi-

Digitized by Google

militer malum eſt, pro ſummo malo. Quod quamlongiſſime diſtet a legis naturalis officiis nemo ignorat.

§. 221. Inſtantia.

Atqui Atheus ſine ulla Dei cognitione & ſola attenta ſui natura ſine nlla ad Deum relatione intelligit aliquas actiones eſſe intrinſecus bonas, aliquas intrinſecus malas, etiamſi nullam ipſi utilitatem aut delectationem afferrent. Ergo &c. Prob. min. ſub. Si Atheus ſine ulla Dei cognitione id non poſſet intelligere, ſequeretur hominem tranſilientem naturæ legem nullo peccato ſe aſtringere, niſi cognoſceret ſe Divinam voluntatem tali actione migrare. Atqui certum eſt hominem tranſilientem naturæ legem peccato ſe aſtringere, tametſi non cognoſcat ſe divinam tranſilire voluntatem, quia communi Philoſophorum atque Theologorum ſuffragio proſcripta eſt ſententia affirmans dari peccatum pure philoſophicum, in eo poſitum, quod quis aliquam actionem committens cognoſcit quidem ſe naturæ leges offendere, non autem Deum, ob quod peccatum nullam mereatur pœnam ſaltem æternam. Ergo &c.

§. 222. Reſponſio.

Diſt. maj. Sequeretur hominem tranſilientem naturæ legem ſe peccato non obſtringere, niſi cognoſcat vel explicite vel implicite ſe divinam tranſilire voluntatem co. niſi cognoſcat explicite ne. Et diſt. min. atqui certum eſt hominem tranſilientem naturæ legem ſe aſtringere culpa, etiamſi explicite non cognoſcat ſe divinam migrare voluntatem co. etiamſi nec explicite, ne implicite id noſcat ne. Qui Deum exſiſtere, & eſſe legis naturalis auctorem cognoſcit, etiam novit ſe peccare tranſgrediendo legis naturalis præcepta, eo quod tali pacto divinam voluntatem tranſgreditur. Quamobrem etſi uſuveniat interdum, ut dum reipſa hæc migrat præcepta, actu ad Deum non reflectat, neque noſcat ſe divinam offendere voluntatem, nihilominus in eo reſtat cognitio, quam ſæpius habuit, peccati quod in tranſgreſſione legis naturalis poſitum eſt; in qua cognitione non eſt quidem explicita relatio ad Deum, ſed tamen eſt implicita, quæ ſatis eſt ad eum finem, ut vero peccato pœnam merente ſe obſtringat, eo quod ſine actuali Dei cognitione & actionis legi naturali contrariæ ad Deum relatione, cognoſcere poteſt ſe verum malum in ea præſtanda appetere, & velle, tametſi tunc actu non cognoſcat rationem alias cognitam cur verum malum ſit. Atheus vero qui nullam umquam ponatur Dei cognitionem habuiſſe, numquam potuit cognoſcere aliquas actiones eſſe bonas, aut aliquas malas, niſi eas quæ ſibi aliquam perfectionem ſeu veram,

ſeu

ſeu apparentem afferrent ob rationes quas expoſuimus. Ergo is ſine ulla Dei cognitione actiones vere bonas & malas cognoſcere nequit nec explicite, nec implicite, quin tamen inde exploſa peccati philoſophici ſententia colligi poſſet.

§. 223. Inſtantia

Saltem in Atheo foret hujuſmodi philoſophicum peccatum, & Atheus eſſet melioris conditionis, quam ceteri homines, eoquod is ſuis poſſet ſatisfacere cupiditatibus, quin ullam mereatur pœnam æternam. Id autem eſt abſurdum. Ergo &c.

§. 224. Reſponſio

Ad hæc duo reſpondeo; primo ad peccatum philoſophicum duo requiri, alterum ut quis cognoſcat ſe aliquam actionem perpetrando legis naturalis præcepta tranſilire, alterum ut dum illam exercet, Deum reipſa non cogitet. Jam vero ſi verus Atheus daretur, aliud bonum aut malum non cognoſceret, niſi quod ſibi utile & commodum, aut inutile & incommodum videret; & deſtitutus cognitione præmiorum aut pœnarum, quæ in altera æterna vita manent actiones humanas, quæ legi naturali ſunt conſentaneæ, aut ab ea diſſentiunt; tametſi nullum in præſenti ex ipſis oriatur commodum aut incommodum, non poſſet agnoſcere ſuam veram utilitatem ſuumque verum bonum, nec ſuum verum damnum & verum malum, quæ in alteram vitam reſervari docuimus. Quamobrem Atheus nec in legem naturalem, quam minime cognoſceret, poſſet peccare, nec idcirco culpa philoſophica, quæ illam cognitionem deſiderat, ſe obligare.

2. Deinde repono fieri non poſſe ut inter homines, qui ratione utuntur, verus Atheus ſit, ille nimirum qui non ſolum ore proferat ſe nullum admittere Deum, verum etiam id animo ſentiat. Nam Dei exſiſtentia eſt una ex propoſitionibus, quæ ex principiis adeo claris ita facile colligitur, ut impoſſibile ſit poſſe aliquem ratione donatum eidem non aſſentiri; quemadmodum fieri non poſſe docuimus §. 217. Logicæ, ut quis veritatibus claris atque perſpicuis aſſenſum non præbeat; vel ſaltem non judicare veriſimilem Dei exſiſtentiam, tametſi argumenta contraria aliquem etiam aſſenſum contradictoriæ propoſitioni ab iiſdem extorſerint, ſecundum ea quæ §. 6. & ſeq. diſſeruimus. Quod ſi res ita eſt, quilibet non magna ſuæ mentis attentione ex divinæ exſiſtentiæ & ex ejus attributorum cognitione præcipua legis naturalis præcepta, ejuſque obligationem colligere poteſt. Ex quo fiet, ut legem naturalem tranſiliens vero peccato quiſque ſe obſtringat, præſertim cum ad obliga-

gationem contrahendam, & ad culpam committendam non omnino evidens cognitio deſideretur, ſed ea ſit ſatis, quæ ad verum quamproxime videtur accedere.

§. 225. SCHOLION X.

Samuel Coccejus Henrici filius tom. V. Operis Grotiani de *Jure belli & pacis* cum adnotationibus Henrici & aliorum, editi Lauſannæ an. 1759. diſſert. procemiali 8. cap. 1. exponit eorum ſyſtema qui nullum naturæ jus, nec ejus Executorem, ſive Judicem naturalem admittunt, oſtenditque omnes eo revolvi, ut negent quidpiam natura vetitum eſſe, & ajant unicuique hominum facultatem convenire agendi quidquid lubet. Cum vero in tali ſtatu alii in alios ſævire poſſent, & quiſque aliorum crudelitati pateret, monet eos docuiſſe inde originem ducere ſocietates, & pacta inter homines, qui coiverunt, quorum virtute quiſque ab aliorum injuriis defenderetur, quæque ſunt una origo naturalis juſtitiæ, & una ratio, cur aliæ hominum actiones juſtæ ſint, aliæ vero injuſtitiæ labe inficientur. Initium ducit a ſententia Glauci apud Platonem l. 2. de Rep. inde gradum facit ad Epicurum, & ad ejus aſſeclam Horatium, tum latius explicat impium Hobbeſii ſyſtema, quod operæ pretium exiſtimamus hic enucleatius explicare non ſolum cum laudato auctore, verum etiam cum Cl. Genuenſi, qui in Elem. Metaph. hoc ſyſtema perſequitur ſecundum ea, quæ auctor in lib. de Cive, & in Leviathan diſſerit, quorum operum alterum habeo edit. Amſtælodamenſis an. 1647., alterum in linguam gallicam verſum, inſcriptumque *Le corps Politique* edit. Leidenſis an. 1653.

2. Itaque is primum definit jus naturale *libertatem quam quiſque habet facultatibus naturalibus ſecundum rectam rationem utendi; dictamen rectæ rationis circa ea quæ agenda vel omittenda ſunt ad vitæ membrorumque conſervationem quantum fieri poteſt diuturnam.* Tum hoc ſtatuit totius moralis ſcientiæ principium, hominum ingenia eſſe hujuſmodi natura, ut niſi metu communis alicujus potentiæ coerceantur, ſibi invicem diffidant, ſeſe viciſſim metuant, & propriis viribus ſinguli ſibi cavere cum jure poſſint, tum neceſſario velint: cui principio addit poſtulata duo, alterum eſt cupiditatis naturalis, qua quiſque rerum communium uſum poſtulat ſibi proprium; alterum rationis naturalis, qua quiſque mortem violentam, tamquam ſummum naturæ malum, ſtudet evitare. Vult enim omnes homines non minori naturæ neceſſitate, quam qua lapis fertur deorſum, ferri ad appetitionem ejus, quod bonum ſibi videtur; & ad fugam ejus, quod ſibi malum, maxime autem malorum naturalium quod eſt mors. Ex quo elicit, hoc maxime juſtum eſſe utpote rationi naturali conſentaneum, ut quiſque primum ſe ſuaque quantum fieri poteſt, tueatur, deinde, ut ad hujuſmodi finem utatur omnibus iis mediis, quæ ipſe, non alii ſuæ vitæ & incolumitati tuendæ neceſſaria eſſe judicaverit.

3. Cum vero natura ſint omnes æquales, in ſtatu naturæ ante omnem civilem legem omnia omnium eſſe contendit, & unumquemque facere poſſe quæcumque & in quoſcumque libet, quæ ſua putet intereſſe, & unam actionum humanarum regulam eſſe cujuſque utilitatem, indeque fieri naturalem hominum ſtatum eſſe mutui belli, quo quiſque contra alios omnes vi & dolis omnia ſibi vindicare poteſt.

4. Sed quia ſtatus belli conſervationi hominum potiſſimum adverſatur, inde:

Digitized by Google

de factum eſſe contendit, ut pacem bello contariam quærerent, & ad eam conciliandam ſinguli ſuo naturali jure aliqua ex parte cederent, pacta & conventiones inter ſe inirent, & præſertim illud ſuam libertatem aliquantum coercendi, & dominium transferendi in unum aut plures, qui poſſent pœnis coercere eos, qui pacta conventioneſque migrarent.

5. Ex quibus principiis primarias elicit naturæ leges, quas ſemper obligare docet in conſcientia & in foro, ut ajunt, interno, non in externo, eo quod ſi alii non ſervant, neque nos ſervare tenemur, ne præda aliorum fiamus, ſed tamen ita affecti eſſe debemus, ut ſi fieri poſſit, eaſdem ſervare parati ſimus.

6. Sic Hobbeſii mentem explicat Genuenſis, cui addo hæc duo ex Coccejo. Alterum eſt Hobbeſium admittere quidem præcepta naturæ, indeque tranſgreſſores pœnam mereri, verum id ſolum obtinere reſpectu Dei, non vero inter homines ipſos. Inter hos enim natura nihil in ejus ſententia juſtum aut injuſtum eſt, ſed mutuus metus demum homines induxit ut in ſocietatem coierint, & jus ſuum invicem graſſandi judicio civitatis ſubjecerint. Alterum eſt ſummum arbitrium omnia faciendi etiam ea quæ præceptis Decalogi continentur, eſſe penes imperantem, qui ſoli Deo, non civibus aliquid debet, nec ab iiſdem ad pacta ſervanda poſſe obligari, atque hanc eſſe generationem magni illius *Leviathan*, ideſt mortalis Dei, cui ſummam omnia faciendi potentiam ex aliorum hominum voluntaria conceſſione habenti pacem & protectionem ſub immortali Deo habeamus.

7. Mitto Spinoſæ circa leges naturales ſententiam, quæ quantum aliis ipſius ſyſtematis partibus conſentanea eſt, tantum diſſentit ab evidenti ratione, qua illud refutatur; & venio ad alios recentiores, qui jus naturale verbis retinuiſſe, re ſuſtuliſſe videntur. Et primo audiamus Encyclopædiæ auctores, & præſertim Diderotum, qui verbo *Droit naturel* hæc habet e gallica in latinam linguam translata. „Hujuſce vocabuli uſus adeo frequens eſt, ut fere nemo ſit, qui ſibi animo non perſuaſerit rem eſſe evidenter cognitam atque perſpectam. Hic intimus ſenſus eſt Philoſopho communis cum illo, qui numquam animum advertit. Hoc tamen intereſt diſcrimen, quod ſecundus ad quæſtionem *quid eſt jus naturale*, præ idearum & vocabulorum inopia ad conſcientiæ teſtimonium nos vocat, & obmuteſcit: primus autem ſilentio & abſtruſioribus commentationibus ſe dare cogitur ſolum, poſteaquam vitioſum abſolvit circuitum, qui hominem eo reducit, unde digreſſus erat, aut ſe implicat quæſtione difficiliore præ illa, ex qua ſua ſe definitione expediſſe credebat. Philoſophus enim interrogatus ait. *Jus eſt fundamentum & prima ratio juſtitiæ*. Sed quid eſt juſtitia? *Eſt obligatio reddendi cuilibet id quod ad eum pertinet*. Verum quid eſt quod ad aliquem potius, quam ad alium quemcumque pertineat in eo rerum ſtatu, in quo omnia omnium forent, & diſtincta obligationis notio nondum fortaſſe conſtaret? Quid enim aliis deberet qui omnibus omnia permitteret, & nihil ab aliis poſtularet? Hic vero Philoſophus animadvertere incipit omnium Philoſophiæ Moralis quæſtionum graviſſimam & explicatu difficillimam eſſe illam, quæ de jure diſputat naturali. Qnamobrem præclare nobiſcum actum in hoc articulo putabimus, ſi poterimus aliquod enucleate ſtatuere principium, cujus adminiculo præcipuis, quæ contra jus naturale moveri ſolent, difficultatibus ſatisfieri poſſit. Ad hunc finem neceſſarium eſt rem altius petere, nihilque aſſumere quod exploratum non ſit ea ſaltem evidentia,

quæ

quæ in rebus moralibus haberi quit, quæque ſatis cordatis hominibus facit? „ His ita præfatis hominem inducit, qui violentis agitatus affectibus ſibi ſatisfacere nequit ſuaſque ſolicitudines ſedare, niſi diſpendio vitæ aliorum, qui ſibi moleſti ſunt, & deinceps hæc ſcribit „ Quid homini reſpondebimus, ſi hæc audacter loquatur? Sentio me terrorem & perturbationes inferre toti humano generi; ſed neceſſe eſt aut me eſſe infelicem, aut aliis malum inferre, & nemo mihi eſt conjunctior & magis amicus, quam ipſe mihi. Nec mihi hæc deteſtanda prædilectio vitio vertatur. Non enim eſt libera; eſt quippe naturæ vox, quæ numquam efficacius ſe explicat, quam cum pro me loquitur. Nec ſolum ad meum animum tanta vi obſtrepit. Vos homines appello. Quis veſtrum jamjam moriturus ſuam non redimeret vitam damno maximæ humani generis partis, ſi de impunitate aut ſecreto certus foret? Sed pergit; ſum æquus & ingenuus. Si meum bonum poſtulat, ut vita privem eos, qui mihi moleſti ſunt; neceſſe eſt ut quilibet alius me privet mea, ſi moleſtia afficitur. Ratio id poſtulat; aſſentior; non enim ſum ita injuſtus, ut beneficium quod aliis conferre nolo, petam. „

8. Quæſtionem ad hunc locum redactam dijudicari poſſe negat a ſingulis hominibus, eoquod ſingulorum voluntates ſuſpectæ ſunt, & ejus dirimendæ arbitrium eſſe ait apud totum humanum genus, cujus generalis voluntas ſemper bona eſt, & numquam in fraudem induxit, aut inducet. „ Hanc generalem (inquit) voluntatem ſpectare debet, quo veniat in cognitionem quatenus eſſe debeat homo, civis, ſubditus, pater, filius & quando eum oporteat vivere aut mori. Ipſa omnium ejuſdem officiorum limites circumſcribat neceſſe eſt .... Nulla eſt eſſentialis tuo generi qualitas, niſi ea, quam tute a tui ſimilibus poſtulas propter tuam & aliorum felicitatem. Hæc tua cum aliis omnibus, & omnium aliorum tecum convenientia manifeſtum faciet, quandonam in tua ſpecie contineberis, & quandonam extra illam excurreris. Numquam igitur oculos ab eadem avertas, niſi velis notiones bonitatis, juſtitiæ, humanitatis, virtutis in tua mente dubias & incertas fieri „.

9. Hactenus Diderotus; nunc venio ad Helvetium, cujus abſurdas & falſas opiniones ex parte refutavimus in Pſychologia in ultimo ſcholio & ſupra §. 180, num. 7. Is pag. 133. hæc ſcribit de virtutibus & vitiis; „ Mihi erit curæ ſuppeditare notiones perſpicuas atque determinatas virtutis. Ad hunc finem exponam duas ſententias, quæ Philoſophiæ Moralis auctores etiamnum disjunxerunt. Alii defendunt nobis ineſſe virtutis notionem abſolutam & minime pendentem ab ætatibus, atque imperiis diverſis; eam eſſe ſemper unam eamdemque. Alii vero contendunt nationes alias aliam ſibi fingere virtutis notionem. Primi ſuæ ſententiæ præſidium petunt a ſubtilibus ſed quæ intelligi poſſunt, ſomniis Platoniſmi. In eorum ſententia virtus eſt notio ordinis, harmoniæ, & eſſentialis pulchritudinis. Verum hæc pulchritudo eſt myſterium, cujus determinatam notionem afferre non queunt. Quo fit ut ſui ſyſtematis fundamenta non jaciant in cognitione, quam hiſtoria ſuppeditat, animi & ſpiritus humani. Alteri, inter quos Montaignus, telis fortioris, quam ſunt ratiocinia, temperaturæ, ipſiſque rebus geſtis primorum opinationem impugnant, & ſub oculos ponunt actiones in plaga ſeptemtrionali honeſtas eſſe vitioſas & turpes in meridionali, indeque colligunt virtutis notionem ſolum ab arbitrio pendere.

10. Atque hæ ſunt duplices hujus generis Philoſophorum ſententiæ; quorum pri-

primi eo quod hiſtoriam non conſuluerunt, etiamnum errant in anfractibus & labyrintho Metaphyſicæ vocabulorum; ſecundi vero quia ſatis accurate non examinarunt res geſtas, quas offert hiſtoria, putarunt unam cupiditatem & arbitrium eſſe regulam bonitatis aut turpitudinis humanarum actionum. Hæ duæ ſectæ æquali errore tenentur, quem effugere potuiſſent, ſi ad hiſtoriam mundi animum diligenter advertiſſent. Tunc enim in cognitionem veniſſent ætates in Phyſicis & Moralibus ſecum neceſſario afferre quaſdam revolutiones, quibus imperia ſus deque vertuntur; & in hiſce maximis mutationibus publicam nationum utilitatem ſemper multum variari; eaſdemque actiones poſſe gradatim fieri utiles atque damnoſas, & ideo poſſe viciſſim aſciſcere nomen virtutis & vitii. Si conſequenter huic obſervationi voluiſſent ſibi formare notionem virtutis ſimpliciter arbitrariam, & a praxi nequaquam pendentem, facile perſpexiſſent nomine virtutis intelligi non poſſe niſi deſiderium univerſalis felicitatis, indeque collegiſſent publicum bonum eſſe virtutis objectum, & actiones, quas illud præcipit, eſſe media, quibus eadem utitur ad hoc obtinendum; & ita fieri, ut notio virtutis ſimpliciter ex arbitrio non pendeat; atque in aliis temporibus & regionibus omnes homines, ſaltem eos, qui ſocietatis vinculo continentur, eadem virtutis notione informari debuiſſe: tandemque ſi populi alii ſub alia forma ſibi virtutem repræſentant, id factum fuiſſe, quia loco virtutis ſibi propoſuere media, quibus eadem utitur ad ſuum obtinendum objectum. Hæc definitio virtutis complectitur ejuſdem notionem perſpicuam, ſimplicem, atque experientiæ conſentaneam, quod unum poteſt cujuſdam propoſitionis veritatem confirmare „.

11. Hactenus Helvetius, qui ſuam mentem clarius explicat pag. 240. dum hæc ſcribit „ Si foret bonitas ratione habita univerſi; hæc non foret niſi habitudo actionum nationibus cunctis utilium; jam vero nulla eſt actio, quæ proxime queat conferre ad bonum aut ad malum omnium populorum. Actio vel fortiſſima ratione habita exempli, quod aliis proponit, in mundo morali non gignit effectum magis ſub ſenſus cadentem, quam lapis in oceanum jactus gignit in aquis marinis, quas attollit ſupra libellam. Nulla eſt igitur practica bonitas, quæ ad univerſum referatur. Quod pertinet ad bonitatem propoſiti, quæ poſita eſt in deſiderio conſtanti & habituali felicitatis hominum, ideoque in voto ſimplici & indeterminato univerſalis felicitatis, ajo genus hoc bonitatis aliud non eſſe, quam commentum platonicum „.

12. Ex quibus apparet nullam ab Helvetio bonam haberi actionem, quæ ad hominum utilitatem nihil conducat. Quod quantum aberret a veris Philoſophiæ Moralis principiis nemo non videt. Sed pravitas opinionum hominis ex aliis quoque ipſius ſententiis clarius conſtabit. Pag. 324. hæc litteris conſignavit „ Hæc vocabula boni & mali creata non ſunt, niſi ut ſenſationes ſignificent voluptatum atque dolorum naturalium, quas res externæ in nobis efficiunt: deinceps autem uſurpata ſunt ad exprimendas alias res externas, verum ſemper cum relatione ad ſenſationes, quibus afficimur. Pag. autem 276. jam ſcripſerat hæc alia, quibus ſatis indicat ſe eadem ſentire, ac Hobbeſium. „ Si homines nequaquam ſocietates coiviſſent, conventiones inter ſe minime iniiſſent, & nullum generale bonum inde exſtitiſſet, ideoque nec ulla fuiſſet actio juſta aut injuſta. Ex quibus fit ut phyſica ſenſibilitas & bonum ſui totius juſtitiæ cauſſa fuerint „ Similia ſcribit pag. 279. „ Antequam homines ſocie-

cietates & pacta iniiſſent, nullam cognoſcebant legem, nec alia jura, quam vim & aſtutiam, atque idcirco nulla injuſtitia habebatur.„

13. Longum eſſet perſequi omnes hac in re Helvetii errores, quos Chaumejus, unde hæc excerpſimus, tom. III. *Prejuges legitimes* ... a Bruxelles 1758. diligenter perſequitur & notat præſertim circa ſenſuum voluptatem, quam unam ſibi Helvetium propoſuiſse oſtendit, tamquam hominis ſummam beatitudinem, & tamquam eam, quæ homines ad fortes & generoſas & ſocietati maxime utiles actiones impellit, quæque ita univerſe bona eſt, ut nemo erubeſcere debeat palam perſequi etiam iis actionibus, quæ ſine honoris præfatione nominari non poſſunt.

14. Sed quidquid Hobbeſius, Spinoſa aliique eorum ſectatores effutiant, ex principiis ſupra conſtitutis certo certius colligitur dari legem naturalem, ejuſque auctorem Deum haberi oportere. Nam primo ſunt aliquæ actiones intrinſecus & natura ſua ita bonæ & honeſtæ, aliquæ ita malæ & turpes, ut aliter eſſe omnino non poſſint, quales ſunt quod attinet ad primas, amare & colere Deum; quod ad ſecundas, illum odio habere & contemnere; propterea quod cum Deus ſit ex altera parte ſummum & perfectiſſimum bonum §. 56. ex altera vero ſit creator & conſervator tum hominum tum facultatum intelligendi & appetendi quæ in ipſis ſunt §. 104. & ad ſingulas ipſorum actiones ita neceſſario concurrat, ut ſine hoc concurſu nihil homines facere poſſint; rationi maxime conſentaneum eſt, ut voluntates quæ ſemper in bonum feruntur, & malum averſantur, hoc ſummum & perfectiſſimum Bonum atque munificentiſſimum Benefactorem ament & venerentur, a ratione vero magnopere diſſentaneum, ut odio habeant atque contemnant. Deinde eſt in hominibus talis libertas, ut pro ſuo arbitro queant actiones patrare bonas & ſe in bonum verum dirigere, aut malas & ſe ad bonum apparens convertere §. 51. & ſeq. Pſych. & hic §. 163. & ſeq. Ergo Deus, qui talem hominibus libertatem dedit, & ſimul, utpote optimus, non poteſt velle niſi bonum, & averſari niſi malum, debuit illis bonas actiones præcipere, & malas vetare; utque is, qui ſua providentia mundum moderatur & regit §. 181. debuit etiam premiis allicere ad primas, & pœnis removere a ſecundis: quod & divinæ ſanctitati maxime conſentaneum eſt, & hominum utilitati, qui ſine premiis atque pœnis ſatis fortes non fuiſſent aut in veris bonis perſequendis, quæ ſæpius difficilia & aſpera ſunt, aut in fugiendis apparentibus, quæ ſuis illecebris nimium homines deliniunt & in vera mala præcipites dant. Cum vero homines ſuas actiones appetitioneſque exigere debeant ad normam voluntatis Dei, propterea quod non ſolum in creatione & conſervatione ſubſtantiæ, verum etiam in largitione virium agendi, & in concurſu ad ſingulas actiones ab eodem arctiſſime pendent, inde conficitur dari legem naturalem, & homines eadem prorſus teneri.

15. Quamvis autem natura legis in divina voluntate poſita ſit ob ea, quæ in anteceſſum diſſeruimus, tamen advertendum eſt duplicem in Deo poſſe dari voluntatem ratione habita eorum, quæ ab hominibus facienda ſunt. Nam omnis ejus voluntas circa hujuſmodi actiones, ſi abſolute conſideretur, libera eſt, eoquod cum potuerit a mundo & ab hominibus creandis abſtinere, potuit etiam nullam velle legem, quæ ab iiſdem obſervetur; at ſi conſideretur ſub conditione, quod illos cum talibus ſuimetipſius cognitione & libertate appetendi crearit; alia ipſius voluntas eſt ita neceſſaria, ut aliter velle non potuerit, alia vero

eſt

eſt ita libera, ut in ipſius arbitrio fuerit aliter velle, aut ab eadem abſtinere. Nam quædam hominum actiones ſunt ita congruentes cum neceſſariis ipſius Dei attributis, & quædam ita diſſentaneæ, ut iiſdem conſideratis non poſſit Deus primas non præcipere, & ſecundas non prohibere, cujuſmodi ſunt inter illas amare & colere Deum, inter has odio habere & deſpicere. Aliæ vero ſunt indifferentes, ut libere poſſit aut præcipere aut vetare, aut neutrum facere & permittere, qualis fuit comeſtio pomi, quam Adamo interdixit. Primæ actiones ſunt illæ quæ pertinent ad jus naturale, & ad legem naturalem, inter quas duo poteſt hoc poni diſcrimen, ut jus naturale ſit poteſtas, quam Deus habet præcipiendi eas hominum actiones, quæ cum ipſius natura & attributis ita conſentiunt, ut non poſſit ab iis præcipiendis abſtinere, & vetandi illas alias, quæ ita diſſentiunt, ut pariter nequeat eas non interdicere; lex vero naturalis ſit ipſamet actualis voluntas, qua ſimilia præcipit & vetat. Illud etiam quod attinet ad hujuſmodi actiones, notandum eſt, quod cum aliarum veluti ſubſtantia & abſoluta natura ita neceſſario moralitas aut bona aut mala connexa eſt, ut earum objectum numquam Deus immutare poſſit, & morales bonitatem aut turpitudinem ab iiſdem disjungere; in aliis vero hæc duo non ita neceſſario apta inter ſe atque copulata ſunt, ut alterum ab altero disjungere nequeat. In primarum numero recenſendæ ſunt illæ præſertim actiones, quæ Deum ipſum proxime reſpiciunt; nam amare Deum ita bonum eſt, odio habere ita malum, ut harum actionum naturam nec Deus ipſe variare queat, & efficere, ut amor Dei bonus non ſit, odium vero non ſit malum, atque illud permittere poſſit: in ſecundarum vero multæ ex illis, quæ proximum, ut actio occidendi, quæ cum jure naturali tamquam illicita committi non poſſit ab eo, qui in aliorum vitam nullum a Deo jus accepit, ſit licita & bona ſimul ac Deus hoc jus, quod ipſe habet, in homines transfert, & hoc pacto objecti naturam immutat.

16. Ex qua doctrina facile eſt eruere quatenus vera eſt ſententia quæ principium directivum ſive regulam objectivam humanarum actionum moralium ſtatuit in voluntate divina. Nam ut videre licet apud Schwarzium S. J. in Inſtit. Juris Univ. Naturæ & Gentium. Auguſt. 1743. p. 1. tit. 1. *de princip. & fine juris naturæ* inſtruct. 4. aliqui volunt hanc regulam eſſe naturam rationalem, & alias actiones eidem convenientes eſſe intrinſecus honeſtas ob id ipſum, quod illi conveniunt, alias ab eadem diſſentaneas eſſe turpes & inhoneſtas ob eamdem rationem, adeout etiam ſi Deus non foret, aut non cognoſceretur, utræque forent hujuſmodi, quin opus eſſet ad externam regulam, ſive ad legem divinam, atque ad Dei voluntatem confugere. Quorum duas rationes Auctor in medium producit petitas, alteram ex eo, quia ſi hujuſmodi actiones malæ forent ſolummodo, quia prohibitæ a Deo, potuiſſent eſſe non malæ, vel a Deo contraria voluntate permitti, eoquia Dei voluntas circa res creatas libera eſt; id quod prorſus repugnat, cum fieri nequeat, ut Deus circa odium ſui atque blaſphæmias in ipſum prolatas diſpenſet; alteram ex eo, quod qui nulla Dei cognitione imbutus aliquas admitteret actiones, quas legi naturali repugnare cognoſceret, verum non perpetraret peccatum, nec ullam æternam pœnam mereretur. Alii vero, ut nos & ipſe Schwarzius, ob ſupra allatas rationes hanc moralium actionum regulam in æterna lege, ſive in divina voluntate conſtituunt. Sed quidam nimium progrediuntur, indeque colligunt

actiones humanas non eſſe intrinſecus honeſtas aut turpes, & earum honeſtatem & turpitudinem extrinſecus eſſe petendam; atque ob hanc cauſſam carpunt communem Scholaſticorum ſententiam, qui hanc internam actionum moralium honeſtatem ac turpitudinem agnoverunt. Verum nec primi, nec tertii in hujus loci reconditiora ſatis penetraſſe videntur. Nam pro certo & explorato tenendum eſt & Dei voluntatem eſſe hanc moralium actionum regulam, adeout ſine cognitione ejuſdem nulla vera obligatio in hominibus eſſe queat, nec ideo ulla vera actio moralis; & humanas actiones eſſe intrinſecus & neceſſario aut honeſtas aut turpes, & alterum cum altero nequaquam pugnare. Primum conſtat ex iis quæ in ſuperioribus diſputata ſunt, quorum ſumma in eo poſita eſt, ut ſoli Deo tamquam vero Domino & ſuperiori obedire teneamur, & noſtras voluntarias actiones ad ipſius voluntatis normam exigere, ſi eam nobis manifeſtam fecerit. Secundum autem ex eo, quod altera ex parte liberæ hominum voluntates non exſiſtunt niſi ex hypotheſi, quod Deus illas exſtare libere voluerit, & ex altera quamvis divina voluntas circa res creatas abſolute libera ſit, tamen ex hypotheſi quod homines tali cognitione talique libero arbitrio donatos creare voluerit, neceſſario velle debet, ut quaſdam actiones, quarum aliquas in anteceſſum commemoravimus, tamquam rationi conſentaneas exerceant; ab aliquibus autem tamquam a ratione diſſentaneis abſtineant. Quare voluntas Dei & libera eſt, quemadmodum eſt opus ad legem pro liberis hominum voluntatibus ſanciendam, & neceſſaria, quemadmodum neceſſe eſt ad eum finem ut ea lex ſit naturalis, non poſitiva, & actiones illi convenientes ſint natura ſua & intrinſecus honeſtæ, actiones ab illa abhorrentes ſint ſimiliter turpes & malæ; libera abſolute, quatenus Deus potuit creare & non creare tales homines, & ideo potuit abſolute aut velle ut hanc legem obſervarent, aut ab hac voluntate abſtinere; neceſſaria hypothetice, quia ſi creare voluit, velle quoque debuit, ut ad alias actiones exercendas, ad alias vero omittendas ſua libertate uterentur. Ex quibus fit ut in actionibus tam lege naturali præceptis aut prohibitis, tam lege poſitiva tota obligatio pendeat a divina libera voluntate, in qua utraque lex poſita eſt, ſed cum hoc diſcrimine, ut in lege naturali ſit quidem ea voluntas abſolute libera, non hypothetice, in poſitiva autem utraque libertate donata ſit. Ex his etiam fit, ut actiones lege poſitiva prohibitæ, ſint malæ quia divina voluntate prohibitæ, non prohibitæ, quia malæ, ut eſus pomi in Adamo; actiones autem lege naturali ſint malæ & turpes ob utramque rationem, & quia diſſentaneæ a recta ratione, & quia vetitæ a Deo.

17. His tamen refragatur Burlamachius in excellenti libro inſcripto *Principes du Droit Naturel . . . a Geneve* 1748. Nam tom. 1. par. 2. cap. 7. §. 6. & ſeq. contendit ex ſola ratione, quæ aliqua fieri præcipit aut prohibet, veram naſci obligationem aliquid committendi aut omittendi, etiamſi nulla divinæ voluntatis cognitio aut ratio haberetur, idque hac ratione ſuadere conatur. Obligatio univerſe eſt aliqua libertatis reſtrictio, qua fit ut cum homo poſſit aliquas exercere actiones, aut omittere, debeat aliquas aut ſolum exercere, aut ſolum omittere. Eſt autem æquum & juſtum ut homo ratione præditus rationem ſequatur in ſuis actionibus, ſive ut eas exerceat, quas eſſe intrinſecus bonas & honeſtas ratio docet, eas autem omittat, quas eſſe intrinſecus malas & turpes eadem ratio demonſtrat. Sunt vero multæ ex hujuſmodi actionibus,

bus, quæ intrinſecus bonæ & malæ cognoſcuntur ſine ulla ad Deum relatione. Ergo conſtat quod ab homine propoſitum eſt. Verum ex iis, quæ in anteceſſum diſputavimus, conſtat ſine cognitione Dei aliqua fieri præcipientis, aut prohibentis, idque propoſitis bonarum & malarum actionum premiis & pœnis, unam cuique reſtare ſuarum actionum regulam, quæ à lege naturali nimium abhorret, conſecutionem ſuæ utilitatis ſuique commodi & boni, & fugam ſui mali & incommodi ſine ullo ad alios homines reſpectu §. 220. Cum vero ſæpiſſime accidat ut lex naturalis præcipiat aliqua præſtari in aliorum auxilium, quæ magno incommodo ſunt, aliqua omitti ad evitandum aliorum malum, quæ maxime utilia & commoda ſunt, ſequitur hanc regulam, quæ ſublata Dei cognitione reſtat in homine, idoneam non eſſe actionibus hominum dirigendis, & ideo veræ & propriæ obligationi inducendæ. Qua de re audiamus Heinecium tom. 1. Oper. edit. Genev. 1744., de Jure Naturæ & Gentium cap. 1. §. 14. hæc ſcribentem. *Potius ergo juris naturæ nervos incidunt, qui illud ſine Deo concipiunt & legem ſibi ſine legislatore fingunt. Omnes ſane qui paulo religioſius philoſophati ſunt, agnoverunt & jus omne a Deo proficiſci, & ſi illum exſiſtere neges, nihil jam amplius juſtum injuſtumve fore.* Quibus prima auctorum contrariæ ſententiæ difficultas prorſus labefactatur.

18. Ad alteram difficultatem quod attinet, præter ea, quæ in ſuperioribus diſputata ſunt, adverto Barbeyracum initio præfationis ad librum Puffendorfii de Jure naturæ & Gentium a ſe in gallicam linguam verſum, & Schwarzium citati libri pluribus locis & Elem. r. p. 1. tit. 1. Inſtr. 5. §. 3. ubi agit de principiis lumine naturæ notis circa Deum & beatitudinem hominis, pluribus docere cognitiones de Deo, tamquam auctore rerum omnium atque optimo earumdem moderatore, ac juſto bonarum atque malarum actionum vindice, deque multis moralium actionum tum erga Deum, tum erga ſe ipſum, tum erga alios homines principiis, eſſe adeo claras & cuique de vulgo ſatis ratione & reflexione utenti acquiſitu faciles, ut niſi quis ſe paſſionibus libens ac volens abripi ſinat & obcœcari, non poſſit ſola attentione ad aſpectabilem hunc mundum, & ad ea, quæ in ſe ipſo animadvertere facile poteſt, eaſdem non comparare, ideoque ignorantia excuſatione digna, quæque a Theologis dicitur invincibilis, circa eaſdem dari non queat. Ex hac autem Dei & præceptorum moralium, quæ Deus obſervari vult, cognitione, quæ in omnibus reperitur, fit, ut quiſque pluries cognoſcat in transgreſſione legis naturalis etiam divinam offendi voluntatem, atque idcirco verum committi peccatum adverſus eum, cui tamquam auctori & Superiori obediendi lege tenemur. Quamobrem etſi aliquando uſuveniat ut quis legem naturalem tranſiliens ad Deum & ad ipſius voluntatem reapſe non advertat, virtute tamen illam ſe violare noſcat, & vero peccato ſe obſtringat.

19. Recta vero ratio, ſive rectæ rationis præſcriptio atque dictamen, ut Scholaſtici vocant, non eſt ipſa lex, quæ nos vere obligare poſſit, eoquod non eſt aliquid noſtra mente majus atque ſuperius, cui ipſa obedire debeat, ſed eſt medium quo Deus utitur ad ſuam voluntatem hominibus declarandam. Quamquam alii eam ſufficere minime volunt, & ajunt in ſubſidium vocari oportere revelationem præcipuorum Philoſophiæ capitum, quorum cognitiorum Deus ipſe per ſe cum Adamo communicavit, & Adamus ad omnes mundi nationes per ſuos filios transfudit. Qua in ſententia fuit Cl. Ab. Polinus,

qui

qui hunc locum diligentiſſime & maxima eruditione perſecutus eſt præſertim in ſecunda editione, quæ poſt ipſius fata adornata eſt, libri de *Juris Divini & Naturalis Origine* Brixiæ 1761. Quam ſententiam alii moderantur, dum ajunt ſolam rationem idoneam non fuiſſe ad ſummas & præcipuas Philoſophiæ veritates detegendas, ſed opus fuiſſe proxima Dei revelatione, quæ quid foret pro vero tenendum, determinaret; veritates autem a Deo proxime revelatas etiam naturali ratione poſſe ad evidentiam oſtendi. Id quod tum a nemine jure ac merito negari poteſt, tum ſatis eſt ad retundendos hominum impiorum conatus, qui nullam haberi naturalem legem contendunt.

20. Quo loco juvat aliquid animadvertere circa controverſiam, quæ duobus ab hinc annis multas Veronæ turbas civit. Cum Doctor Franceſcati in Veronenſi Seminario Philoſophiæ Profeſſor doctas quaſdam de Jure Naturali theſes an. 1760. edidiſſet, & publicæ diſputationi propoſuiſſet, Cl. Antonius Montanari Comes epiſtolam adverſus aliquas ex ipſis conſcripſit editam Veronæ ſine nomine Typographi hoc titulo *Lettera del Conte N. N. Patrizio Veroneſe ad un ſuo Amico. Verona* 20. *Ag.* 2760. Franciſcatus ſuas theſes erudite defendit libello inſcripto *Apologia delle teſi difeſe nel Ven. Seminario di Verona. L' anno* 1760. *preſſo Agoſtino Carattone*; cui Montanarus anno ſequenti objecit hunc alterum non minus eruditum, in quo nomina exprimuntur auctorum, qui inter ſe digladiantur. *Riſpoſta del Conte Antonio Montanari all' Apologia del Rev. Sig. D. Giuſeppe Franceſcati, o ſia difeſa della lettera del Sig. Conte N. N. ſcritta contro le Teſi eſpoſte nel Seminario di Verona intorno al Siſtema del Gius. Naturale.* In Verona 1761. *per Marco Moroni*. In hac autem controverſia, de qua ultro citroque alia conſcripta fuerunt, ſi meum inter duos eruditione & doctrina præſtantes viros judicium interponere licet, primum ſtatuo Deum non ſolum eſſe principium, ut ajunt, humani juris conſtitutivum, ſed etiam hujuſmodi, ut ſine cognitione Dei aliqua ſua voluntate præcipientis, aliqua vero prohibentis, & premiis ad prima invitantis, pœnis autem a ſecundis deterrentis, nullam Atheus ſufficientem habere poſſit rationem, qua ſe determinet ad omnia erga alios homines officia præſtanda in iis eventibus, in quibus ut eadem ſervet, ſuam utilitatem poſtponere debet, ſuiſque vehementioribus appetitibus adverſari; ut §. 220. docuimus: rationem autem naturalem eſſe quidem unum ex legis naturalis principiis, ſed non ſolum, verum una cum divina voluntate, propterеaquod ad legem naturalem duo requiri jam oſtendimus & voluntatem ſuperioris, cui obediendi lege teneamur, aliqua præcipientis aut vetantis, & res, quæ aut cum ratione naturali & natura humana ita conſentiant, aut ab eadem ita diſſentiant, ut Deus nequeat aut illa non præcipere, aut hæc non vetare. Quamobrem licet in ſumma quæſtione a Montanaro diſcedam, tamen ajo non ſine ratione pag. 9. Reſponſionis ab eo carpi hanc legis naturalis a Franciſcato traditam definitionem, *non eſſe dictamen rationis naturalis, ſed rationale imperium Supremi Entis, quo velit ſibi ſubditos uti in actionibus ſuis regendis*, ea de cauſſa, quod hæc definitio etiam in legem divinam poſitivam adamuſſim quadraret: cujus in locum ſubſtituenda eſt altera, quæ & præſcripta naturalis rationis, & divinam voluntatem complectatur; cujuſmodi eſt ea quam affert Schawrzius ſupra citat. lib. p. 1. tit. 2. Inſtruc. 2. §. 2. quæ 5.: *ordinatio divinæ ſapientiæ, per dictamen ſyntereſeos, naturæ rationali impreſſum, qua dirigitur ad finem ſuum ultimum, per media neceſ-*

ceſſaria conſequendum, in qua explicanda præſertim docet ea contineri differentiam inter legem naturalem, interque poſitivam divinam, in eo maxime poſitam, quod primo actiones præceptis naturalis legis affirmantibus imperatæ neceſſariæ ſunt ad finem conſequendum, non vero actiones legis divinæ poſitivæ; deinde actiones prima lege prohibitæ ſunt ita a ratione diſſentaneæ, ut neque Deus illas permittere poſſit, actiones vero ſecunda ipſæ per ſe ſunt indifferentes.

21. Nec huic ſententiæ quod naturæ lex in Dei voluntate nobis per rationem declarata ſtatuenda ſit, refragatur id quod Grotius primum & deinde Puffendorfius conſtituunt, hominem quidem non ſolum erga alios homines, verum etiam erga ſe ipſum & erga Deum quædam officia præſtare debere, ſed primum tantummodo eſſe ſubjectam ſcientiæ legis naturæ materiam, ſecundum autem & tertium ad Philoſophiam Moralem & ad Naturalem Theologiam pertinere. Ex quo deinde colligunt opus non eſſe ut legis naturæ officia a divina voluntate repetamus, ſed ſatis eſſe eadem colligere ex alio rationis lumine nobis noto principio, quemadmodum eſt illud ſocialitatis, ſive naturalis & inſiti hominum ad vitam in ſocietate degendam appetitus ex magna hujus ſocietatis neceſſitate & utilitate geniti, ex quo uno citati auctores omnia hominum aliorum erga alios officia derivant. Ad hæc reſellenda nunc mitto, quæ adverſus Grotium & præſertim Puffendorfium & ejus ſyſtema Juris Naturæ & Gentium ex ipſiſmet auctoribus Proteſtantibus, uti Leibnitio, Wernero, Kemmerichio Puffendorfii enucleatore attulit Schawrzius in Proleg. de Origine Juris Nat. & Gen. §. V. reſp. 5., itemque Samuel Coccejus in diſſert. procem. I. tom. V. operis Grotiani de Jur. Bel. & Pac. edit. Lauſ. 1759. cap. 2. ſect. 3. & tandem Heinecius tom. I. Operum ejuſdem in octo tomis edit. Genev. 1744. in Elem. de Jur. Nat. & Gent. cap. 1. & ajo me his litem non movere quod attinet ad primarium ſcientiæ juris naturalis objectum, propropterea quod cum hæc res magna ex parte pendeat ex cujuſque arbitrio, qui ſibi pro fine primario hanc potius rem, quam aliam, contemplandam libere proponit §. 71. n. 2. Log. non negarim poſſe aliquos ſibi pro fine & objecto primario ſolum officia hominum aliorum erga alios conſideranda proponere, & hanc conſiderationem ſcientiæ legis naturalis nomine appellare; aliquos vero pro arbitrio etiam in hanc cognitionem officia hominis erga Deum & erga ſe ipſum includere. Id vero quod cum Schawrzio, Coccejo aliiſque recentioribus qua Catholicis, qua Proteſtantibus, non aſſentior Grotio & Puffendorfio, hoc eſt poſſe homines ſine cognitione Dei, & ejus voluntatis aliquid præcipientis aut vetantis cognoſcere aut in principio ſocialitatis aut in aliquo alio principio ſe lege teneri præſtandi aliqua aliis hominibus officia, idque propter rationes quas in anteceſſum propoſui. Quamobrem etſi cum citatis auctoribus ſcientiam juris naturæ iis limitibus coerceremus, non tamen ſine cognitione Dei ejuſque voluntatis hominum aliorum erga alios officia cognoſceremus.

22. Quibus ita expoſitis facile eſt refutare impia circa morales actiones ſyſtemata. Primum enim adverſus Hobbeſium & alios patet quemlibet, antequam homines pacta & ſocietates inirent, non habuiſſe liberam facultatem quidlibet agendi etiam contra ceteros homines, dummodo ipſemet id eſſe ſibi utile judicaverit, & unam malæ & injuſtæ actionis, bonæ & juſtæ originem non fuiſſe

pa-

pacta & conventa, quæ inter eoſdem interceſſerunt. Quilibet enim naſcitur, ea perfectiſſima ratione, quam §.205. n.2. expoſuimus, ſubditus Deo, & idcirco lege tenetur ea faciendi quæ ipſe vult, & ea omittendi, quæ idem prohibet, non ſolum quod attinet ad officia erga Deum ergaque ſeipſum, verum etiam quod ad officia erga alios homines, ſuntque plura, quæ ita rationi conſentanea ſunt, plura quæ ita diſſentiunt, ut neque Deus ipſe a primis præcipiendis, a ſecundis autem vetandis poſſit abſtinere n. 15. Nec ajat Hobbeſius hominem ita natura comparatum eſſe, ut quemadmodum lapis ad centrum fertur, ita is neceſſitate compellatur ad id quod apparet ſub ſpecie boni appetendum; ad id vero, quod ſub ſpecie mali, fugiendum, atque idcirco ſuam utilitatem omnibus aliis poſthabitis quærat. Nam ex altera parte jam adverſus eumdem auctorem planum fecimus hominem, quamvis ad bonum in genere neceſſario feratur, tamen ita eſſe liberum, ut hoc potius particulare bonum, quam aliud quodcumque, proſequi poſſit; & ex altera etiam docuimus tum duas eſſe in homine cognoſcendi facultates, alteram partis inferioris, qua cognoſcit quid ſit bonum aut malum, quatenus jucundam aut moleſtam ſenſationem vel imaginationem in anima excitat, alteram ſuperioris, qua intelligit id quod ſibi bonum aut malum eſt, quatenus anima facultate reflectendi & ideis univerſalibus res expendit; tum veram hominis utilitatem illam non eſſe, quæ ex fruitione bonorum brevis hujuſce vitæ, poſthabitis divinæ legis mandatis, percipi poteſt, ſed illam, quæ poſita eſt in fugiendis alterius immortalis vitæ malis & in bonis ejuſdem conſequendis, quæ poſt hanc brevi amittendam vitam impiis & juſtis reſervari divina Providentia in anteceſſum oſtendimus & §. 140. Pſych. Hæc autem vera & æternum duratura bona & mala quiſque ſibi animo propoſita habens, coercere poteſt & illos animi appetitus quibus ſe abripi ſentit ad hujus vitæ bona utcumque ſequenda etiam contemtis divinæ legis præceptis, & ſe excitare ad eas actiones exercendas, quæ quamquam ſuis appetitionibus ſuæque præſenti utilitati adverſari experiatus, tamen animum intendens ad premia futura, cum ſua vera utilitate eſſe conjunctas in cognitionem facillime poteſt venire.

23. Sic eruto Hobbeſiani ſyſtematis fundamento, alia quoque omnia eodem innixa labefactantur & corruunt. Et revera quis ajat iis naturalibus legibus obnoxium hominem a D. O. M. conditum fuiſſe, ut quiſque adverſus alios bellum ſuſcipere poſſet, & naturalis hominum ſtatus belli mutui foret? Nonne potius dicendum eſt optimum & benignum Patrem talem hominibus dediſſe legem, ut non ſolum ſe ipſos, verum etiam & alios ſui ſimiles diligerent, eoſque ſua indigentes ope juvarent? Quod ſi ad hæc infirmanda cum homine inducto a Dideroto num. 7. interrogaret, quid aliis deberet, qui omnibus omnia permitteret, & nihil ab aliis poſtularet? plura reſponderem. Primo enim fieri poteſt ut aliquis in imminenti verſetur vitæ diſcrimine, ex quo illum ego facile & ſine multo meo incommodo poſſim eripere; quo in eventu tametſi nihil ab aliis poſtularem, & vitam ab omnium hominum conſuetudine & ſocietate ſejunctam degere vellem, ut contigit illi ſolitario ad cujus inſulam appulit paſſa naufragium & ejus opem implorans puella, tamen divina lege, quam in animo impreſſam ſentio, cuique me obtemperare debere cognoſco, tenerer ad auxilium eidem præſtandum. Deinde me multa meis parentibus & educatoribus debere cognoſco. Nam ut taceam de vita, quam ab iiſ-

Digitized by Google

iiſdem accepi, ex iis, quæ in Pſychologia §.120. n. 5. diſſerui, intelligo me ſine aliorum diſciplina convenientem membrorum uſum, habitum loquendi ad tam multa vitæ commoda neceſſarium, & præſertim rationalis vitæ exercitium acquirere non potuiſſe. Si tot ab iiſdem accepi beneficia, quid ni debeam iiſdem aliquid rependere, ſi opus habeant? Si enim aſſentientibus Epicuro, Hobbeſio, Montaignio, aliiſque non paucis, ex voluntario & explicitó pacto inter homines inito quædam oriuntur obligationes ad aliquas actiones præſtandas, ad aliquas vero omittendas; ex implicito, quod Parentes & educatores inter atque eductos interceſſiſſe dicendum eſt, nulla ne obligatio in ſecundis orietur? Quid habet præcipui fidelitas ex pactis explicitis exſiſtens, ut homines alios cum aliis obligare poſſit, quod non habeat gratitudo ex tot acceptis beneficiis ducens originem? Si horum principia conſulamus Philoſophorum, una utilitatis ratio cauſſa fuit, quæ ut homines impulit ad pacta ineunda, ita eogit ad eadem ſervanda; ex quo ſequitur ut ſi hæc utilitas interdum ceſſet, etiam obligatio inde profecta ceſſare debeat, cum uti nihil incipere debet abſque ratione, ita nihil ſine illa permanere queat. Verum hæc eadem utilitas reperitur in rependendis beneficiis, quæ ab educatoribus accepimus, eo quod homines ad educationem aliorum alliciuntur, quam magnó humani generis damno omitterent, ſi nihil ſibi ab eductis pro tot exanthlatis laboribus deberi perſuaderent. Sin autem ad noſtra eaque vera principia animum attendamus, ex divina lege non ſolum eruemus obligationem fidelitatis, ſive ſervandi pacta, quæ cum aliis inivimus, verum etiam gratitudinis, ſive remunerandi, quantum poſſumus, beneficia, quæ a parentibus & altoribus accepimus. Ergo ante omnia pacta obligationes aliorum erga alios exſiſtunt. Tum ante rerum diviſionem, quo in ſtatu omnia erant communia, fac me agrum occupaſſe a nemine præoccupatum, eumque meis laboribus excoluiſſe, alium autem poſſe ſuam ſuſtentare vitam alterius agri adhuc vacui occupatione & cultu: quis ſanæ mentis negaverit ex illa naturali lege *alteri ne feceris quod tibi non vis fieri*, conſequens eſſe, ut alter non queat ſine injuria me ex agro deturbare, & laborum meorum fructus eripere? Quod ſi multos in eadem regione ſine ulla rerum diviſione homines eſſe ponamus, nec in hujuſmodi eventu naturalis eorum ſtatus erit mutui belli, propptereaquod divina lege, qua quiſque ſuam & aliorum vitam conſervare debet, quiſque tenebitur ad aliquod cum aliis pactum ineundum, cujus virtute fiat, ut vel agris in communi relictis & omnium induſtria excultis fructus ad cujuslibet vitam ſuſtinendam neceſſarii dividantur, vel agris ipſis ante diviſis quiſque ſuum excolat, & ex ipſius fructibus vitam ſuſtentet. Si vero diviſioni non aſſentiantur, vel nemó ſuum eidem præbet aſſenſum, vel aliqui tantum; ſi nemo, juſtum bellum inde nequaquam orietur, eoquod ſinguli divinæ refragantur legi, quæ commodam rerum diſtributionem præcipit; ſi aliqui tantum, alii divinæ legi quantum in ipſis eſt, obtemperantes juſtum adverſus primos bellum ad eos cogendos ſuſcipere poſſunt: ſed illud non erit primus ille pacis ſtatus, quem naturæ auctor inter homines eſſe a principio voluit, ſed ſolum ſecundus ex neceſſitate ad aliorum vim propulſandam ſuſcipiendus.

24. Quod vero n. 6. deducit de imperante, qui ſoli Deo aliquid debeat, nihil civibus, nimium adverſari mihi videtur iis, quæ in antecessum conſtituerat. Nam ſi omnes in ejuſdem ſententia ſunt natura æquales, & pacta in-

ter ipſos inita ſervare tenentur, quid ni Princeps teneatur pactis, quæ cum iis, qui ſe ipſos voluntarie ſibi ſubmiſerunt, inivit tum temporis, cum aliis omnibus erat prorſus æqualis? Unde ne privatus homo majorem acquirere poteſt in aliis auctoritatem, quam liberæ æqualium hominum voluntates erga ſe ipſos eidem certis ſub conditionibus attribuerunt? Eſt ne tanta inter electionem Principis, & ſummæ in omnibus licentiæ conceſſionem naturalis neceſſitudo, ut ſi alterum etiamſi certis limitibus conceptis verbis coercitum homines voluerint, alterum quoque debuiſſe velle dicendi ſint? Hobbeſius certe non docuit, nec alius docere poteſt, cum planum ſit hominem libertate agendi natura donatum, poſſe illa ſe ſpoliare in aliquibus, in alterum hominem transferendo, non vero in aliis. Ex quibus omnibus planum ſit ſyſtema Hobbeſianum eſſe prorſus explodendum.

25. Nunc venio ad Diderotum, ad cujus in jure naturali definiendo & explicando ſententiam ad examen revocandam non aggrediar dirimere magnam illam inter Juris Naturalis auctores controverſiam circa primum cognoſcitivum, ut ajunt, ejuſdem principium. Varias Scriptorum opinationes videre licet apud Schwarzium cit. opere p. I. tit. 2. §. 1. apud Samuelem Coccejum tom. V. edit. ſupra citatæ, Genuenſem in Inſt. Met. tom. 4. cap. de Princip. Leg. Nat., quorum primus in definiendo hoc primo principio, ſive regula & norma fundamentali, ex qua intelligatur quænam rectæ rationi ſimpliciter conſentanea ſint, quænam diſſentanea, ſic ut ab auctore naturæ præcepta vel prohibita, ideoque juſta vel injuſta, honeſta vel turpia, æqua, vel iniqua, aut ſaltem conceſſa, vel etiam permiſſa, ſive indifferentia cenſeri debeant, loco citat. quæſt. 4. reſp. 1. ſic enuntiat hujuſmodi principium: *fac vel omitte ea, quæ ex amore Deo, tibi & proximo naturaliter debito, hoc eſt ad felicitatem naturæ rationali propriam neceſſaria vel facienda, vel omittenda ſunt; ex hoc principio lex univerſa naturæ pendet, dignoſcitur ac a lege poſitiva ſequeſtratur*: ſecundus autem citato loco diſſertatione proœmiali duodecima cap. 5. §. 51. hoc eſſe ſtatuit *Jus ſuum cuique tribuere*. Verum hic mihi neceſſe non eſt rem tantam complecti, propterea quod ad refutandam Dideroti calumniam ſatis eſt illud cognoſcere, quod ex ſuperioribus liquet, ratione naturali perſpicuum fieri multas noſtras actiones, quæ aut Deum, aut noſmetipſos, aut ceteros homines reſpiciunt, aut tamquam naturæ humanæ conſentaneas eſſe neceſſario exercendas, aut tamquam ab eadem diſſentaneas neceſſario omittendas adeout nec ipſemet Deus ab iis præcipiendis, ab his vetandis potuerit abſtinere. Quamobrem auctores, qui primum jus naturale definiunt per obligationem exercendi primas actiones, & omittendi ſecundas, & deinceps quales ſint utriuſque generis præcipuæ actiones, quod pertinet ad tria recenſita objecta, ratione naturali demonſtrant, ii profecto nec circulum, ut is putat, abſolvere vitioſum dicendi ſunt, in quo non revolvitur niſi qui primum per ſecundum, & deinde ſecundum explicat per primum §. 161. Log. nec definitionem afferre, quæ rei definitæ naturam ſub oculos non ponat. Nam quod ab homine ad ſuam comprobandam ſententiam allatum fuit, depromtum ex hypotheſi illius, qui vitam agere ſolitariam vellet, & nihil ab aliis accipere, paulo ante dilutum eſt iis rationibus, quod & eſſent in hoc homine reſidua neceſſaria ipſius erga Deum atque ſe ipſum officia, & multi contingere poſſent eventus, in quibus ad aliqua etiam erga alios homines officia præſtanda ob legem naturalem in divi-

na

Digitized by Google

na eaque hypothetice neceſſaria voluntate poſitam obligaretur.

26. Ad illum vero, qui apud Diderotum ſic immaniter ratiocinatur, & ut ſibi conſulat, ſuaſque utilitates voluptateſque procuret, & moleſtias avertat, ſe impelli experitur ad crudeles erga alios actiones atque ad ipſam aliorum internecionem, intra rationis & humanitatis limites coercendum, generalis humani generis voluntas, ſive omnium conſenſus nationum aliqua ex parte juvat quidem, ſed ipſe per ſe ſatis non eſt. Quem enim aliorum ſui ſimilium judicia deterrere poſſunt ab iis actionibus, in quibus exercendis ſuum eſſe poſitum bonum intime ſentit, in omittendis ſuum malum, ſi nullam timeat pœnam aut ab aliis, eoquod eas actiones clam poteſt patrare, aut a Deo, proptereaquod legem ab ipſo ſtatutam exercendi aliquas actiones, & alias omittendi, & premia in altera beata vita primis propoſita, & pœnas in futura miſerrima pro ſecundis infligendas prorſus ignorat? Qui vero naturali ratione novit legem hujuſmodi & premia ac pœnas, quibus confirmata fuit, facile poteſt & cognitione ſuæ obediendi ſuo Auctori obligationis, & ſpe futurorum permanentium bonorum, ac metu ſimilium malorum ſe continere in officio, & præſentes utilitates & pœnas, ac præſentia damna & incommoda contemnere, ne Dei legem tranſiliat, & ne multo majoribus ſe privet bonis, & multo gravioribus malis ſe objiciat. Ut vero in hac divinæ legis, & alterius vitæ premiorum atque pœnarum perſuaſione ſe magis confirmet, non parum conducit omnium fere nationum in eadem perſuaſione conſenſus, qui hac de cauſſa, non ipſe per ſe homines in officio continere poteſt. Ex quibus patet quam perperam de Jure Naturali diſſerat Diderotus.

27. Nunc videamus, an rationes melius ſubducat Helvetius. Cum Grotius & Puffendorfius in ſuis de Jure Naturali libris ſolum officia externa aliorum hominum erga alios ſibi propoſuiſſent, multi ex ipſorum ſecta exorti ſunt, qui ob prætermiſſa hominis erga Deum & erga ſe ipſum officia illos acerrime accuſarunt, tametſi iidem profiterentur ſe non negare hujuſmodi officia, ſed ad Philoſophiam Moralem in qua de virtutibus & vitiis univerſe diſſeritur, rejicere. n. 21. Quid vero ſcripſiſſent adverſus Helvetium, qui primum abſolutam virtutis & vitii notionem Platonicorum ſomniis niti affirmat n. 8. & deinde nulla facta Dei mentione generalem virtutis notionem ponit in deſiderio univerſalis felicitatis, indeque colligit publicum bonum eſſe virtutis objectum, & actiones, quas illa præcipit, eſſe media, quibus eadem utitur ad hoc obtinendum num. 10. atque bonitatem propoſiti in conſtanti poſitam deſiderio felicitatis hominum, ſive in voto ſimplici univerſalis felicitatis, aliud non eſſe contendit, num. 11. quam commentum platonicum? Multa hic ego non proferam ad hominem refellendum, proptereaquod jam ſatis refutavimus, cum impium expendimus ſyſtema Hobbeſii, cujus principiis Helvetiana conſentiunt. Fatetur quidem Helvetius ſe mediam quamdam tenere ſententiam inter illas duas, quas num. 9. ex eodem explicavimus: & a principio tenere videtur, dum virtutem ab arbitrio ſimpliciter pendere negat; ſed tandem eodem revolvitur, ac Hobbeſius, & palam affirmat nullam ante pacta & ſocietates fuiſſe actionem juſtam aut injuſtam num. 12. eoquod ante eadem nullum fuiſſet generale bonum, quod homines ſuis actionibus procurare aut corrumpere poſſent. Quamobrem ſatis ſuperque refutatur illis iiſdem rationibus, quibus Hobbeſium aliosque ſimilis furfuris ſupra refellimus, ut hic neceſſe non

 ſit

ſit longum facere in eodem ſeorſim refutando.

28. Quare duo tantum adverſus hominem ſtatuo; primum eſt nimis a ratione alienum videri nullam ab eodem haberi rationem interiorum voluntatis & virtutum, in quibus illa intus ſe exercet, actionum. Cum enim anima noſtra duabus ſit prædita facultatibus, altera intelligendi verum, altera appetendi bonum jam cognitum, & aliunde Helvetius aliique communiter aſſentiantur intellectus perfectionem atque ideo bonum eſſe poſita in cognoſcendis quamplurimis veritatibus, iis etiam quæ ad aliquam actionem externam non referuntur, valde diſſentaneum eſt ab omni ratione eoſdem inficiari perfectionem voluntatis & ideo bonum eſſe poſita in internis appetitionibus & averſationibus, niſi ad bonum aliorum conferant, perinde ac ſi homo quilibet propter alios homines tantum foret creatus. Nam vel dat Helvetius naturali ratione conſtare obligationes hominis erga Deum auctorem, vel negat. Si negat, hominem confodiam iis rationibus, quibus Hobbeſium & alios hanc impiam ſententiam amplexos confodi. Si dat, aſſentiatur oportet dari actiones virtutis, quæ ad bonum aliorum proxime non referuntur, etiam internas, quales ſunt amare, & venerari Deum O. M., quemadmodum naturali lege obligamur. Quamquam Reipublicæ valde intereſt quemlibet ipſius civem etiam interna animi diſpoſitione eſſe optime affectum, quo ab actionibus externis bono publico noxiis quamlongiſſime abſit; ut taceam de utilitate exempli, quam minime labefactat Helvetius ſimilitudine jactus lapidis in aquas maris. Etſi enim unius & alterius honeſtæ actiones parum conferant ad univerſi humani generis bonum, multorum tamen qui ſe in iiſdem exercent, exemplum non minorem in rebus ad morum informationem pertinentibus effectum gignere poteſt, quam in phyſicis gignat plurium minimorum virium conjunctio.

29. Alterum eſt nimis impudenter Helvetium reponere ſummam hominum felicitatem aut miſeriam in ſenſationibus voluptatum atque dolorum naturalium, ad quas exprimendas boni aut mali vocabula excogitata fuerint, & affirmare pudorem ex quibuſdam actionibus ortum eſſe unum educationis effectum, neminemque pudere oportere iis deſideriis etiam palam ſatisfacere, quæ natura excitari experimur. Cui nunc non oppono aut ſummam felicitatem, qua totus homo perficitur, non in ſolis partis animæ inferioris voluptatibus poſſe collocari, ne imperfecta & ſine ſua beatitate reſtet ſuperior intelligendi & appetendi portio, eamdemque felicitatem nobis in altera perpetua vita reſervari, quemadmodum in Pſychol. §. 140. & ſeq. & hic §. 197. & ſeq. docuimus, ſed tantum ex D. Rouſſeau Genevenſis epiſtola ad Dalembertum relata pag. 194. tom. 3. operis Chaumeii, quod inſcribitur *Préjuges Legit. contre l'Encyclopedie*, quædam in latinam e gallica lingua translata pag. 28. edit. Amſtelod. ejuſdem epiſtolæ. *Amor pulchri eodem modo naturalis eſt, ac ſui ipſius amor. De pulchro morali hic agitur. Quidquid Philoſophi dixerint, hujuſmodi amor innatus eſt, atque conſcientiæ principium conſtituit. Si ajo nihil ad bonos mulierum mores conducere præter ſecretam, domeſticamque vitam: ſi dico placidas familiæ, & regiminis curas earum eſſe ſortem, earum ſexus dignitatem in modeſtia ſitam eſſe, pudorem ac verecundiam in ipſis eſſe ab honeſtate inſeparabilem; virorum gratiam aucupari idem eſſe ac depravari & corrumpi, & omnem mulierem quæ ſe producit, ob id ipſum ſibi dedecus inferre: ſtatim contra me clamat hæc unius diei Philoſophia, quæ oritur & occidit in angulo amplæ civitatis, & inde vult clamores naturæ, & concordem generis humani vocem* præ-

præfocare. Præjudicia popularia, hæc ſunt, clamant, errores infantiæ, nullius momenti, legis, & educationis aſtutiæ, non aliud eſt pudor quam legum ſocialium inventum, ut genitorum & conjugum jura tuta manerent, & quemdam in familiis ordinem præſtarent. Cur erubeſcimus neceſſitatum quas natura dedit? Cur cauſſam pudoris in actione adeo per ſe indifferenti inque affectibus ejuſdem adeo præſtantibus inveniemus, quale illud eſt quo ſpecies perpetuatur? Cur cum æqualia ex alterutra parte ſint deſideria, declarationes tamen futuræ ſint differentes? Cur alter ex ſexibus propenſionibus utrique communibus magis obſtet? Cur ei in hoc aliæ, atque in belluis ſint leges?

Tuis cur, Deus inquit, nullus unquam foret finis.

Verum hæc non homini, ſed auctori dirigenda ſunt. Nonne lepidum eſt quærere cur naturalis ſenſus erubeſcam, ſi pudor hic ita, ut ſenſus ipſe, ſit naturalis? idem valeret ac ſciſcitari, quare mihi inſit hujuſmodi ſenſus. Hoc ratiocinandi modo, qui non videat cur homo exſiſtat, ipſius exſiſtentiam negare debebit.

Vereor ut tanti divinorum conſiliorum ſcrutatores leviter admodum rationes quibus innituntur, perpenderint. Neque ego id me videre arbitror, quod eos latuit.

Argumentum ab exemplo belluarum deſumtum nihil concludit, & a veritate abhorret. Homo enim non canis eſt, non lupus. Primæ autem ſocietatis relationes ſtabiliendæ non ſunt, niſi in humana ſpecie, ut ejus ſenſibus moralitatem ſemper belluis incognitam adſcribamus. Bruta corde & paſſionibus donata ſunt; at ſancta pulchri, & honeſtatis imago in ſolo hominis corde locum habet. Nihilotamen minus, unde edocti ſumus inſtinctum in brutis nullum effectum gignere iis ſimilem, quos inter homines pudor generat? Hactenus Rouſſeau, cujus verbis finem impono huic longæ diſputationi, ex qua conſtare arbitror dari actiones per ſe bonas & honeſtas, malas & turpes, legemque naturalem, quæ primas præcipit, ſecundas vetat.

CAPUT SEPTIMUM.

De Deo, quatenus eſt auctor ſtatus naturalis, & ſupernaturalis.

§. 226. Diviſio

STatum naturalem atque ſupernaturalem conſiderare poſſumus, primum in ſolis corporibus, deinde in ſolis ſpiritibus, tertio in ſpiritibus & corporibus, quatenus in ſe viciſſim operantur. Hic autem hoſce ſtatus conſiderabimus præſertim in corporibus, & hujus diſputationis initium ſumemus a neceſſitate legum motus.

ARTICULUS I.

De neceſſitate & contingentia legum motus.

§. 227. Propoſitio

LEges motus corporis in vacuo una vi perciti ſunt neceſſariæ abſolute. Prob. Leges motus corporis in vacuo una vi perciti

citi ſunt hæ quatuor, ut ſit conſtans, nempe æqualis ſemper velocitatis, ut ſit per lineam rectam, ut ſit continuus ſine ullis morulis, ut ſit perpetuus. Sed hæ quatuor leges ſunt abſolute neceſſariæ. Ergo leges motus corporis in vacuo una vi perciti ſunt abſolute neceſſariæ. Prob. min. Sunt abſolute neceſſariæ, ſi oriuntur a principiis adeo neceſſariis ut neque Deus aliter facere poſſit; atqui res ita ſe habet. Ergo &c.

2. Prob. min. quod attinet ad primam partem. Res abſtracte conſiderata & antequam exſiſtat, poteſt hanc aut illam determinationem & differentiam ſuſcipere, utpote quæ ad omnes indifferens intelligitur virtute mentis, quæ inſeparabilia disjungere poteſt; ſed concrete & quatenus reipſa exſiſtit, conſiderata, debet ſuas omnes ſubſtantiales determinationes recipere §. 111. Log. & poſtquam eas accepit, non poteſt nec per divinam omnipotentiam eas amplius amittere & variare, quin tota res intereat §. 129. n. 3. Log. Atqui velocitas eſt una ex determinationibus & differentiis vis & quidem ſubſtantialis, quia tum vis cum ſua velocitate illi debita eſt adeo invariabilis, ut nec augeri nec minui poſſit, quin prior vis corrumpatur, & alia major aut minor creetur §. 293. Ont. tum in vacuo, ubi nulla eſt reſiſtentia, vis ſemper eadem permanere debet. Ergo abſolute neceſſarium eſt, ut corpus una vi pulſum in vacuo ſemper æquali velocitate cieatur.

3. Prob. 2. pars ſupradictæ minoris. Poſita vi corpora abſolute neceſſario moventur adeoque ſine motu vim ullam in corpore non poſſe permanere jam oſtenderimus in Ont. §. 271. atqui ſi vis eſt cauſſa neceſſaria motus, unica vis debet abſolute neceſſario pellere corpus ab uno puncto ad aliud punctum per lineam rectam. Ergo abſolute neceſſarium eſt ut corpus unica vi pulſum in vacuo lineam rectam deſcribat. Prob. min. Non poteſt deſcribere lineam aliquam ea puncta conjungentem quæ ſit diverſa a recta, quæque ex. g. ſit ex parte dextera ejuſdem rectæ. Ergo &c. Prob. ant. Cum ex parte ſiniſtra deſcribi poſſit alia linea conjungens eadem puncta, æqualis & ſimilis primæ ac ſimiliter poſita, non eſt major ratio cur vis quæ eſt cauſſa neceſſaria, pellat corpus per unam potius quam per alteram; ergo cum principium rationis ſufficientis in rebus neceſſariis neceſſitate abſoluta obſervari debeat §. 75. n. 2. Log. efficitur eſſe abſolute neceſſarium, ut unica vis pellat corpus per lineam rectam, quæ inter duo puncta eſt una tantum.

4. Prob. 3. & quarta. Cum vacuum ſit infinitum, §. Ont. &

& in eo nulla ſit reſiſtentia,, inde intelligitur cur debeat ſemper durare vis, & ideo etiam motus illi conveniens ſine ullis morulis.

§. 228. Objectio adverſus I. partem.

Talis velocitas non eſt neceſſario conjuncta cum vi; ergo leges motus in uno corpore una vi ſollicitato non ſunt neceſſariæ. Prob. ant. Eadem vis poteſt habere diverſas velocitates. Ergo &c. Prob. ant. Æqualis vis in corpore majori gignit minorem velocitatem, in minori majorem. Ergo &c.

§. 229. Reſponſio.

Diſt. conſ. Eadem vis diverſo modo diſpoſita poteſt habere diverſas velocitates co. eodem modo diſpoſita ne. Nam vis alio modo diſponitur in majori corpore, alio in minori; in primo magis diſpergitur & minus intenſa manet, & ideo minorem gignit velocitatem; in ſecundo minus diſſipatur, magiſque intenſa fit, & ideo majorem generat: ſed poſtquam aut in majori minorem ſibi tunc debitam generavit, aut in minori majorem, quouſque permanet, eamdem amittere aut variare non poteſt. Idem contingit in ſubſtantia extenſa; æqualis ſubſtantia extenſa, ut unius libræ, poteſt diſponi diverſo modo, ſive quod attinet ad denſitatem, ſive quod attinet ad collocationem partium, & hoc pacto poteſt habere diverſas & diſpares figuras ſive ſuperficies, ſed poſtquam cum tali conjuncta eſt, eam amittere aut variare nequit §. 235. Ont. ſin autem ſimiliter denſa ſit, & ſimili ratione potentiales partes collocentur, una extenſi libra ſemper eamdem & ſimilem ſuperficiem habet. Ita fit ut ſi etiam æquales vires in duobus creantur corporibus æqualibus, in quibus ſimili modo diſponuntur, debeant æquales gignere velocitates.

§. 230. Inſtantia

Atqui vis etiam eodem modo diſpoſita in eodem corpore poteſt habere diverſas velocitates. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Vis poteſt in eodem corpore eadem perſeverans habere minorem atque minorem in infinitum velocitatem. Ergo &c. Prob. ant. vis poteſt eſſe ſine ulla velocitate. Ergo &c.

§. 231. Reſponſio

Diſt. ant. vis poteſt eſſe ſine ulla velocitate in ſententia communi & falſa co.; in noſtra & vera ne. Nam in Ontol. §. 259. & ſeq. evidenti ratione docuimus non dari aliquas vires in corporibus ſine motu ſibi conveniente, & falſam eſſe communem Philoſophorum ſententiam exiſtimantium dari vires aliquas ſine ullo prorſus motu.

§. 132.

Digitized by Google

§. 232. **Inſtantia.**

Saltem per Dei omnipotentiam poteſt eſſe vis ſine ullo motu. Ergo non eſt abſolute neceſſarium eſſe conjunctam cum tali determinata velocitate. Prob. ant. Deus poteſt conſervare vim, & non conſervare motum. Ergo &c. Prob. ant. Motus eſt diſtinctus a vi tamquam effectus a cauſſa. Atqui Deus poteſt conſervare unum ex duobus diſtinctis & non alterum. Ergo &c.

§. 233. **Reſponſio.**

Diſt. maj. Motus eſt diſtinctus a vi tamquam effectus relativus ſive tamquam differentia ſubſtantialis vis co. tamquam effectus abſolutus, ſive tamquam differentia accidentalis ne. Et diſt. min. Deus poteſt conſervare unum ex duobus diſtinctis & non alterum, ſi ſint diſtincta ut cauſſa & effectus abſolutus, vel ut res & differentia accidentalis co. ſi ſint diſtincta ut cauſſa & effectus relativus, vel ut res & differentia ſubſtantialis ne. Nam primo relativa ipſa per ſe a Deo nec creari, nec corrumpi, nec variari poſſunt §. 42. Ont. ſed ſolum abſoluta ex quibus exſiſtunt. Unde, manente abſoluto, neceſſario permanere debent etiam relativa: ex. g. manentibus duobus albis parietibus neceſſario permanet inter ipſos ſimilitudo. Deinde manentibus rebus earum differentiæ ſubſtantiales neceſſario permanent, ut permanente aliquo corpuſculo abſoluta neceſſitate permanent etiam tales denſitas, magnitudo & figura, ſive ſuperficies, quæ ſunt corpuſculi, quatenus eſt ſubſtantia extenſa, ſubſtantiales differentiæ §. 235. Ont. Jam vero talis determinata velocitas eſt relativus effectus vis §. 278. Ont., ſeu melius una ex ipſius in genere conſideratæ ſubſtantialis differentia §. 293. Ont. Ergo nec ipſemet Deus poteſt conſervare vim, & non conſervare ejuſdem velocitatem.

§. 234. **Objectio adverſus II. partem.**

Nulla eſt ratio cur unica vis debeat neceſſario pellere corpus per lineam rectam, quam per aliam quamcumque. Ergo abſolute neceſſarium non eſt ut corpus unica vi pulſum lineam rectam deſcribat. Prob. ant. nullum eſt in linea recta privilegium, per quod intelligatur cur corpus una vi pulſum eamdem rectam ſeligere debeat. Ergo &c. Prob. ant. Si quod eſſet privilegium, in eo foret, quod linea recta eſt una tantum, & omnium breviſſima ac ſimpliciſſima. Atqui nulla eſt in his ratio, per quam intelligatur cur corpus una vi pulſum lineam rectam ſeligere debeat. Ergo &c. Prob. min. Primum ex eo quod recta ſit una tantum abeſt, ut inde colligatur motum corporis eſſe debere per rectam, ut potius

effi-

efficiatur facilius eſſe, ut motus perficiatur in aliqua ex aliis quæ infinitæ ſunt, quam in recta quæ unica eſt, quemadmodum facilius eſt ut ſi in pyxide ſint mille calculi albi, & unus niger, aliquis extrahat quemdam ex albis, quam unum nigrum. Deinde certum & evidens non eſt naturam amare & ſeligere ſimpliciſſimam & breviſſimam viam, cum potius ex mira naturalium phænomenorum varietate colligi poſſit eam ſeligere compoſitos & longiores circuitus. Ergo &c.

§. 235. Reſponſio

Diſt. 1. partem antec. facilius eſt ut motus perficiatur per aliquam ex infinitis obliquis, quam per rectam, ſi una vis motrix non determinet corpus ad illam rectam co. ſi neceſſario determinet ne. Cum enim ex altera parte corpus ipſum per ſe ſit indifferens ad motum verſus omnes plagas, nec tamen ſingulis momentis moveri poſſit niſi verſus unam, & ex altera vis motrix ſit ultima ratio motus, qua poſita ſtatim motus conſequitur; inde ſit vim motricem eſſe debere determinatam ab hoc puncto in quo eſt corpus, verſus aliquod determinatum punctum & locum. Hoc poſito jam oſtendimus nullam eſſe majorem rationem, cur vis pellat corpus per unam ex obliquis inter hæc puncta interpoſitis, quæ reperietur ex una parte lineæ rectæ, quam per alteram æqualem, ſimilem, ac ſimiliter poſitam, quæ ex altera parte reperitur, indeque intulimus neceſſarium eſſe ut pellat per rectam, quæ unica eſt. Exemplum allatum valet pro iis eventibus, in quibus ſors & arbitrium dominatur, non in iis, in quibus eſt cauſſa ad unum determinans; & revera ſi quis non manum nudam, ſed magnetem in pyxidem inferret in qua mille calculi albi forent lapidei, unus niger foret ferreus, ille magnes arriperet & extraheret unicum ferreum, non aliquem ex mille, eo quod eſt cauſſa ad illum unum educendum comparata.

2 Quod attinet ad alia duo, ſimiliter diſtinguo & ajo naturam amare ſimpliciſſimam & breviſſimam viam in iis eventibus, in quibus eſt cauſſa quæ ad illam ſeligendam determinat, uti eſt in poſito eventu.

§. 236. Inſtantia

Atqui vis non eſt cauſſa abſolute neceſſario determinans corpus ad lineam rectam. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Ratio qua id probatur, petitur a principio rationis ſufficientis; atqui hoc principium non poteſt abſolutam neceſſitatem inducere in vi motrice. Ergo &c. Prob. min. In ſententia noſtra §. 92., & Cl. Bu-

Digitized by Google

ſchovichii, qui hæc objicit, ut videre licet tom. III. Phyſ. Gen. §. 183. Deus nec debet facere, nec facit quod majorem habet rationem cur fiat. Ergo &c.

§. 237. Reſponſio

Diſt. ant. Deus nec debet facere nec facit quod majorem habet rationem cur fiat in iis, quæ proxime ab illo pendent co. in iis, quæ proxime oriuntur a rebus creatis, & remote ab ipſo ne. Aliud eſt vis, aliud motus; vim abſolutam quæ proxime ab eo creatur, poteſt creare & non creare, creatam poteſt conſervare & non conſervare, poteſt augere & minuere. Sed ſi creet & conſervet in corpore vim, motus cum neceſſariis directione & velocitate proxime pendet a vi. Ergo talis eſſe debet, qualem creata vis requirit. Atqui vis determinata talem & non aliam nec majorem nec minorem velocitatem naceſſario requirit, ut ſupra docuimus, & directionem per talem lineam rectam, ut pariter oſtendimus. Ergo ex eo quod Deus nec debet facere, nec facit quod majorem habet rationem, non ſequitur unam vim non eſſe determinatam ad motum per lineam rectam.

§. 238. Inſtantia

Atqui nec in rebus creatis principium rationis ſufficientis inducit abſolutam neceſſitatem. Ergo nulla diſtinctio. Prob. ant. ex Wolphio, qui in Coſmolog. in hac ipſa diſputatione de Naturali & Supern. §. 527. vult leges motuum eſſe contingentes, eam ipſam qua corpus perſeverat in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum, eadem celeritate & ſecundum eamdem directionem, niſi a cauſſa externa ſtatum ſuum mutare cogatur. Quod pendet non ab eſſentia corporum, nec a principio contradictionis, ſed a principio rationis ſufficientis, quod neceſſitatem non inducit nec in rebus creatis, id abſolute neceſſarium non eſt, cum aliter eſſe poſſit: atqui etiam allata motus lex tum quod attinet ad directionem, tum quod attinet ad æquabilem velocitatem, non pendet ab eſſentia corporum nec a principio contradictionis, ſed a principio rationis ſufficientis, quod neceſſitatem non inducit nec in rebus creatis. Ergo &c.

§. 239. Reſponſio

Diſt. 1. partem anteced. allata motus lex non pendet a principio contradictionis quod reperiatur in eſſentia ſubſtantiæ corporis co. quod reperiatur in eſſentia vis accidentalis corporis ne. Item diſtinguo alteram partem; pendet a principio rationis ſufficientis quod neceſſitatem non inducit in rebus creatis libere operantibus co. ne-

Digitized by Google

neceſſario operantibus ne. Nam quemadmodum ſubſtantia ſuam habet eſſentiam, quicum aliqua tali abſoluta neceſſitate conjuncta ſunt, ut eorum contradictoria impoſſibilia ſint; ita vis accidentalis ſuam habet eſſentiam, quicum ſimiliter aliqua ſunt copulata. In vi autem motrice hæc duo neceſſario abſolute ineſſe debent, talis determinata eaque conſtans velocitas, & talis per lineam rectam directio ob rationes quas in anteceſſum attulimus. Ratio pro conſtanti velocitate non innititur rationis ſufficientis principio, ſed illo altero prorſus abſolute neceſſario, quod determinatæ cauſſæ & rei determinatus effectus relativus, & determinata ſubſtantialis differentia neceſſario ineſſe debet. Quamvis autem ratio pro directione in linea recta a primo ducatur principio, non tamen inde ſequitur hanc motus legem eſſe contingentem, quia principium rationis ſufficientis non inducit quidem neceſſitatem abſolutam in ſubſtantiis creatis libertate utentibus, uti ſunt animæ noſtræ, quæ aliquod inter plura eligere poſſunt §. 57. & ſeq. Pſych., inducit tamen in ſubſtantiis creatis neceſſario operantibus, quales ſunt corpora, quæ cognitione & eligendi unum ex pluribus facultate deſtituta, aut ad nihil, aut ad unum tantum in individuo determinari debent.

§. 240. Inſtantia

Atqui hoc principium non inducit abſolutam neceſſitatem neque in corporibus neceſſario operantibus, quod attinet ad præfatam motus legem. Ergo nulla diſt. Prob. min. ſub. Poteſt Deus efficere ut corpus non perſeveret in ſtatu ſuo quieſcendi aut movendi velocitate æquabili & ſecundum ejuſdem rectæ directionem. Ergo &c. Prob. ant. Poteſt Deus in corpore una vi percito ipſe per ſe, nulla ſumta ab aliis corporibus occaſione, vim de repente deſtruere, illam augere aut minuere, & creare vim aliorſum directam. Ergo &c.

§. 241. Reſponſio

Diſt. ant. Poteſt Deus ipſe per in corpore una vi percito deſtruere vim, eam augere & minuere, & aliam aliorſum directam creare poſt aliquod tempus majus vel minus, prout Deo placuerit co. aliter ne. Nam ut oſtendi §. 295. & ſeq. Ont. vis a Deo creata in corpore primum debet eſſe una tantum, deinde per aliquod aut finitum, ſi quantitates infinite parvæ repugnant, aut infinite parvum ſi poſſibiles ſint, eadem omnino durare, adeout nec Deus aliter facere poſſit; atque idcirco cum eadem perſeveret, debet neceſſario per ſimile durationis tempus, eamdem prorſus velocitatem & directionem per eamdem lineam rectam gignere, ad quas nimirum ea vis ex ſui natura neceſſario determinata eſt. Poſt vero

aliquod majus vel minus tempus ex numero eorum quæ eſſe poſſunt, poteſt Deus illa omnia præſtare eo ſenſu, quem cit. loco explicavimus, ut ſcilicet in nihilum redigat priorem vim cum ſua velocitate & directione, & interpoſita exigua mora creet aliam majorem vel minorem & aliorſum directam. Unde allata lex eſt neceſſaria abſolute per aliquod indeterminate tempus, utpote quæ pendet a natura & eſſentia vis; per aliquod vero determinatum eſt ſolum contingens, utpote quæ pendet a libera Dei voluntate. Uno verbo hæc eſt noſtra ſententia; non poteſt Deus creare vim niſi unam & niſi cum aliqua determinata velocitate, quæ quantitati vis & corporis in quo creatur, reſpondet, atque cum tali directione per lineam rectam, quæ omnia per aliquod indeterminate tempus durent; quo tempore tranſacto poteſt vim cum ſuis proprietatibus deſtruere, ſed nequit alteram continuate creare, ſed ſolum poſt aliquod indeterminate tempus quietis. Hæc ſi attendiſſet Cl. Wolphius, non abſolute pronunciaſſet præfatam motus legem eſſe contingentem.

2. Ex his eruitur ex aliqua parte contingentem eſſe quartam de perpetuitate motus, utpote quæ pendet a libera Dei voluntate.

§. 242. Propoſitio

Leges motus in corpore quod aut aliis atque aliis viribus perpetuo pellitur, ſecundum eamdem directionem, adeout ipſius motus ſit ſemper in linea recta, ſed aut acceleratus aut retardatus, aut duabus ad angulum oppoſitis, adeout per lineam quamdam mediam tendat, ſunt contingentes.

2. Prob. 1. pars. Leges hujuſmodi ſunt poſitæ in eo, ut corpus pergat moveri per lineam rectam, & ipſius velocitas tali determinata ratione aut creſcat, aut decreſcat. Sed hæ duæ leges ſunt contingentes. Ergo &c. Prob. ant. Hæ duæ leges pendent a libera Dei voluntate. Ergo ſunt contingentes. Prob. ant. Non poteſt velocitas augeri & diminui, niſi Deus in nihilum redigat priorem vim, & poſt aliquod tempus aliam creet aut majorem aut minorem. §. 293. Ont. ſed deſtructa priori vi poteſt Deus aliam creare, quæ ſit directa verſus eamdem plagam, aut verſus alias quaſcumque; quæ ſit, quamtumcumque is vult, major aut minor prima, & ideo gignat velocitatem, quæ ad velocitatem primæ habeat rationem quamcumque, prout ipſi libuerit; propterea quod inter primam cum ſuis determinationibus a Deo creatam, & ſecundam ab ea prorſus diſtinctam & etiam interpoſito tempuſculo diſcretam nulla eſt abſolute neceſſaria connexio. Ergo hæ duæ leges pendent

Digitized by Google

a libera Dei voluntate; ideoque ſunt contingentes.

3. Prob. 2. pars. Cum in communi ſententia duæ vires in eodem corpore ſecundum directiones angulum facientes eodem tempore imprimuntur, eadem ſententia vult eas ex parte, quatenus contrariæ ſunt, ſe viciſſim corrumpere, & quatenus conveniunt, coaleſcere in unam, quæ dirigitur per lineam quamdam mediam inter duas directiones ſingularum virium, & ſibi reſpondentem gignit velocitatem; ſed in noſtra & vera Deus illas duas non creat, ſed ſumta occaſione ab iiſdem quas creare deberet, ſi forent ſolæ creandæ, ut oſtendimus in eventu virium contrariarum §. *269*. Ont., illam unam cum ſua reſpondenti velocitate & ſecundum aliquam mediam directionem creat; atqui occaſio, quam ab iis duabus ſumit, nullam abſolutam neceſſitatem inducere poteſt in Deo, ut creet talem potius cum tali celeritate & directione vim, quam aliam quamcumque, eoquod vis creata cum iis, quas, ſi ſeorſim forent, crearet, nullam habet cauſſæ efficientis neceſſitatem. Ergo etiam illa lex motus in corpore quod duabus ad angulum oppoſitis viribus pellitur, adeout per lineam quamdam mediam tendat, pendet a libera Dei voluntate, ideoque eſt contingens.

§. 243. Corollarium

Cum in motu corporis in lineis curvis ſint ſemper novæ vires ad angulum oppoſitæ, quibus deflexio a linea recta ſemper gignitur, & ut plurimum etiam velocitas aut intenditur, aut remittitur; ex dictis colligitur leges motus in lineis curvis a libera Dei voluntate pendere, ideoque eſſe contingentes & exemtas a neceſſitate abſoluta.

§. 244. Propoſitio

Leges motuum in attractione, repulſione & colliſione corporum ſunt contingentes & exemtæ ab abſoluta neceſſitate. Cum enim corpora in motus communicatione ſive per attractionem aut repulſionem §. 303. n. 2. Ont., & per colliſionem, non ſint cauſſæ efficientes §. 237. Ont. ſed ſolum occaſionem Deo præbeant in utroque ex corporibus diſtantibus ſe attrahentibus generandi vires motrices maſſis & quadrato diſtantiæ reciproce proportionales §. 303. n. 3. Ontologiæ, & in corpore alterum percutiente deſtruendi partem celeritatis proportionalem maſſæ percuſſi, & in percuſſo generandi velocitatem proportionalem maſſæ percutientis §. ibid. n. 4. & ſeq. manifeſtum eſt has leges pendere a libera voluntate Dei, qui poterat eas non ſtatuere, aut alias quaſcumque ab hiſce diverſas.

§. 245.

§. 245. Objectio

Si leges motuum in attractione, & repulſione & colliſione corporum forent contingentes, & ab una Dei libera voluntate penderent, vires hoc pacto in corporibus genitæ aut corruptæ & mutationes inde exſiſtentes non forent naturales, ſed miracula; atqui falſum conſequens; ergo & antecedens. Prob. maj. Miraculum eſt mutatio, quæ a ſolo Deo pendet, non autem a viribus rei creatæ; mutatio vero naturalis eſt mutatio, quæ a viribus etiam rei creatæ ortum ducit: atqui ſi vera foret noſtra ſententia, vires in corporibus ope attractionis aut repulſionis in diſtantia, vel in mutuo contactu & colliſione genitæ aut corruptæ, a ſolo Deo penderent, qui vires hujuſmodi aut crearet, aut jam creatas in nihilum redigeret. Ergo ſi leges motuum &c.

§. 246. Reſponſio

Diſt. maj. Miraculum eſt mutatio quæ a ſolo Deo pendet ita tamen ut aliud ſit ordinarium, aliud extraordinarium co. ut omne ſit extraordinarium ne. Et diſt. conſeq. Ergo ſi leges motuum &c., vires hoc pacto in corporibus genitæ aut corruptæ & mutationes inde exſiſtentes eſſent miraculum ordinarium co. extraordinarium ne. Miraculum ordinarium eſt illa mutatio, quæ quidem ab uno Deo pendet, eo quod a viribus rerum creatarum pendere non poteſt, ſed ab eodem in mundi gubernatione ſemper efficitur, ut eſt rerum conſervatio, quam ab una Dei continuate creantis actione pendere poſſe jam docuimus §. 95. & ſeq. Extraordinarium vero eſt mutatio quæ a ſolo Deo pendet, ſed ſolum interdum efficitur; ut eſſet mortui ad vitam revocatio. Jam vero cum corpus aliud in aliud ſive diſtans, ſive etiam conjunctum, tamquam effectrix cauſſa §. 237. & ſeq. Ontol. nihil transferre poſſit nec creando vim nec illam communicando; Deus ſua proxima actione ſupplet defectus naturalium cauſſarum, & patrat miraculum ordinarium, creando in corporibus diſtantibus vim qua ad ſe invicem accedant, aut a ſe invicem recedant, maſſis reciproce proportionalem; aut ſi alterum in alterum incurrat, in percutiente deſtruendo partem vis & celeritatis proportionalem maſſæ percuſſi, & in percuſſo creando aliam proportionalem maſſæ percutientis, ſecundum ea quæ §. 203. Ontol. docuimus. Non eſt autem a ratione diſſentaneum, ut Deus miraculis ordinariis defectus naturalium cauſſarum ſuppleat.

§. 247. Inſtantia

Si res ita foret, nulla inter miraculum ordinarium & extraordinarium eſſet interior differentia; atqui inter miraculum ordinarium

rium

Digitized by Google

rium atque extraordinarium debet eſſe aliqua interior differentia. Ergo res ita ſe habere non poteſt, ut volumus, in explicatione traditæ diſtinctionis. Prob. maj. Tota differentia penderet ab una voluntate Dei, ergo &c. Prob. ant. Differentia in eo a nobis ponitur, quod aliqua ipſe per ſe ſemper voluerit præſtare, aliqua vero ſolum aliquando, & in aliquibus circumſtantiis. Ergo &c.

§. 248. Reſponſio

Diſt. ant. Differentia in eo a nobis ponitur, quod aliqua Deus ipſe per ſe ſemper voluerit præſtare, ſed ita perinde ac ſi corpora tamquam cauſſæ naturaliter efficientes in ſe viciſſim operarentur co. aliter ne. Quamvis corpora alia in aliis vim motricem & motum tamquam efficientes cauſſæ non generent, tamen cum Deus naturaliter in iis operatur & patrat ſolum miracula ordinaria, eas generat aut deſtruit velocitates & vires velocitatibus neceſſarias, perinde ac ſi corpora eaſdem efficerent aut corrumperent tamquam efficientes cauſſæ. Nam primo in primo ex duobus diſtantibus corporibus creat velocitatem proportionalem maſſæ ſecundi, & in ſecundo proportionalem maſſæ primi, perinde ac ſi maſſa ſecundi tamquam effectrix cauſſa traheret primum, & maſſa primi ſecundum, ex. g. ſi primum ſit duplo minus ſecundo, velocitas creata in primo eſt duplo major velocitate creata in ſecundo. §. 303. n. 6. Ont. Deinde ſimili ratione in conflictu velocitas creata in percuſſo proportione reſpondet maſſæ percutientis, & velocitas corrupta in percutiente maſſæ percuſſi, adeout duplo major velocitas in percuſſo creetur, & in percutiente duplo minor corrumpatur, ſi maſſa percutientis ſit duplo major maſſa percuſſi; §. cit. n. 5. Ont. perinde ac facerent corpora, ſi tamquam effectrices cauſſæ alia in aliis motum gignerent, aut corrumperent. Cum vero ſupernaturaliter operatur, & miracula facit extraordinaria, hanc a corporibus creatis occaſionem non ſumit, nec eas generat, aut corrumpit velocitates & vires iis reſpondentes, quæ reciprocam maſſarum rationem ſequantur. Quo ſit compertum diſcrimen inter miraculum ordinarium & mutationes corporum naturales, interque extraordinarium, & mutationes ſuperuaturales.

§. 249. Inſtantia

Atqui hoc diſcrimen ſatis non eſt explicando quænam ſint naturales corporum mutationes, quænam ſupernaturales. Ergo nulla diſtinctio. Prob. min. ſub. Hoc diſcrimen ſatis non eſt, ſi quædam mutationes ſint naturales, tametſi adverſentur his legibus & pro-

por-

portionibus quæ ab his requiruntur. Sed quædam mutationes ſunt naturales, tametſi adverſentur his legibus, atque proportionibus, quæ ab iis inducuntur. Ergo &c. Prob. min. Penetratio corporum ſine ulla reſiſtentia eſt hiſce legibus & proportionibus omnino contraria; atqui effluvia magnetica ſine ulla prorſus reſiſtentia penetrant atque tranſmittunt omnia præter ferrum & magnetem corpora, ut oſtendimus in Opere de Magn. tom. I. §. 50. & ſeq., & nihilominus id naturaliter faciunt. Ergo &c.

§. 250. Reſponſio

Diſt. maj. Penetratio corporum eſt contraria his legibus & proportionibus in iis corporibus, quæ Deus ab initio voluit ut alia in aliis viciſſim operari viderentur co. in iis corporibus, quæ noluit ut id præſtarent, ne. Nam corpora ipſa per ſe dum moventur, ſine ulla prorſus reſiſtentia & communicatione ſuæ vis penetrant & tranſmittunt cetera corpora §. 237. Ont. Sed quia ab initio voluit, ut ad ſervandum hujus mundi ordinem corpora in ſe viciſſim operari & motum communicare viderentur, a primo ſtatuit in iiſdem diſtantibus creare eas vires attractrices, quæ in contactu in expultrices abirent, ex quibus vires inertiæ, & virium communicatio & perpetua motuum in natura variatio orirentur §. 304. Ont. Id tamen non vetat quominus voluerit aliqua ab hac lege excipere, ſive ſuæ naturæ relinquere, & revera exceperit atque reliquerit magnetica effluvia ad ea præſtanda mira phænomena, quæ citato Opere accurate expoſuimus. Quare in primis penetratio corporum eſt miraculum extraordinarium, ut contigit quando Chriſtus aut ex utero virginis incorruptæ manentis egreſſus eſt, aut in cœnaculum januis clauſis ingreſſus. In ſecundis autem tantum abeſt ut ſit extraordinarium, ut neque pro ordinario haberi poſſit, cum eſſentia corporum, ipſa per ſe conſiderata ſine aliqua vi expultrice accidentali, penetrationem requirat, ſi in altero corpore adſit vis motrix.

§. 251. Scholion XI.

Quamvis corpora tamquam cauſſæ effectrices alia in aliis non operentur, ſed Deus, ſumta ex ipſis occaſione, aliquam vis partem in impellente corrumpat, & in impulſo aliam erect, tamen intelligi poteſt diſcrimen inter eventus, in quibus naturaliter in corporibus operatur, interque illos in quibus ſupernaturaliter. Tunc enim prima ratione ſe gerit, quando eas libere corrumpit & gignit virium portiones, quæ neceſſario corrumperentur ac gignerentur, ſi corpora in motus communicatione virtutem cauſſarum efficientium cohiberent: tunc autem ſecunda, quando virium corruptiones ac generationes hanc legem nequaquam ſequuntur. Primum enucleate explicavi tom. III. Phyſ. Gen. §. 241.,

§. 241., ubi inter cetera planum feci legum motus in corporum colliſione rationem eſſe illius ſimilem, quam attuli ſupra, cur corpus una pulſum vi lineam rectam atque omnium breviſſimam teneat. Hac de cauſſa leges motuum in corpore una vi percito abſolute neceſſarias, in pluribus autem inter ſe collidentibus hypothetice neceſſarias oſtendi in commentario, quem de neceſſitate legum Staticæ ac Mechanicæ duobus ab hinc annis ſcripſi, quemque ad ea quæ hic diſſero luculentius declaranda in fine ſubjiciam.

ARTICULUS II.

De Mutationibus naturalibus & ſupernaturalibus corporum.

§. 252. Propoſitio

Ex iis quæ paulo ante ſunt diſputata, apparet quænam ſint mutationes corporum naturales, quænam ſupernaturales; primæ nempe ſunt illæ, quæ in hoc mundo uſuveniunt ſecundum leges motuum, quas Deus inter corpora ſtatuit; ſecundæ autem quæ ſupra hujuſmodi leges: qualis foret, ſi cum corpus omnino durum vique elaſtica non præditum in alterum æquale, pariter durum & quieſcens incurrit, primum amiſſa omni vi quieſceret, & ſecundum ea velocitate qua primum, cieretur, propterea quod ſecundum leges motuum ambo ſimul juncta dimidio prioris velocitatis ferri debent.

2. Advertendum eſt tamen quod inter motuum leges recenſenda ſit etiam ea, quæ inter animam & corpus reperitur; propterea quod non eſt valde abſimilis a lege attractionis inter corpora, uti advertimus §. 172. Pſychologiæ, & ſi Deus occaſione cujuſdam animæ cogitationis & appetitionis quamdam creat in corpore novam vim, quæ a viribus aliorum corporum neque tamquam a cauſſis occaſionalibus pendet, hæc Dei actio non eſt miraculum extraordinarium, ſed ordinarium, quo ſupplet defectum animæ, quæ tamquam effectrix cauſſa nihil in corpore poteſt operari.

3. Scio Wolphium his refragari, qui ſecundum ſuum harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema putat omnes corporis motus ſecundum leges motuum aliorum mundi corporum perfici, nulla ſumta occaſione ab animæ mutationibus. Sed cum hominis ſyſtema refellerem §. 165. & ſeq. Pſych. planum feci multos exſiſtere in humano corpore motus, qui nullam ſui rationem habere poſſint in notis motuum legibus & in connexione cum aliis corporibus hujus rerum univerſitatis; & aliam nullam eſſe reliquam viam eoſdem explicandi, niſi adminiculo ſyſtematis cauſſarum occaſionalium, quod eſt idem ac ſyſtema attractionis §. 303. n. 2. Ont.

4. Sed adverſus hanc ſententiam id quoque ab hoc de mutatio-

nibus naturalibus & ſupernaturalibus loco petitum objici poteſt ex Volphio. Cum Deus contra leges motuum inter corpora ipſe per ſe mutationem aliquam in mundi corporibus gignit, quæ miraculum appellatur, debet aliud patrare miraculum, quo reſtituat omnia in eo ſtatu, quem ſecundum leges motuum acquiſiviſſent, niſi miraculum patratum fuiſſet; ſic enim in Coſm. diſſerit de miraculo tenebrarum, quæ in morte Chriſti contigere: *Non tamen ignotum eſt miracula reſtitutionis & agnita, & admiſſa fuiſſe a Theologis. Exemplo nobis ſit D. Thomas 3. p. quæſt. 44. art. 2. Is enim defendit tempore Chriſti patientis deliquium ſolis contigiſſe per interpoſitionem diametri lunæ cum ſole per trium horarum intervallum, & finita eclipſi ſubſecutam oppoſitionem cum ſole, ſeu lunæ verſus orientem ad oppoſitionem cum ſole reverſionem. Idem prorſus ſentit Cornelius a Lapide, celebris Scripturæ Interpres, in Matthæum cap. 27. 45. Quando deliquium ſolis contingebat, plenilunium erat, conſequenter luna ſoli oppoſita. Motu igitur miraculoſo ad conjunctionem rapta, & per miraculum integris tribus horis in eodem ſitu detenta fuit; atque ita ſol deliquium paſſus eſt per miraculum. Quod ſi luna in hoc ſitu perſtitiſſet, in hodiernum uſque diem plenilunia & novilunia alio tempore contingerent, quam alias contigiſſent, ſi motus lunæ per miraculum minime mutatus fuiſſet; imo quæ a pleniluniis & noviluniis pendent, veluti apud nos paſchatis ac pendentium inde porro feſtorum mobilium celebratio, non eodem modo jam ſe haberent, qualia fuiſſent, ſi miraculum non contigiſſet. Enimvero quomodo Deus evitavit hanc mutationem in ſerie rerum futura ex mente Thomæ & Cornelii a Lapide? Nonne per hoc quod alio motu miraculoſo, tribus elapſis horis, lunam reduxit in eum locum in quo dato momento hæſiſſet, ſi nullum miraculum contigiſſet, ideſt per miraculum reſtitutionis? Videmus adeo quantum a vero aberrent qui aliis perſuadere nituntur miracula reſtitutionis eſſe quid inauditi in foro Theologorum, & quam fruſtraneus ſit metus, ne ad negandum miracula tendant.* Ex quibus apparet miracula reſtitutionis eſſe neceſſaria, ne univerſi ordo turbetur. Siquidem in mundo omnia inter ſe ita ſunt apta & connexa, ut ſi quid per miraculum fiat, ſequentes mundi ſtatus ſint alii futuri, atque ii, qui, miraculo nequaquam interpoſito, conſecuti fuiſſent. Id ne contingat, dicta reſtitutionis miracula præſtant. Quibus conſtitutis, perſpicuum eſt motibus humani corporis, ſi ab anima tamquam a cauſſa occaſionali, & a Deo tamquam ab effectrice pendent, hunc mundi ordinem nimis turbatum iri, propterea quod non obſervamus per miraculum reſtitutio-

tio-

Digitized by Google

ctionis deſtrui mutationes, quæ a corpore humano in aliis circumfuſis mundi corporibus efficiuntur. Eſt ergo concludendum motus humani corporis ſecundum leges motuum omnium aliorum corporum perfici, quin ab arbitrio animæ pendeant.

5. Quibus ut ſatisfaciam, adverto ad mundi ordinem quem Deus a primo conſtituit, ſuam quoque ſymbolam conferre mutationes, quæ ab anima perficiuntur in corpore, quicum juncta eſt, & adminiculo illius in aliis mundi corporibus, quibuſcum corpus humanum eſt copulatum; propterea quod inter animam & corpus humanum eſt lex attractionis ſimilis illi quæ inter corpora intercedit. Hac vero animadverſione ſatisfit propoſitæ difficultati, quæ ponit mundi ordinem ſolis contineri legibus motuum, quæ inter corpora reperiuntur.

6. At enim hic ordo nimis eſſet inconſtans & varius, ſi etiam a libera hominum voluntate penderet. Immo ſi res ita foret, futuri mundi ſtatus multos ante annos certo a nobis prædici non poſſent, cum unus Deus præſcire queat, quid omnes omnium liberæ voluntates ſint appeticuræ. Eſt autem exploratum multa plures ante annos quam accidant, certo prænuntiari ab Aſtronomis, ut periodos Planetarum, ecclipſes ſolis & lunæ, eorumque conjunctiones, & de hoc genere alia permulta. Ergo id luculenter confirmat mundi ſtatum ab anima humana nequaquam turbari, atque ideo falſam eſſe noſtram ſententiam, ex qua turbatio hujuſmodi conſequeretur.

7. Verum diſtinguendæ ſunt mutationes quæ a magnis mundi corporibus pendent, ab iis, quæ in parvis contingunt. Nam corporis motus ab anima profecti gignere poſſunt mutationes aliquas in corporibus hujus terraquei globi, quæ ſunt in ſuperficie telluris aut ab illa vel ſurſum, vel deorſum parum abſunt; non vero in ſole, in luna, in planetis atque in ſyderibus, quæ corpora & nimium magna ſunt, & nimium a tellure diſtantia, quam ut exiguæ mutationes corporum prope telluris ſuperficiem ab hominibus libera voluntate factæ ſenſilem aliquam differentiam afferre poſſint in horum corporum attractionibus, quibus eorum motus ac converſiones perficiuntur. Qua de re conſule illum Cl. Friſii commentarium, in quo eamdem ſemper fuiſſe anni periodum, & eccliptic æ inclinationem enucleate docet. Hac de cauſſa certo prædici poſſunt eorum futuræ periodi, & etiam ſtatæ noctium ac dierum & lunæ phaſium viciſſitudines, quæ a ratis ſolis & lunæ converſionibus ducunt originem. Unde fit & multas hujus terraquei orbis mutationes ab animis hominum pendere, & nihilominus hujus mundi ordinem, qui in maximis mundi corporibus obſervatur, ratum eſſe atque conſtantem.

APPENDIX I.

COMMENTARIUS

De neceſſitate legum Staticæ atque Mechanicæ.

§. 1.

IN quæſtione quam Phyſico-Mathematicis nuper ſolvendam propoſuit Illuſtriſſima Regia Academia Berolinenſis, tantum eſſe momenti, quantum in univerſa Phyſica, nemo eſt in hiſce diſciplinis tam peregrinus & hoſpes qui ignoret. Cum enim propoſuerit inquirendum, utrum veritas principiorum Staticæ atque Mechanicæ ſit neceſſaria, an contingens, quis non videt hic non de terminis, ſed de tota poſſeſſione quæſtionem moveri? Nam ſi ea principia neceſſaria ſint, ſtant leges motuum, unde tota Phyſica pendet, earumque rationes ex intima rerum natura depromi poſſunt, itaque fit ut hæc diſciplina ſua ſervet jura, & nomen ac decus ſcientiæ tueatur. Sin autem contingentia ſint, eædem leges ab una proficiſcuntur voluntate Dei, qui tales pro ſuo arbitrio condere voluerit, cum ceteroquin alias fingere potuiſſet, quin ullam naturæ corporum vim adhiberet. Quo poſito nullam motus corporum legem ratione inveſtigare, & ab ipſa origine & a priori, ut ajunt, poſſemus arceſſere; ſed unus eſſet reliquus modus in earum cognitionem veniendi per tentamina atque experimenta, quæ nos pedetentim manu quaſi ducerent ad eas, quæ in hac rerum univerſitate ſtatutæ ſunt, cognoſcendas. Quamobrem conſtat hujus quæſtionis ſolutionem eſſe omnium maxime neceſſariam, nihilque a Phyſicis eſſe omittendum, quo ad illam perveniant. Ego certe, quantum potero, nitar, nec ab ingenii imbecillitate, nec ab eorum, qui ad hunc locum illuſtrandum concurrent, longe majori acumine atque doctrina, nec a ſumma eorum, qui de commentariis ſententiam laturi ſunt, auctoritate abſterreri me ſinam, quominus meam quoque ad hanc rem ſymbolam conferam. Ad quam dum propius accedo, mihi eſſe neceſſarium video de neceſſitate legum motus, a quibus leges Staticæ atque Mechanicæ pendent, accurate diſſerere. Quoniam vero hic locus ex altera parte nimis in longum duceret, & ex altera jampridem a me luculentiſſime tractatus eſt in quodam opere in tres diſtributo tomos, cujus editionem paucis ab hinc annis abſolvi, hanc diſputationem, quantum potero, contraham, ne nimium morer doctiſſimos Academicos, qui ſi aliquorum uberiorem cupient explicationem, appictam poterunt aperire ſchedulam, ex qua nomen auctoris & libri jam editi innoteſcet. Hunc itaque commentarium in quatuor diſpertio capita, in quorum primo diſputo de neceſſitate legum motus rectilinei & conſtantis, in ſecundo de neceſſitate legum motus rectilinei & variabilis, in tertio de neceſſitate legum motus in corporum colliſione, unde principia Staticæ atque Mechanicæ proficiſcuntur, in quarto denique de neceſſitate legum motus compoſiti tum rectilinei, tum curvilinei.

CA-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De neceſſitate legum motus rectilinei atque conſtantis.

§. 2.

AD illud vero definiendum utrum leges motus rectilinei atque conſtantis ſint neceſſariæ, nec ne, nonnulla præmitto de natura vis motricis, ex qua motus exſiſtit, & preſſionum, ex quarum fluxu vis generatur. Itaque primum ajo præter motum eſſe in corporibus aliquid aliud a motu diſtinctum, quod ſit illius cauſſa, idque ad illius eſſentiam jam conſtitutam accedere. Nam puræ relationes proxime gigni, corrumpi, aut variari non poſſunt, ſed tantum remote, quatenus generantur, corrumpuntur, aut variantur quædam abſoluta, ex quibus eædem exſiſtunt, propterea quod ipſarum natura tota pendet a qualitate abſolutorum, quæ inter ſe comparantur. Unde nec Deus ipſam per ſe ſimilitudinem aut creare, aut deſtruere, aut mutare poteſt, ſed ſolum res, ex quibus aut nova exſiſtat ſimilitudo, aut quæ prius inerat, corrumpatur, vel mutetur. Jam vero purus motus eſt pura corporis relatio ad diverſa loca, quæ corpus continenter percurrit, ſive ad plures ſuperficiei corporum circumfuſorum partes, quas gradatim alias poſt alias contingit, in mea ſententia, quam initio ſignificati operis invictis rationibus mihi confeciſſe videor, vacui, quod poſſibile quidem ſit inter corpora, ſed reipſa extenſum non ſit, eoquia nullas habet partes, quarum aliæ extra alias eſſe queant, eſtque pura recipiendi extenſa potentia, quæ in Deo tamquam ipſius attributum reperitur. Ergo purus in corporibus motus eſſe nequit, ſed aliquid abſolutum ab ipſo diſtinctum, quod ſit illius cauſſa, quodque dicitur vis, reperiatur oportet. Nec ajat Carteſius poſſe Deum per id ſolum movere corpora, quod illa conſervet, ſive continuate creet in pluribus locis, quemadmodum ea conſervat in uno, quin aliquid a quiete diſtinctum in corpore gignat. Siquidem magnum diſcrimen eſt inter unum & plura loca. Cum enim corpus extenſione carere non poſſit, ſi aliis corporibus circumdatur, uni cuidam extremitati & cæſuræ ambientium corporum reſpondere, & ideo eſſe in uno loco neceſſarium eſt. Quod vero partim ex hypotheſi corporum circumpoſitorum, partim ex natura & eſſentia corporis conſequitur, id aliam cauſſam præter conſervationem hypotheſis & naturæ corporis habere non debet; præſertim cum corpus uni corporum aliorum ſuperficiei reſpondere aliud non ſit, niſi conſervatio relationis in eodem ſtatu. At gradatim & continenter ab alia ad aliam corporum cæſuram tranſire eſt relationis mutatio, cujus rationem corporis extenſio non continet. Mirum igitur eſſe non debet, ſi ad mutationem hujus relationis & ad conſervationem in pluribus locis, præter creationem conſervationemque extenſæ ſubſtantiæ, cujuſdam alius, quod appellatur vis, creatio & conſervatio deſideretur. Nam ut nihil novi ſit, nihil requiritur. Jam vero, cum corpus eſt in uno tantum loco, nihil novi acquirit. Ergo præter eſſentiam aliud nihil eſt opus. Ut vero aliquid novi ſit, quod antea non erat, opus eſt aliqua ſufficienti ratione. Locum autem mutare eſt ſemper acquirere nova loca. Ergo ad id poſtulatur ratio ſufficiens. Eſſentia vero corporis poſita in extenſione ipſa per ſe plura loca non poſtulat, eoquod extenſio poteſt in uno ſolum per-

ſta-

ſtare. Ad eum igitur finem ut corpus mutet locum, neceſſe eſt Deus creet in corporibus quidquam aliud, quod hujus mutationis ſit ratio ſufficiens, quodque dicitur vis motrix.

2. At enim ex altera parte exorientur Leibnitius & Wolphius, qui affirmabunt hanc rationem in ipſa corporum eſſentia poſitam eſſe, eo quod in ipſorum ſententia in omnibus ſubſtantiis, cujuſmodi ſunt corpora, datur vis eſſentialis, quæ eſt attributum proprium ſubſtantiæ. Sed utut res ſe habeat de hac ipſorum opinatione, quæ rationibus quidem ſuadetur, cum agitur de ſubſtantia increata, in quam nulla cadunt accidentia, non vero cum de creatis; ajo vim eſſentialem non eſſe veram motricem vim. Siquidem nomine vis motricis intelligitur ea, quæ eſt proxima motus cauſſa, quaque poſita continuo ſequitur motus, quin alio ſit opus ad illum efficiendum. Talis autem non foret vis eſſentialis. Cum enim eſſentia corporis ſit indifferens ad omnia loca, hujuſmodi quoque foret vis cum eſſentia corporis neceſſario conjuncta. Cumque corpus unum tantum verſus locum ferri queat, vis ad omnia indifferens illud ad unum atque idcirco ad motum determinare non poſſet. Quamobrem alio eſſet opus ad corpus movendum. Ex quo fit ut vis eſſentialis non ſit ultima ratio motus, nec ideo vera vis. Nec dicat Wolphius alio nullo opus eſſe quam modificatione, ut ipſe ait, vis eſſentialis & primitivæ. Vel enim hæc modificatio ſive determinatio eſt aliquid relativum, vel abſolutum. Si primum, iiſdem rationibus, quas modo contorſi, efficiam eam per ſe nec gigni, nec corrumpi, nec variari poſſe. Sin vero alterum, eam vocabo vim abſolutam motricem a motu diſtinctam, & ipſius proximam cauſſam, quam hic ſtabilire contendo.

§. 3.

His conſtitutis, quibus certa vis motricis alte in rerum natura latentis veſtigia citato libro deteximus, ajo preſſiones eſſe elementum vis, quæ generatur fluxu preſſionum, quarum aliæ aliis continenter ſuccedant, quemadmodum fluxu lineæ rectæ rectangulum, & fluxu rectanguli parallelepipedum; atque etiam eſſe id, ex quo incipit vis, & id, in quod deſinit, uti lineæ rectanguli, & rectangula parallelepipedorum ſunt termini, ex quibus ducunt initium rectangula, aut parallelepipeda, & in quibus finem habent. Id quod videre licet in elaſtro ſe explicante in ſphæram ad ipſum admotam, in qua dato tempore certa vis generatur fluxu continuate ſuccedentium preſſionum, quarum una eſt principium, alia finis. Hæc autem vis eo major eſt, quo ſunt majores preſſio fluens, celeritas qua preſſiones fluunt, & tempus quo fluxus durat. Unde vis eſt æqualis producto in hæc tria, quemadmodum rectangulum eſt æquale producto ex magnitudine lineæ, quæ ſuper alteram ad angulos rectos ſemper inſiſtens æquabiliter movetur, ex velocitate, qua eadem fluit, & ex tempore, quo permanet motus. Inde vero commemorati operis tomo primo rationem a prioti deduximus, cur ex Leibnitianorum ſententia vis æſtimanda ſit in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum & ex duplicata velocitatum, eo quod in hypotheſi preſſionum ſemper æqualium, quæ eſt eadem, ac gravitatis conſtantis, & motus æquabiliter accelerati, tempora velocitatibus proportione reſpondent. Quamvis autem ex hac virium æſtimatione propoſitæ quæſtionis ſolutio aliqua ex parte pendeat. tamen in ea confirmanda longum non faciam, ne ab eo, quod maxime propoſitum eſt, nimis aberrem.

2.

Digitized by Google

2. Potius aliquantiſper immorabor in ea definienda quæſtione, an poſſit exſtare vis ſine ullo motu, proptereaquod ad rem, qua de agitur, id definire valde neceſſarium eſt, & alioquin apud omnes illa invaluit præjudicata opinio virium mortuarum, quæ ſine ullo prorſus motu vel minimo perſtent, quæ opinio quantas toti Phyſicæ tenebras obduxerit, citato loco jam docui. Meam vero negantem ſententiam ita ſuadeo. Si exſiſteret aliqua vis ſine motu, in corpore exſtarent puræ preſſiones, quæ a Leibnitianis dicuntur mortuæ vires, ſine aliqua vi viva, quæ eſt vis cum motu conjuncta. Non poſſunt autem reperiri in corporibus puræ preſſiones ſine ulla vi viva, earum fluxu quæ generetur. Quo enim inſtanti preſſio eſt in corpore & in illo gignitur, eodem corrumpi nequit ab alia, quæ ſit ipſi contraria, preſſione. Nam ſi id fieret, preſſio eodem prorſus inſtanti foret, & non foret; foret, quia eſſe & gigni poneretur; non foret, quod a contraria corrumperetur. Ergo preſſio per aliquod tempus perſtet neceſſe eſt a contraria nequaquam deſtructa. Preſſio autem ſi a contraria non perimitur, fluat oportet & motum gignat atque vim vivam, quæ fluxu preſſionum generatur. Id quod confirmatur exemplo rectanguIæ ſuperficiei, quæ utpote non ſubſtantia, ſed modus corporis, ſive ipſius initium aut finis, eſſe quidem poteſt, ſed non ipſa per ſe, verum ſimul cum corpore conſtet neceſſe eſt. Cum ergo preſſiones ſint id, ex quo incipiunt generari vires, & in quod deſinunt, eſſe in corpore per ſe ſolæ non poſſunt, ſed una cum vi viva, quæ ex fluxu ipſarum exſiſtit. Igitur vis ſine ullo prorſus motu in hac rerum univerſitate conſtare non poteſt. Hac vero mea ſententia ſic evidenter confecta, parum moror rationes, quæ in contrariam partem afferuntur, eoquod etſi videantur rem plane cogere ac perſuadere, facile tamen a me diluuntur. Nam primo ad illam ad ſpeciem graviſſimam perfecti æquilibrii, quod aut datur, aut ſaltem dari poteſt, ajo corpora reipſa gravia non eſſe, ſed ſolum in potentia proxima, adeout in hiſce corporibus gignatur gravitas ſimul, ac ab aliqua externa vi cientur ad motum, tametſi ante motum nulla gravitatis vi re ipſa ſint prædita. Quod ſi aliquis regerat contrarias corporum, quæ in lancibus ſtateræ collocata ſint, vires ſe non poſſe perimere ſaltem quod attinet ad ſubſtantiam, eo quod in noſtra ſententia vires ſunt aliquid abſolutum, quod proxime a Deo in corporibus creatur, quodque idcirco a ſolo Deo, non ab alia creata re deſtrui poteſt, id equidem aſſentior, ſed ajo vim a contraria vi non tamquam a cauſſa efficienti, ſed ſolum tamquam ab occaſionali corrumpi. Cum enim ex altera parte vis non poſſit eſſe ſine motu ob allatas rationes, & ex altera quando corpus verſus contrarias partes viribus æqualibus pellitur, non ſit major ratio pro motu verſus unam, quam alteram; ideo vires contrariæ Deo præbent occaſionem, cur eas conſervare deſinat atque corrumpat. Id autem rationem ſuppeditat ſolvendi aliam ad ſpeciem inenodabilem difficultatem, ductam ab aſcenſu corporum gravium, in quibus etſi gravitas motum deorſum ſibi convenientem non gignat, tamen in corpore eſſe debere ex eo plane colligitur, quod verum gignit effectum, & contrariam in corpore aſcendente vim paulatim perimit. Cum enim gravitas oriatur a vi, qua tellus corpora trahit; hæc autem vis, ut infra oſtendemus, non ſit niſi vis, quam Deus in uno corpore excitat occaſione alterius vicini in ratione compoſita ex directa maſſarum & ex inverſa duplicata diſtantiarum, idem Deus in corpore ſuperiora petente nullam gignit

Digitized by Google

gnit vim deorſum, quamdiu corpus aſcendit, ſed paulatim interimit vim contrariam ſurſum in ratione vis deorſum, quam in eo crearet, ſi vere inferiora capeſſeret, & revera creare incipit, ſimul ac omni vi ſurſum corrupta, ceſſat aſcendere. Quod valet etiam in corpus vi percitum, quod dum in elaſtrum expanſum incurrit, illudque comprimit, vim omnem amittit ob contrariam elaſticam; eo quia planum infra faciemus corpora, cum aliud in aliud incurrit, non eſſe cauſſas effectrices in motus communicatione, ſed tantum occaſiones. Nullum eſt ergo contrariæ ſententiæ momentum & manet noſtra, qua volumus nullam poſſe in rerum natura conſtare vim, quæ omni prorſus motu ſpoliata ſit.

§. 4.

1. Ex quibus efficitur abſoluta motus neceſſitas poſita vi, adeout poſſit quidem Deus non creare vim in corpore, creatam poſt aliquod tempus in nihilum redigere, non vero poſſit efficere, ut ex vi nullus ſequatur motus, quemadmodum non poteſt facere ut ſi quatuor hi numeri 10, 5, 4, 2 ponantur, ratio inter primum atque ſecundum ſimilis non ſit rationi, quæ inter tertium & quartum intercedit.

2. Quia vero manente eadem cauſſa idem perſtet effectus neceſſe eſt, inde ſequitur neceſſitas legis alterius in motu corporis, quod unica vi pulſum in loco nullius reſiſtentiæ moveatur. Debet enim eadem ſemper velocitate cieri, proptereaquod in loco nullius reſiſtentiæ nulla eſt ratio, quæ Deum moveat ad vim aut corrumpendam, aut augendam, aut minuendam, & vis eadem perſeverans eumdem gignat effectum oportet; quorum ſecundum prorſus neceſſarium eſt, quia ſicut Deus facere nequit ut ex vi non ſequatur motus; ita præſtare non poteſt, ut talem vim a ſe conſervatam talis motus talique ipſi vi reſpondente celeritate donatus non conſequatur; primum autem hoc pacto neceſſarium non eſt, quia Deus poteſt a vi conſervanda ceſſare, tametſi nulla ſit contraria vis, quæ poſtulet primæ corruptionem.


3. Major difficultas eſt in conficienda rectilinei motus lege, quæ in Phyſicis familiam ducit, proptereaquod ex altera parte nullæ etiamnum a Philoſophis fuerunt allatæ rationes, quæ rem perſuadere ac cogere videantur, & ex altera Cl. Buſchovichius in nota ad verſiculum 1420. lib. 1. elegantiſſimi Poematis de Philoſophia Recentiori Cl. Viri Benedicti Stay editi Romæ an. 1755. multa protulit argumenta, quibus efficere conatus eſt hanc & alias generales motuum leges oſtendi non poſſe a priori, nec illarum rationes ex intima rerum natura depromi, ſed ab una Dei voluntate pendere. Adverſus Cl. Philoſophum atque Mathematicum, qui mihi videtur magnam edere ſtragem in tota Phyſica Recentiorum, dum negat ulla ratione confici poſſe corpus vi aliqua pulſum per lineam rectam æquabili velocitate incedere, tomo tertio citati operis multa diſſerui, quæ hic in ſummam contraham. Ex ſuperioribus conſtat vim eſſe cauſſam effectricem motus. Inde vero efficiemus eſſe cauſſam quoque omnium eorum, quæ in motu ſunt, ſcilicet motus omnino determinati. Cum enim res percipi quidem poſſint ſine aliqua ex iis differentiis, quas habere queunt, & ſine illarum quoque negatione, re tamen vera ita indeterminatæ exſtare nequeant; conſequens eſt motum, qui reipſa efficitur a vi, eſſe debere omnino determinatum, ideſt per talem lineam, non per aliam quamcumque, & tali velocitate, non alia quacumque, quia ſine hiſce determinationi-

ni-

Digitized by Google

nibus motus eſſe non poteſt. Ergo cum vis motum gignat, & quidem neceſſario num. 1., erit etiam cauſſa, cur pellat corpus per hanc potius lineam, quam per aliam, cum hac potius, quam cum alia velocitate.

4. Qualis vero celeritas eſſe debeat, patet. Eadem enim vis, quæ nec ſe ipſa augere quit, nec minuere, utpote quæ proxime a ſolo Deo creari & perimi poteſt, velocitatem ſemper eamdem efficiat oportet, cum ſit certum exploratumque principium ab iiſdem cauſſis eoſdem effectus, & idcirco ab æqualibus pariter æquales progigni. Tota difficultas eſt in eo, quod monſtrari poſſe negat Buſchovichius, qualem capeſſat viam, & lineam teneat corpus, ſi ut punctum ſumatur, vel ipſius centrum, in quo tota maſſa compenetrata ponatur. Itaque ajo lineam hujuſmodi rectam eſſe oportere. Quod multis rationibus loco citato perſpicuum feci, hic vero facio hac una, quæ haud ſcio an ipſa per ſe rem, qua de agitur, cuilibet probare debeat. Corpus in A pulſum aliqua vi verſus punctum C non tendat, ſi fieri poteſt per rectam, ſed per curvam quamcumque ABCE. A puncto A ducatur ad quodlibet curvæ punctum C recta ACD. Ex iis, quæ de generatione curvarum diſſeruntur, conſequens eſt ex altera parte rectæ ACD poſſe duci curvam A*b* C*e* prorſus æqualem, ſimilem ſimiliterque poſitam, ac eſt curva ABCE; immo quæcumque alia curva propior in infinitum rectæ ACD ex una parte a corpore percurratur, eidem reſpondentem curvam ex altera parte poſſe deſcribi. Quo poſito optionem do Buſchovichio eligendi utrum velit, utrum corpus vi percitum ab eadem vi determinetur ac dirigatur ad aliquod determinatum punctum, uti C, inter quod & punctum A, unde eſt digreſſum, recta linea duci poſſit, an vero ſolum ad aliquam talis naturæ lineam curvam. Si primum, quod certe veritati conſentaneum eſt, quia cum corpus ipſum per ſe & inſpecta ſola ipſius eſſentia verſus omnia puncta etiam contraria ferri poſſit, non tamen ſimul & tempore eodem, in accidentali vi ratio eſſe debet, per quam unum verſum determinetur, ſi primum, inquam, hæc concedat oportet corpus eadem vi, & idcirco eadem percitum velocitate, poſſe æquali tempore pervenire ad punctum C tam per curvam ABC, quam per curvam A*b*C, eoquod æquales ſunt, ſimiles, & ſimiliter poſitæ, & ideo corporis ad punctum C directionem ejuſque velocitatem non magis determinare corpus ad eo perveniendum per curvam ABC, quam per A*b*C, eoquod vi & quod pertinet ad directionem, & quod ad velocitatem, æqualiter & ſimiliter obtemperat, ſive hanc, ſive illam teneat viam. Similiter ratio concludi poteſt, ſi alia directionum puncta aliæque curvæ, licet in infinitum rectæ propiores, utrimque ſumantur. Dicendum eſt ergo tendere ad C per rectam AC, in quam abeunt duæ lineæ ſimiles & æquales & ſimiliter utrimque poſitæ, ad quarum utramque corpus ſimiliter determinari confecimus. Quod ſi velit corpus a vi ad nullum determinari punctum, ſed ſolum ad incedendum in aliqua talis naturæ curva, nulla tunc erit ratio, cur potius arripiat curvam ABC, quam æqualem & ſimilem A*b*C, propterea quod natura curvæ, ad quam ſolum corpus a vi determinari in hac hypotheſi ponitur, eadem prorſus eſt in utraque, nec ulla eſt alia differentia, quam quæ oritur a ſitu diverſo, quem in eadem non eſſe attendendum ex eo ſequitur, quod nullam verſus plagam ſive ſitum vis dirigi poſita fuit. Inde vero rurſus efficiemus corpus in nulla ex his curvis poſſe moveri, ſed ſolum in linea recta.



5. Ex quibus efficitur hanc rectilinei, & æquabilis motus ab unica vi in loco nullius reſiſtentiæ generati legem prorſus eſſe neceſſariam, adeout neque Deus, ſi vim conſervet, aliter facere queat. Nam primo confecimus vim eſſe debere cauſſam motus omnino determinati, ſive quod attinet ad celeritatem, ſive quod ad lineam ipſius centro peragratam, eo quod nomine vis intelligimus illud abſolutum corpori jam conſtituto extrinſecus accedens, ſive a Deo in ipſo proxime creatum, quod eſt ultima ratio motus, quo poſito ſtatim motus conſequitur, nec alio eſt opus ut reipſa ſit. Cum enim in hac rerum univerſitate non queat niſi motus omni ex parte determinatus conſtare, motum ita omnino determinatum vi generari debere conficitur. Secundo probavimus corpus in duabus diverſis lineis eodem tempore moveri non poſſe. Tertio ſi in aliqua linea curva incedat, non eſſe aliquam majorem rationem, cur eam teneat potius, quam alteram, quæ illi ſimilis & æqualis, ac ſimiliter poſita duci quit. Ex quibus plane concluſimus oportere ut in linea recta corpus incedat. Nec Buſchovichius opponat id non concludi, niſi adminiculo principii rationis ſufficientis, cujus neceſſitatem homo pugnaciter negat. Ad ſummum enim dici poteſt illud neceſſario ſervandum non eſſe a cauſſis liberis, quales ſunt Deus & animæ humanæ, quæ ſua ſe ſponte dirigere poſſunt ad unum ex duobus prorſus æqualibus atque ſimilibus eligendum. At in cauſſis neceſſariis, quæ cientur vi ad unum prorſus determinata, nec ideo ad duo indifferenti, perſpicuum eſt dictum tenere principium, atque id communi Philoſophorum calculo comprobatur. Vis autem motrix eſt neceſſaria motus cauſſa. Ergo in ea rationis ſufficientis principium teneat neceſſe eſt, & ideo corpus vi percitum ex duabus lineis prorſus æqualibus, ſimilibus atque ſimiliter poſitis, in quarum neutra major eſt ratio, nullam poteſt arripere, ſed opus eſt incedat in recta, quæ unica eſt, quæ inter ſimiles & æquales æqualiter interponitur, & in quam eædem, dum ad lineam rectam propius in infinitum accedunt, tandem abire comperiuntur.

6. Quæ cum ita ſint, non valde moror Buſchovichii rationes, quæ cum in eo potiſſimum poſitæ ſint, quod nullis rationibus effici poteſt vi unica atque conſtanti rectilineum, & æquabilem motum generari, ipſæ per ſe cadunt ſimul ac hujuſmodi lex evidenter oſtendatur; cujuſmodi eſt illa ducta ex eo, quod cum motus rectilineus & æquabilis ſit unus tantum, motus autem per lineas curvas accelerati aut retardati poſſint eſſe infiniti, ad verum propius accederet aliquem ex his infinitis effici a vi motrice, quam illum unum. Cum enim planum fecerim corpus per ſe indifferens ad omnes lineas & quacumque celeritate deſcribendas, ab una & determinata vi cieri ad motum determinatæ & æquabilis velocitatis per rectam, nemo non videt nullum eſſe in objecta ratione momentum, proptereaquod ex infinitis ſtatibus, qui in corpore poſſunt exſtare, ille unus exſtet oportet, qui rationem habet, cur re ipſa in corpore ſit.

7. Verum ad aliquod magni momenti in hac re declarandum neceſſe mihi video unam ex ipſius rationibus in medium afferre & luculenter diluere. Cum ex eo quod res ipſa per ſe in eodem permanet ſtatu, & opus habet externa cauſſa ut migret ad alium, Recentiores communi calculo collegiſſent, corpus perſtare aut in quiete, aut in motu æquabili & rectilineo, niſi ab externa cauſſa determinetur ad motum, cum ante quietum foret, aut ad inæquabilem & curvi-

curvilineum, cum prius æquabili & rectilineo ferretur, & ceſſante vi, qua hic alter genitus fuit, ſua ſponte ad primum redire; hanc rationem Cl. Vir ita refellit: *Æque ſtatum mutat, ſi e data quavis accelerationis & retardationis lege ad quietem, vel æquabilem motum tranſeat, ac ſi a quiete, vel æquabili motu ad quamvis ex iis; æque ſtatum mutat, ſi poſteaquam rectam aliquandiu deſcripſerit, ad curvam quamvis determinatam tranſeat, ac ſi a curva quavis determinata tranſeat ad rectam. Quodnam eſt ergo æquabilitatis & lineæ rectæ privilegium hoc, ut illas relinquere, ſit ſtatum mutare, alios ſtatus deſerere, non ſit mutare?*

8. Cui difficultati ut ſatisfaciam, adverto ex iis, quæ ſupra §. 2. de mutatione loci ſubtiliter diſputavi, conſtare quietem corporis eſſe veram ejuſdem in eodem ſtatu durationem, motum vero eſſe mutationem non ſolum a primo, cum corpus a quiete tranſit ad motum, ſed etiam eſſe continuatam atque perennem, quæ ipſa per ſe in corpore durare non poſſet, niſi vis, a qua generatur, perſtaret. Quare privilegium motus æquabilis & rectilinei, ſi cum variabili & curvilineo conferatur, non eſt in eo poſitum, ut volunt Recentiores ab homine redarguti, quod perſeverare in motu æquabili & rectilineo, aut a variabili & curvilineo ad ipſum redire non ſit mutare ſtatum, ſed permanere in eodem; perſtare vero in variabili & curvilineo, aut ab æquabili & curvilineo ad hunc migrare ſit variare ſtatum, non in eodem perſiſtere. Verum in hoc poſitum eſt, quod variabilis & curvilineus plura deſideret, quam conſtans & rectilineus: hic enim unam tantum vim in corpore jam generatam, ille autem præter unam jam genitam poſtulat plures, quæ perpetuo generentur de novo, vel in eamdem omnino plagam directæ, ac vis a primo generata, ſi motus eſt variabilis & rectilineus; vel plagas verſus ad angulum contrarias, ſi motus ſit variabilis & curvilineus. Unde mirum Buſchovichio videri non debet, ſi poſtquam corpus curvam aliquam ob duas haſce vires motu variabili peragravit, lineam rectam atque tangentem ejuſdem curvæ motu æquabili percurrere incipiat, ſimul ac vires perpetuo generatas ceſſare poſuerimus. Tunc enim preſſiones & vires antegreſſæ coaluere in unam, quæ in ultimo inſtanti tamquam generata percipienda eſt, quæque ex ſua ipſius natura motum per rectam & æquabilem efficere debet; aliæ vero non ponuntur generari de novo, quæ velocitatem jam genitam variare, aut corpus a recta linea retrahere poſſint. Qua in re ad eam confirmandam urgere poſſum eamdem illam rationem, qua citato §. ſum uſus in motu & quiete. Ex eo enim, quod ex altera parte nulla nova cauſſa requiritur, ut nihil ſit novi, requiritur autem ut aliquid, quod antea non erat, exſiſtat; & ex altera id omne, quod poſitivi eſt in corpore conſiderato, ut quieſcente in aliquo loco, jam ab eodem acquiſitum eſt, ubi per motum ad illum locum pervenit, elicui non deſiderari novam cauſſam, ut corpus motum in eo loco quieſcat, ſed potius deſiderari, ut ad locum ſequentem, quem nondum aſſecutum eſt, tranſmittat, ſcilicet continuatam in eodem motricem vim, quæ ſi ceſſet, continuo motus omnis ceſſet oportet. Similiter ratio concludi poteſt quod attinet ad tranſitum ab alia ad aliam velocitatem. Nam ut corpus viribus per aliquod tempus continuate in ipſo generatis ideoque velocitatem ipſius perpetuo variantibus pulſum retineat velocitatem jam iiſdem viribus comparatam, nulla nova cauſſa poſtulatur, cum ad illam conſervandam vires jam acquiſitæ ſint

ſatis; poſtulatur vero, ut id, quod ante non erat, rurſus exſiſtat, ut ſcilicet nova velocitas generetur, quæ idcirco novam cauſſam requiret novaſque præter jam genitam vires, quæ ſi momento poſt illud tempus ceſſare ponantur, velocitas illa conſtans maneat neceſſe eſt. Eadem ratio concludi poteſt quod attinet ad motum in linea recta, in qua directio corporis ſemper eſt eadem, cum in curva ſemper varietur. Ex quibus jure ac merito elicitur, quod omnes Phyſici, tametſi non vera innixi ratione, voluerunt, corpus in curva motum per vires jam acceptas in ſingulis ejus punctis conari excurrere æquabiliter per lineam rectam tangentem, & revera id præſtare, ſi novæ vires non generentur; propereaquod unica vis, in quam omnes paulatim impreſſæ in motu per curvam abierunt, ipſa per ſe corpus ad motum per ſolam rectam determinat. Id quod hactenus conficere conati ſumus.

CAPUT SECUNDUM.

De neceſſitate legum motus rectilinei atque variabilis.

§. 5.

NUnc venio ad leges motus rectilinei atque variabilis, ac pono continuam illam vim atque preſſionem, a qua generatur, eſſe non ſolum conſtantem, ſed etiam abſolutam, adeout in corpus ſe æqualiter explicet, ſive quieſcat, ſive quacumque celeritate feratur, ut diſtinguam a relativa, quæ eo minus ſe exſerit, quo corpus offendit verſus eamdem, ac ipſa dirigitur, plagam majori percitum velocitate. Quibus poſitis, ſi dicamus v velocitatem, quam preſſio per aliquod tempus continuatis ictibus corpus laceſſens gignit, p conſtantem & abſolutam preſſionem, t tempus, ajo velocitatem eſſe futuram æqualem producto ex preſſione in tempus, ſive $v = pt$. Nam poſitis æqualibus maſſis velocitas in iiſdem genita tanto major eſt, quanto major eſt preſſio, quæ in illas ſe exſerit; eo quod preſſiones & ictus ab iis profecti ſunt proxima cauſſa velocitatum, quæ in corpore generantur. Effectus autem ſuis proximis cauſſis proportione reſpondent. Rurſus cum preſſiones talis poſuerimus eſſe naturæ, ut æquales cum corpore ictus communicent, quacumque celeritate latum illud offendant, conſequens eſt ſingulas ſingulis inſtantibus genitas eſſe futuras æquales, & ideo illarum ſummam, ſive integram velocitatem aliquo tempore ab hiſce preſſionibus generatam, tanto eſſe majorem, quanto longius eſt tempus, quo illæ preſſiones in corpus ſe explicant. Ex quibus fit, ut velocitates in æqualibus genitæ maſſis ſint æquales producto ex preſſione in tempus. Tunc enim prima quantitas eſt æqualis producto ex ſecunda in tertiam, cum eſt æqualis ſecundæ toties integræ acceptæ & ſibi additæ, quot ſunt partes in tertia. Jam vero integra velocitas v eſt æqualis ſummæ omnium velocitatum, quæ omnibus & ſingulis dati temporis momentis & partibus generantur, ſive cum hæ ſint æquales, eſt æqualis uni ex his velocitatibus toties acceptæ & ſibi additæ, quot ſunt in tempore partes. Ergo integra velocitas v dato tempore generata eſt æqualis producto ex minima velocitate uno inſtanti genita in tempus, quemadmodum rectangulum ob eamdem rationem exæquat productum ex baſi in altitudinem. Preſſiones autem ſunt in ratione velocitatum, quæ ſingulis momentis gignuntur. Ergo inter velocitatem v, & productum pt preſ-

preſſionis in tempus intercedit æqualitas non quidem vera, ſed quæ dicitur rationis, ſive celeritas v eſt in ratione producti ex preſſione conſtanti in tempus; eo quod preſſio non eſt ipſa velocitas, ſed ejuſdem effectrix cauſſa.

2. His ita conſtitutis duo pono, primum hypotheſim illam, quod preſſiones ſint ſemper æquales, & ſe in corpus æqualiter explicent, pendere a libera Dei voluntate; cum enim ipſe ſit una & ſola cauſſa creans in corpore preſſiones & vim earum fluxu generatam, quis non videt & ab illo uno pendere ut ſint æquales, & ſe in corpus æqualiter explicent, & ad id efficiendum nulla prorſus adigi neceſſitate, ut nec ad alia omnia, quæ ab eodem proxime proficiſcuntur? deinde hac hypotheſi ſemel conſtituta legem motus inde a nobis elicitam prorſus eſſe neceſſariam, eoquod ex altera parte velocitates non a Deo proxime, ſed a vi creata tamquam a cauſſa neceſſaria oriuntur, & ex altera effectus ſuis proximis cauſſis proportione reſpondere debent, a quo principio eam legem deduximus.

3. Ex formula vero $v = pt$, quam hic ſtatuimus, manifeſte ſequitur etiam illa differentialis in Analyſi Infinitorum uſurpata $dv = pdt$, in qua dv eſt velocitatis infinite parvum augmentum, quod parte temporis t infinite parva dt generatur; propterea quod dv eſt illa velocitas, quam preſſio p tempuſculo dt gignit. Cum vero ex altera parte in motu æquabili velocitas ſit æqualis ſpatio s percurſo per tempus diviſo, & ex altera tempuſculo dt velocitas pro conſtanti haberi poſſit, eoquod eidem interea quidpiam accedit quidem, ſed infinite exiguum, quod efficit ut corpus percurrat ſolum ſpatiolum infinite minimum ratione habita illius, quod velocitate v eo tempuſculo peragratur; inde ſequitur, poſito ds ſpatiolo, eſſe $v = ds : dt$, & $dt = ds : v$. Quo valore in formula $dv = pdt$ ſubſtituto, habebimus illum alium valorem $dv = pds : v$, & $vdv = pds$, ex quo Recentiores mira facilitate ope calculi ſummatorii omnes motus variabilis leges eliciunt. Quare cum lex motus contenta formula $v = pt$ in conſtituta ſuperius hypotheſi neceſſaria ſit, ſimili neceſſitate adſtringetur altera inde profecta lex $dv = pdt$, & tertia ex hac ortum ducens $vdv = pds$. Hac de cauſſa Eulerus in Mechanica tom. I. §. 152. ſic carpit Bernullium. *Apparet igitur non ſolum verum eſſe hoc theorema* (quo ſcilicet ponitur $dv = pdt$) *ſed etiam neceſſario verum, itaut contradictionem involveret ponere* $dv = p^2\,dt$, *vel* $p^3\,dt$, *aliamque functionem loco* p. *Quæ omnes cum Cl. Danieli Bernullio in Comm. tom. 2. æque probabiles videantur, de rigidis harum propoſitionum demonſtrationibus maxime eram ſollicitus.*

§. 6.

Neceſſitate formularum differentialium ſic conſtituta, videndum reſtat an ſimilis neceſſitas pertineat quoque ad leges motuum, quæ ex iiſdem integratis colliguntur. De quo non ſine cauſſa hic diſputatur, propterea quod idem Cl. Eulerus quaſdam leges motuum, a nonnullis erutas formulis, a vero aberrare putat. Quod ſi ita eſt, quis calculo ſummatorio fidat, & neceſſario vera putet quæ inde eliciuntur? Quamobrem operæ pretium arbitror rationes proponere Cl. Viri, eaſque pro virili parte refellere, quo ſartatecta ſerventur calculi integralis principia, & quod hic nobis maxime propoſitum eſt, omni ex parte firmemus. Itaque ſi ponatur preſſio p creſcere in ratione ſpatii percurſi s ad potentiam unitate minorem elevati, ex. g. $p = a^{1:2} s^{1:2}$, ex formula $vdv = a^{1:2} s^{1:2} ds$ ſecundum regulas calculi integralis eruuntur finiti valores

tum

tum velocitatis, tum temporis, quia v eſt $= 2a^{1:4}\, s^{1:4} : \sqrt{a}$, & $t = 2\sqrt{3} . s^{1:4} : a^{1:4}$. Eulerus §. 315. tom. 1. Mech. arbitratur in hac hypotheſi & in ſimilibus calculum, ex quo finitus temporis valor in finito ſpatio abſolvendo elicitur, aberrare a natura ob hanc rationem. *Si potentia, ut in noſtro caſu uſuvenit, in principio eſt infinite parva, ſeu potius nulla, ad primum tantum elementum abſolvendum non modo finito, ſed etiam infinito tempore opus eſt, quia corpus quieſcens a nulla potentia pulſum de loco ſuo numquam excedet*. Ad id refutandum multa congeſſi tom. 1. Phyſ. Gen. §. 84., quæ quiſque videre poteſt idoneis illuſtrata exemplis, quibus rem ſub oculos poſui. Hic enim, ut breve faciam, ſolam a priori rationem hujus difficultatis ſolvendæ proponam, quæ ita ſe habet. Aliud eſt conſiderare cujuſdam quantitatis elementum ipſum per ſe, aliud vero rationem habere ipſius, quatenus aliquam generat quantitatem, ideſt quatenus fluit, & hoc fluxu eam gignit. Nam ſi priore modo conſideretur, tamquam nullum haberi debet; ſin autem ſecundo, id non ſemper negligendum eſt, quia quantumlibet infinities parvum, talem fluendi legem habere poteſt, ut quantitatem finitam gignere queat perinde, ac aliud, quod ſit infinite parvum quidem, ſed ratione habita illius infinite magnum exſiſtat. Id quod oculis citato loco ſubjicio exemplo parabolæ, in qua primum abſciſſæ elementum vertici proximum eſt infinite parvum ratione habita reſpondentis ſemiordinatæ, & nihilominus poſt finitum ſpatium abit utrumque in coordinatas pariter finitas, & poſt infinitum abſciſſa fit infinite major ſemiordinata. Cujus rationem duxi ex lege fluxus ab æquatione parabolæ pendente, & ex eo, quod parabolam deſcribat corpus grave projectum, a quo ſpatia ſecundum directionem axis & abſciſſarum deorſum percurſa multo plus creſcunt, quam ſpatia ſecundum directionem ſemiordinatarum, eoquod illa augentur in ratione numerorum imparium 1, 3, 5, 7, 9 &c. hæc autem in ratione naturalium 1, 2, 3, 4, 5 &c. Ergo quantitas ab elemento generata non pendet tantum a magnitudine elementi, quod ratione habita quantitatis finitæ nullius determinati gradus nec primi, nec ſecundi, nec tertii, nec alius in infinitum eſſe infinite parvum eodem priore tomo §. 88. conficio; ſed ex lege fluxus & progreſſionis, quæ hoc in negotio attendenda eſt, non diſſimili progreſſionis ſerierum, quibus in ſummam colligendis non tantum quantitatis primi termini ratio eſt habenda, verum etiam, immo & multo magis, ipſius legis, qua termini progrediuntur. Ex quibus ſequitur calculum integralem, qui omnia elementa a primo ad ultimum fluentia ſecundum ſuam quæque progrediendi legem unam in ſummam colligit, cum ipſam legem progreſſionis ſervare, tum veras quantitates ab iiſdem generatas obtrudere. His conſtitutis nemo non videt etiam in negotio preſſionum, quibus tamquam elementis vires motrices gignuntur, non quantitatem ipſam per ſe primæ elementaris preſſionis eſſe attendendam, ut inde inferatur, utrum eadem preſſione tempore finito vis finita & ideo celeritas item finita gignantur, nec ne; ſed legem progreſſionis ejuſdem ab æquatione preſſionis ad ſpatium relatæ profectam, & calculum ſummatorium, qui eamdem progreſſionis legem ſecutus preſſiones colligit, quæ finito tempore fluunt. Et revera in exemplo ſupra allato contingit aliquid ſimile illius, quod in parabola uſuvenire obſervavimus. Nam ex æquationibus, preſſionis a primo poſita, & temporis inde elicita compertum fit preſſiones multo plus creſcere, quam tempora, illas ſcilicet in ra-

tio-

Digitized by Google

tione ſubduplicata ſpatiorum, quæ ab initio conficiuntur; hæc autem in ratione eorumdem ſubquadruplicata. Quid ergo mirum ſi quamvis preſſio a primo ſit infinite parva, tamen finito fluxus tempore creſcens in tanto majori ratione, quam tempuſculum primitivum, in vim infinitam, quæque idcirco finitam velocitatem gignat, eodem finito tempore poſſit abire? Quo plane corruit fundamentum Euleri, qui ex hoc uno, quod in hiſce hypotheſibus prima preſſio, ſeu primum elementum vis eſt infinite parvum, efficit corpuſculum ea vi loco moveri non poſſe, nec tempore finito finitam vim & celeritatem comparare; & ſimul compertum ſit eas motuum leges, quæ ex calculo ſummatorio colliguntur, eſſe neceſſario veras non minus, quam ea, quæ eruuntur ex methodo colligendi ſummas ſerierum, quæ dicto calculo ſimiles ſunt, niſi quod in illo ducitur initium a quantitate infinite parva, in his autem a finita. Ceterum multis aliis meæ Phyſicæ locis & præſertim tomo ſecundo accurate doceo vera eſſe & quidem neceſſario illa omnia, quæ in omnium virium centralium hypotheſibus leges motus variabilis ſive curvilinei ope hujus calculi deducuntur, formulaſque differentiales, ſi bene tractentur, & prout opus eſt, reique natura deſiderat, intelligantur, numquam abducere a vero, ſed quaſi manu ducere ad eruendas e naturæ ſinu abſtruſiſſimas aliiſque impervias methodis veritates. Quæ omnia in præſenti omitto, ne prætergrediar fines, quibus hic commentarius circumſcribendus eſt, & gradum facio ad leges motuum, quæ in colliſione corporum obſervantur, ut quali teneantur neceſſitate, inveſtigem.

CAPUT TERTIUM.

De actione corporum aliorum in aliis & de neceſſitate legum motus in eorum colliſione.

§. 7.

CUm vis motrix ſit cauſſa effectrix, ex qua motus determinatus neceſſario ſequitur, difficile non fuit in legibus motus unius corporis vi perciti neceſſitatem offendere. Sed cum ex noſtra ſententia, quam infra docebimus, corpus in aliud impactum ſit pura occaſio vis & motus inde geniti, quæ vis a ſolo Deo creari poteſt, difficillimum eſt invenire rationes, quæ Deum impulerint ad eas potius leges, quæ in corporum conflictu ſervantur, condendas, quam ad alias quaſcumque. Antequam vero meam declarem ſententiam, mihi eſſe neceſſarium video ſummis ſaltem labiis quædam attingere eorum, quæ de natura corporum tomo 1. Phyſ. Gen. copioſe & accurate diſputavi. Qui enim fieri poteſt ut definiamus utrum leges motuum in eorum conflictu ſint neceſſariæ nec ne, nondum explorata eorum natura, unde ipſæ proficiſcuntur, ſi ſunt neceſſariæ.

ARTICULUS I.

De eſſentia & natura corporum quædam ſummis labiis attinguntur.

§. 8.

PRimum citato libro doceo vacuum eſſe poſſibile in eo ſenſu, ut poſſit quidem ex aliquo cubiculo Deus omnem educere aerem & alia omnia

cor-

Google

corpora, atque impedire ne alia ſuccedant, quin parietes ad ſe viciſſim accedant, ſed ut hujuſmodi inane reipſa extenſum non ſit, verum una recipiendi extenſa potentia; quorum ſecundum ex eo colligo, quod inane, utpote cujuſcumque corporis, immo & creatæ rei negatio, nullas reipſa habet partes, quarum altera extra alteram ſit, ut ad naturam extenſi deſideratur; primum vero ex eo, quod altera ex parte id clariſſime percipitur fieri poſſe, quia ſubſtantia parietum, lacunaris & pavimenti perfecte diſtincta eſt a ſubſtantia corporum interceptorum, & ex altera id in nullas inſolubiles difficultates incurrit. Nam ad potiſſimam Carteſianorum difficultatem, quod illud vacuum eſſet ſimul aliquid, utpote extenſum, & nihil, utpote corporis cujuſcumque negatio, miſſa communi inter poſitivam & negativam extenſionem diſtinctione, quæ manifeſte pugnat cum Ontologiæ principiis, quæ ens pure negans reipſa conſtare non poſſe commonſtrant, ajo vacuum eſſe nihil actu, ſed aliquid potentia, ideſt non extenſum reipſa, ſed puram recipiendi extenſa potentiam, & quia potentiæ & poſſibilitates poſitivæ, utpote non ſubſtantiæ, ſed attributa ſubſtantiæ per ſe eſſe nequeunt, ſed in aliquo ente poſitivo reperiantur neceſſe eſt, planum facio hanc potentiam in Deo, in quo vivimus, movemur, & ſumus, inveniri, quin aliquod abſurdum inde ſequatur, propterea quod & reipſa donatum non eſt extenſione, quæ in Deum cadere nequit, qua de cauſſa apud omnes male audit ſyſtema Mori & aliorum, qui vacuum eſſe voluerunt ipſam Dei immenſitatem, & ſimul reapſe extenſum; & extrinſecus quidem circumſcribitur iis externis limitibus, quos ipſemet Deus pro libito poſuit, intrinſecus autem infinitum manet, cum intra illud per compenetrationem, quam infra eſſe poſſe monſtrabo, infinita corpora Deus compingere queat, &, cujus pariter poſſibilitatem ſuo loco conficiam, corpus aliud alio in infinitum denſius creare poſſit.

2. Tum oſtendo verum extenſum non poſſe componi ex inextenſis neque ſe contingentibus, ut voluit Zeno, neque ſe non contingentibus, ut vult Cl. Buſchovichius. Nam quod attinet ad primum, duo aut plura inextenſa vel ita ſe viciſſim contingunt, ut ſint partes tactæ, & partes non tactæ, ut dum manu manum contingo, ſunt in utraque manu partes tactæ, & partes non tactæ; vel ſecus. Si primum, illa inextenſa forent ſimul inextenſa, ut ponitur, & extenſa, quia id eſt extenſum, in quo plura ſunt, quorum unum eſt extra aliud; partes autem in altero extenſo tactæ forent extra illas, quæ tactæ non fuerunt. Sin autem ſecundum, omnia illa inextenſa, etiamſi forent infinita, perfectiſſime congruunt; id quod eſt contra naturam extenſi, in quo aliquid alius ſit extra aliud oportet. Quam rationem antiquis etiam temporibus allatam aliter, ac antea factum eſt, in Adverſarios contorqueo, & ab eorum vindico objectis. Eidem vero aſſentitur Buſchovichius, ſed negat eam valere contra ſuam ſententiam, qua ſtatuit extenſum ex punctis inextenſis ſe minime contingentibus conſtare. Verum neque hæc ſententia defendi poſſe videtur. Si enim puncta inextenſa ſe non contingunt, inter ipſa vacuum reperitur. Sed vera extenſio componi nequit ex punctis inextenſis, inter quæ vacuum ſit. Nam illud compoſitum nec erit extenſum ratione habita partium componentium, ideſt punctorum, quia ponuntur extenſionis expertia, nec ratione modi, quo conjunguntur, ideſt iuterpoſiti vacui, quia inane re ipſa extenſum non eſt, ſed una recipiendi extenſa potentia. Cum autem ad hæc to-

mo

Digitized by Google

mo primo a me diſputata quidam Cl. Vir ſumma humanitate reſpondiſſet, altero tomo multo luculentius ſyſtema ejuſdem refuto, & doceo ſine extenſione continua nullam veram extenſionem veramque inter puncta diſtantiam & verum motum reipſa obtineri poſſe, aut cogitari. Quæ omnia ob ſupra allatam rationem nunc mitto.

3. Quia vero omnium tum difficultatum, quibus hic de quantitate & extenſione continua locus implicatus eſt, tum errorum, qui ſenſim ſine ſenſu irrepſerunt, fons & origo eſt illa communis præjudicata opinio, quod continuum ex partibus reipſa diſtinctis coaleſcat, qua factum eſt, ut fruſtraneum laborem ſuſciperent in inveſtigando quomodo ex iiſdem partibus componeretur; deinde planum facio non eſſe in vero continuo partes diſtinctas, ut partes, idque ea ratione, quæ tam evidenter colligitur ex eo, quod continuum extenſum ex inextenſis componi nequit, ut mirari ſubeat tot præſtantiſſimos Philoſophos, qui hoc alterum communiter amplexati ſunt, non vidiſſe quid inde conſequeretur. Quo conſtituto disjicio tenebras, quas animis Philoſophantium partes offuderant, & quatenus verum ſit continuum poſſe dividi uſque in infinitum, declaro. Ratio vero ſic preſſe concluditur. Si in extenſo continuo forent partes inter ipſas tamquam partes diſtinctæ, vel eſſent inextenſæ, vel extenſæ; ſi primum, ex iis non poſſet continuum extenſum componi num. 2. Si ſecundum, jam non foret unum continuum, ſed plura ex iis coalita, uti ſunt corpora, quæ in ſenſus incurrunt, & alioquin extenſio ſingularum ab aliis partibus non penderet. Quare de una tantum ex iis partibus quæro, an in ea ſint partes inextenſæ, vel extenſæ, & ſimiliter rationem concludo, eodemque modo in infinitum progredi poſſum. Quamobrem ante quemcumque ordinem partium ſemper offendo extenſionem, eamque ab iiſdem partibus nequaquam pendentem, & unum tantum continuum extenſum, qualia ſunt ſingula corpuſcula primitiva proxime a Deo creata, ex partibus reipſa perfecte diſtinctis conſtare non poſſe conficio. Ex quo fit ut quodlibet primitivum corpuſculum omnino continuum non ſit verum compoſitum, & in partes nec ab ipſo Deo diſpeſci queat, ſed virtute ſolum eas habere poſſit, quatenus cum Deus alia aliis in infinitum minora creare poſſit, unum continuum extenſum eſſe poteſt æquale duobus inter ſe æqualibus, quorum quodlibet unam primi dimidiam æquet, tribus, quatuor, quinque aliiſque in infinitum. Quo ſartætectæ ſervantur Geometricæ demonſtrationes, quæ oſtendunt poſſibilitatem non veræ diviſionis unius extenſi continui in infinitum, ut multi falſo arbitrantur, ſed ſolius partium ſemper minorum in ſuperficie deſignationis, perfectæ adminiculo contactus alterius corporis, quo certe contactu partes a ſe viciſſim non disjunguntur. Hiſce vero partibus exploſis, arbitror poſſe diſſentientes Philoſophos in unam convenire ſententiam, quin a ſuis quique principiis revera deſciſcant. Nam Peripatetici, Carteſiani, aliique plurimi, qui opinioni continui extenſi ex inextenſis nequaquam compoſiti aſtipulantur, ſartamtectam habent ſuam, quam mordicus tenent, ſententiam de diviſione continui in infinitum in ſenſu modo explicato, quod ſatis ſuperque eſt tum ad vindicandas ab omni errore aut imaginariæ hypotheſis ſuſpicione geometricas demonſtrationes, quæ potiſſimum homines ad id ſuſtinendum induxere, tum ad confirmandam præcipuam de compoſitione continui ipſorum opinationem. Epicurei vero & Zenonici, qui plures in ipſorum atomis & punctis aſpectus & facies viderunt,

eademque inſectilia eſſe voluerunt, ægre non ferent noſtra corpuſcula primitiva, in quibus licet plures facies & aſpectus ſint, in quarum aliis tangi, in aliis non tangi poſſint, tamen nullas habent reipſa partes, & nulla virtute neque divina in eas ſecari queunt. Leibnitiani denique & Wolphiani, qui primum corporum elementum definientes principium internum corporum irreſolubile in aliud prius, quia ſi reſolveretur, non eſſet primum, inde intulerunt elementa corporum eſſe ſubſtantias omnino ſimplices, in iiſdem corpuſculis eam habent ſimplicitatem, quæ ſatis eſt tum reddendæ ſufficienti rationi extenſionis corporum, quæ in ſenſus incurrunt, tum aſſignandis iis, quæ pro vere primis & irreſolubilibus corporum elementis atque principiis ſtatui queunt, nec internam ſufficientem rationem extenſionis primitivi extenſi omnino continui poſtulabunt, eoquod eſſentiæ rei, quæ ab alio interno non pendet, ipſis quoque aſſentientibus ratio interna dari nequit, & alioquin ex iis, quæ attulimus in hujus enuntiationis demonſtratione, ſatis compertum fit extenſionem eſſe primitivam & ſubſtantialem extenſi omnino continui eſſentiam, quæ ab alio nullo interiori attributo proficiſcitur.

§. 9.

Poſtea venio ad illam meam de continuo extenſo ſententiam, quæ in eo poſita eſt, ut, conſiderata ſola extenſi continui eſſentia, alterum cum altero compenetrari poſſit, nec impenetrabile fiat, niſi per quaſdam accidentales vires expultrices, quæ ſe explicant ſimul, ac alterum continuum in alterius interiorem ſubſtantiam ſe intrudit, eamque ita doceo. Termini rerum, ſive principium & finis, eſſe quidem poſſunt, ſed non ipſi per ſe ſoli, verum una cum rebus, eo quod termini ſunt modi rei, qui per ſe conſtare nequeunt. Ita ſuperficies corporum eſſe queunt, ſed non ipſæ per ſe, verum una cum corporibus, quorum ſunt termini, ſive principium & finis. Jam vero contactus corporum in pura ſuperficie eſt initium contactus, non ipſe contactus; nam uti ſuperficies eſt initium corporis, non corpus ipſum, ita contactus in ſuperficie eſt initium contactus, non ipſe contactus. Quod confirmatur ex eo, quia contactus eſt relatio inter duo corpora. Ergo uti ſuperficies duorum corporum eſt initium eorumdem, ita contactus in ſuperficie non poteſt eſſe, niſi hujuſce inter duo corpora relationis, quæ dicitur contactus, principium. Ex quo fit ut contactus in pura ſuperficie eſſe nequeat. Quod etiam ex hoc altero non minus evidenti principio colligitur. Termini rerum poſſunt quidem eſſe, ſed ita, ut inter duos terminos res terminata intercipiatur, non vero ita, ut poſt primum terminum ſtatim occurrat ſecundus, & alter alterum proxime conſequantur. Unde poſt primum lineæ punctum non poteſt eſſe ſecundum, nec poſt primam lineam aut ſuperficiem ſecunda linea aut ſuperficies. Quod ni ita foret, linea ex punctis inextenſis ſe viciſſim conſequentibus, ſuperficies ex lineis latitudine carentibus, & ſolidum ex ſuperficiebus profunditatis expertibus componerentur. Id autem pugnat tum cum illo principio, quod ſubſtantia, uti eſt ſolidum, habet quidem modos, ſed ex modis nequaquam componitur, tum cum eo, quod §. 8. num. 1. docuimus, extenſum ex inextenſis conſtare non poſſe. Jam vero ſi contactus corporum in pura ſuperficie perficeretur, poſt ſuperficiem unius corporis continuate ſequeretur ſuperficies alterius. Ergo contactus in puris ſuperficiebus eſſe non poteſt. Inde vero colligitur poſſe alterum corpus in alterius ſubſtantiam ſe intrudere. Nam corpora

Digitized by Google

ra ſe viciſſim contingere queunt, ſi ſolam ipſorum inſpiciamus eſſentiam, ut patet ex eo, quia unum corpus quieſcere poteſt, & alterum habere vim, qua verſus aliud ſe conferat. Corpus autem motu percitum uſque ad quieti ſuperficiem perveniet, itaque incipiet contingere, & ob allatas rationes ſe intrudere in illius ſubſtantiam. Siquid enim obſtaret, illud non foret, niſi contraria corporis quieti vis repellens, quæ motum alterius ante extingueret, quam perveniret ad ſuperficiem quieti. Jam vero hæc vis non foret cum eſſentia corporis neceſſario copulata, ſed ſolum accidens corpori jam conſtituto accedens, & in eodem a Deo creatum, ut ſupra docui. Ergo ſi ad ſolam corporis eſſentiam animum advertamus, corpus motum ad ſuperficiem quieti ſine ullo dubio pervenire poteſt. Simul ac vero ad ſuperficiem appellit, & contingere incipit, fiat etiam contactus in interiori ſubſtantia neceſſe eſt, & ideo corpora ſe invicem poſſe compenetrari concluditur.

2. Nec id in aliquam difficultatem incurrit, aut inde ſequitur aliquod, quod contradictionem includat. Nam ex corporum penetratione aliud nihil conſequens eſt, niſi tunc majorem eſſe denſitatem, quam in ſingulis reperiebatur. Id vero tantum abeſt, ut repugnet, ut ex illa mea ſententia partium, quæ in vero continuo diſtinctæ non ſunt, colligi docuerim citato tom. 1. Phyſ. Gen. nullum afferri poſſe definitum continuæ denſitatis gradum, uti nullus deſignari quit certus ac definitus magnitudinis, & quemadmodum Deus ob hanc rationem corpora creare poteſt alia aliis in infinitum majora, & minora, ita ob eamdem e nihilo educere poſſe corpora extenſa omnino continua alia aliis in infinitum denſiora & rariora. Nam quæ in contrarium ratio ducitur ex eo, quod in omni continuo partes ſe proxime contingunt, & alioquin nullus dari poteſt contactus proximo major, ea nullius momenti eſt, propterea quod duobus falſis innititur fundamentis, altero quod in vero continuo partes ſe contingant, altero, quod contactus in pura ſuperficie fiat. Si enim non ſe contingunt, nullus in eas nec proximus convenit, nec remotus contactus. Res autem ita ſe habet. Nam contactus eſſe non poteſt, niſi relatio inter duo diſtincta, quæ in diſtinctis ſuperficiebus ſeſe contingant. In continuo vero partes diſtinctæ non ſunt §. 8. num. 3. Ergo nullus in eas contactus cadere poteſt. Deinde etiam dato quod falſum eſt, eas ſe contingere, alterum, ex fundamentis abhorrere a veritate colligitur ex eo, quod num. 1. jam docui contactum in pura ſuperficie eſſe nequire. Hæc autem ſententia valde congruit tum cum eo, quod ſupra ſtatuimus de vacuo, quod utpote illa recipiendi extenſa potentia, quæ in Deo reperitur, ſaltem intrinſecus infinitum eſſe debet iis duobus modis, quos §. 8. num. 1. explicavi, tum cum eo, quod motus omnino continuus alius alio in infinitum velocior eſſe poteſt, ut fert communior Philoſophorum ſententia, quæ utitur rationibus valde efficacibus, & rem tantum non conficientibus. Rationes vero, quæ pro mea ſententia §. 8. inde poſſent depromi, non urgeo, ut citius accedam ad ea, quæ circa primariam corporis in genere eſſentiam ejuſque attributa ex dictis elici queunt. Ad primariam autem & ſubſtantialem corporis eſſentiam, quæ eſt eadem ac corpuſculorum, quæ proxime a Deo creantur, ajo pertinere extenſionem. Nam illa pertinent ad eſſentiam primariam & ſubſtantialem cujuſdam rei, quæ nullo modo disjungi poſſunt, quin tota ſubſtantia in nihilum abeat, quæque præterea hujuſmodi ſunt, ut ab aliis interioribus non proficiſcantur. Eſt autem hujuſmo-

di extenſio in ſubſtantia corporeâ. Fac enim, ſi fieri poteſt, abire extenſionem, & nihilominus permanere aliquod inextenſum ſubſtantiæ corporis, ſive aliquas ſubſtantiales partes & minime extenſas, cujuſmodi ſunt elementa ſimplicia Leibnitii & Wolphii, aut puncta Buſchovichii. Hinc conſequens foret ex iis, quæ ſunt extenſionis expertia, extenſum poſſe componi, quod adverſatur iis, quæ §. 8. ſtatuimus, ex quibus num. 3. etiam colligitur nihil eſſe in corpore extenſo, quod extenſionem origine anteyertat. Conficitur ergo extenſionem eſſe primariam & ſubſtantialem corporis, ſive primitivorum corpuſculorum eſſentiam.

3. Duo vero potiſſimum, quæ ab adverſariis tamquam invicta, & a nemine ſoluta, immo prorſus inſolubilia contrariæ ſententiæ argumenta contradicuntur, alterum ex eo petitum, quod extenſio cadit quoque in ſpatium inane, quod certe corpus non eſt, alterum quod ab extenſione derivari non poſſunt omnia corporis attributa, uti ſunt impenetrabilitas, vis inertiæ, gravitas, aliaque hujuſmodi, quemadmodum derivari deberent, ſi corporis eſſentia in extenſione poſita foret, facillime diluo; primum, quod ut ſupra confeci §. 8., vacuum reipſa extenſum non eſt; alterum, quod illa tria, aliaque hujuſmodi non ſunt prorſus inſeparabilia corporis attributa, ſed accidentia ad corpus perpetuo adhærentia, & profecta a vi accidentali expultrice, quæ ſe explicat, ſimul ac corpus aliud in alius interiorem ſubſtantiam ſe conatur intrudere. Ex eo vero, quod in corpuſculis primitivis proxime a Deo creatis & vere continuis partes reipſa diſtinctæ non ſunt, plane colligo eadem eſſe prorſus dura & inflexilia, atque compreſſioni cuicumque penitu reſiſtentia; propterea quod ex altera parte compreſſio haberi non poteſt, quin partes corporis ſitum inter ipſas mutent; ex altera vero partes reipſa diſtinguantur oportet, ſi eas volumus ſitum alternis poſſe mutare. Sed hunc locum accuratius tracto tomo tertio adverſus Lanam, Molierium, Bernullium & præſertim adverſus Cl. Fromondum, qui in libro inſcripto *della Fluidità de' Corpi*, editoque Liburni paucos ante annos primitivam molecularum inſitamque mollitiem contra Newtonum acerrime defendit, multiſque rationibus meam confirmo ſententiam, quas nunc, ut breve faciam, omitto. Quemadmodum ob eamdem cauſſam ſilentio prætereo alia plurima, quibus meum circa continui & corporis eſſentiam atque proprietates ſyſtema mirifice illuſtratur.

4. Unum tamen hic tacitus præterire non poſſum, quod in eodem ſyſtemate prorſus ſatisfit celeberrimæ difficultati, quæ ab antiquiſſimis temporibus ad hanc uſque memoriam Philoſophorum torſit ingenia, & a nemine ſatis etiamnum refutata eſt. Cum enim adverſus illam communem ſententiam, quod extenſum continuum ex inextenſis componi nequit, objectum fuerit ſphæram perfectam, aut angulum perfecti cubi contingere planum perfectum in puncto vere inextenſo, & ſi recta ſuper planum ducatur, lineam ex punctis conſtantem deſcribere; ex iis, quæ ſupra docui de contactu, qui in pura ſuperficie perfici non quit, apparet falſum eſſe quod aſſumitur, quia aut ſphæra vel angulus cubi aliquantum diſtant a ſuperficie plani, aut ſi illud contingere incipiunt, ſe per aliquod exiguum ſaltem infinite parvum ſpatium in illius interiorem ſubſtantiam ſe inſinuant. Quorum in altero eventu nihil in ſuperficie minime tacta deſignatur, in alt.ro autem non linea, ſed corpus triplici dimenſione, ſaltem infinite minima, vere donatum percurritur.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De modo, quo fit communicatio motus inter corpora.

§. 10.

SEd propius accedamus ad id, quorſum hæc ſpectant, ad motuum leges in corporum colliſione. Qua in re primum ſtatuo corpora perfecte dura, qualia ſunt corpuſcula primitiva §. 9. n. 3., dum alterum in alterum incurrit, non eſſe cauſſas effectrices motus, ſed ſolum occaſionales, quatenus eorum conflictus occaſionem Deo præbet aliquam partem vis corrumpendi in percutiente, & aliquam creandi in impacto. Quod ita ſuadeo. Corpus durum non poteſt eſſe cauſſa effectrix motus alterius, niſi vim motricem in altero gignat, eo quod purum motum, utpote puram relationem, nequit efficere §. 2. Jam vero corpus durum alterum in altero vim gignere nequit. Sunt enim duo tantum modi, quibus id præſtet, alter creando, alter vero per communicationem; primus cadere nequit in rem finitam, cujuſmodi eſt corpus, quæ virtutem habere non poteſt, vim motricem ex nihilo educendi, eoquod inter nihil hujus abſoluti, quod dicitur vis, interque vim ipſam eſt infinitum intervallum, quod a virtute rei finitæ ſuperari non poteſt. Reſtat ergo ut videamus, an per communicationem id perfici queat, quatenus aliqua pars vis a corpore impingente in impactum eadem numero & individua migrat. Id autem eſſe non poteſt. Cum enim conſiderata ſola corporis eſſentia ſine ulla accidentali vi repellente, corpus quieſcens ab altero, quod in ipſum incurrit, penetretur §. 9. nullam eidem reſiſtentiam opponit, ſed quantum in ipſius eſſentia eſt, liberum ſine ullo impedimento tranſitum permittit. Ergo nulla eſt ſufficiens ratio, cur aliquam ab eodem recipiat. In tantum enim vis aliqua a corpore moto in quieſcens migrare debet, in quantum quieſcens impedimento eſt, ne aliud moveri pergat, dum maſſam quieſcentem offendit. Cum igitur ex eo, quod corpus aliud ab alio liberrime penetratur, nullum eſſe hujuſmodi impedimentum ſit conſequens, nullam a corpore moto cum eo, quod quieſcit, vim communicari concluditur. Sed fac corpora ita ex ſui natura eſſe impenetrabilia, ut dum aliquod in maſſæ quietæ ſuperficiem incurrit, motum continuare non poſſit, quin illam abripiat & moveat. Nego tamen vim eamdem in individuo poſſe ab alio in aliud transferri. Siquidem tranſire non poteſt, niſi a ſuperficie tacta corpuſculi ſolidi quieſcentis ad alteram ſuperficiem diſtantem non tactam migret. Ergo quæro an migret in inſtanti, an in tempore. Si dicas in inſtanti, in illud offendes abſurdum, quod eadem numero vis eodem inſtanti in partibus tactis & in partibus remotis non tactis, ideoque in diverſis locis reperiretur. In hac enim hypotheſi, in qua vis per omnes corporis percuſſi diditur partes, ea in partibus tactis, ad quas ab impingente proxime tranſit, primum inveniatur neceſſe eſt. Quod ſi ad alterum te convertas, tuam cauſſam tolerabiliorem non facies. Nam in corpore prorſus ſolido, qualia ſunt corpuſcula primitiva §. 9. num. 3. nulla pars moveri poteſt abſque aliis, quibuſcum ita firmiter conglutinata eſt, ut neque tamquam vera pars ab aliis internoſcatur §. 8. num. 3., nec omnes ante moveri poſſunt, quam ſingulæ ſuam acceperint partem vis, ſine qua motus eſſe non poteſt §. 2. Quare

re ſi vis a partibus tactis ad non tactas in tempore tranſit, corpus impingens & impactum quieſcant oportet per aliquod tempus, illud ſcilicet, quod neceſſarium eſt ad eum finem, ut ad omnes corporis percuſſi moleculas diffundatur ea vis, ſine qua moveri eædem non poſſunt. At id in quantas difficultates incurrat nemo non videt. Quid enim, quieſcentibus corporibus, facit ea vis, quæ in ipſis exſtare ponitur? Ubi enim ad perfectam quietem redacta ſunt corpora, ab alio nullo, niſi ab externa cauſſa, in motum rurſus cieri poſſunt. Dices hic non eſſe opus exteriori cauſſa, cum ſit interior vis, quæ ubi corpus percuſſum omnino peragraverit, eadem corpora movebit. Ut nunc mittam vim motricem ſine aliquo corporis motu eſſe nequire, ut ſupra docui §. 3. num. 2. ajo futurum hoc pacto, ut non ſubſtantia vi prædita moveat aliam ſubſtantiam adminiculo vis, quam communicet, ſed ut ipſa vis, perinde ac ſi foret ſubſtantia, utrumque corpus quieſcens ipſa per ſe moveat. Deinde quieſcentibus corporibus hæc vis interiorem corporis percuſſi ſubſtantiam in tempore peragrat. Quid illi deeſt ad hoc, ut tamquam vera ſubſtantia & veluti ſubſtantiale effluvium, quod ipſum per ſe movetur ſine motu corporis, in quo eſt, percipiatur? Ergo ne his tam a ratione alienis aſſentiri cogamur, concludendum eſt vim a corporis percuſſi ſuperficie tacta ad alias partes non tactas nec momento, nec tempore poſſe meare. Ex quo efficitur corpus eſſe non poſſe veram cauſſam effectricem motus alterius, etiamſi aliud ab alio contingatur.

2. Quare neceſſarium eſt ut in communicatione motus, quam inter corpora fieri, dum aliud in aliud incurrit, in hoc mundo videmus, ad illam confugiamus cauſſam, quæ, ſumta occaſione incurſus alterius in alterum, vim aliquam in impacto creet, & in impingente corrumpat. Ubi enim cauſſæ naturales & ſecundæ ſatis non ſunt, Philoſophi eſt primam in ſubſidium vocare. Quod ſi in ipſamet corporum colliſione, in qua facilius fieri poſſe videtur, ut per partes proxime tactas vis ab alio corpore migret in aliud, ad Deum tamquam ad veram effectricem cauſſam eſt confugiendum; multo magis id facere neceſſe eſt in ea, quæ innumerabilibus confirmatur experimentrs, corporum diſtantium attractione, in qua vel ipſa interjecta diſtantia impedimento eſt, quominus ab alio ad aliud corpus vis motrix vere tranſmittat. Scilicet eſt ſtatuendum hanc ſibi ipſi Deum fixiſſe legem, ut poſitis corporibus inter ſe diſtantibus in ſingulis crearet vim, quæ maſſis directe & quadratis diſtantiarum inverſe proportione reſponderet. Ex qua una lege conſequi ajo, ut aliam ſtatuerit in corporum colliſione, ex qua fit, ut illa in percutiente a Deo corrumpatur, & in percuſſo creetur, qualem in illo perimi, in hoc autem progigni experimenta monſtrarunt. Quod ita conficio. Cum motu & vi, quæ illum generat, corpus ad alterum penetrandum determinetur §. 9., aliud nihil huic penetrationi impediendæ erit accommodatius præ contraria vi accidentali, cujuſmodi eſſe omnes vires corporum ſupra docuimus, quæ motum cohibeat corporis, ne in interiorem alterius ſubſtantiam ſe inſinuet. Hæc autem vis, quo huic effectui gignendo ſit idonea, ſit ex genere repellentium neceſſe eſt, atque ſimul infinita, quæ vel maximas corporum in ſe incurrentium vires ſuperare, & ita mutuam ipſorum penetrationem impedire poſſit. Ad illam vero hiſce præditam qualitatibus aſtruendam aliud nihil eſt opus, quam poſitione ſimpliciſſimæ hypotheſis innumerabilibus expe-

pe-

perimentis & obſervationibus confirmatæ, quod omnia corpuſcula primitiva ſe invicem trahant in ratione compoſita ex inverſa diſtantiæ a ſe viciſſim, aut cujuſdam potentiæ diſtantiæ, uti quadrati, quemadmodum fert Newtoniana hypotheſis, & ex directa ſimplici maſſarum, quarum aliæ ab aliis alliciuntur. Si enim res ita ponatur, ubi corpora ad contactum ſive ad infinite parvam diſtantiam pervenerunt, vis attractrix infinita fiet. Ex quo ſequitur eam in repellentem, eamque pariter infinitam converti, ut perſpicuum fit cum pluribus exemplis ſumtis ex Algebra, Geometria, & ex ipſa materie virium centralium tom. I. §. 84. num. 9. & 10., & II. §. 434. & alibi, tum vero ratione a priori, quam unam hic affero, quæque ſic ſe habet. Ubi quantitates aliquæ, uti ſunt vires, fiunt infinite magnæ aut parvæ, jam tranſierunt per omnes poſſibiles gradus illius ſtatus, in quo etiamtum fuerunt, eoſque accepere. Ergo ſi permaneant & novas variationes accipiant, in eodem ſtatu eas accipere nequeunt, ſed ſolum in alio contrario poſſunt acquirere, eoquod in eodem nondum fuerunt. Jam vero repellens vis eſt contraria vi attrahenti, & in contrariam dirigitur plagam, viſque attrahens, ut patet, eſt infinita & ſimul permanet in ipſo contactu, & ultra, ut ex ipſius valore colligitur, qui manet poſſibilis in ea, quam defendimus, hypotheſi Newtoniana. Difficultates vero, quæ urgeri poſſunt, vide qui diluimus citato tomo ſecundo. Ergo vis attrahens in contactu in repellentem eamque infinitam convertitur. Cumque hæc vis tam attrahens quam repellens ſint tum in corpore moto & alterum percutiente, tum in quieto & percuſſo, ſed in illo vis repellens in eamdem, ac corpus movetur, plagam tendat, in hoc autem in contrariam; inde intelligitur, cur vi repellente corporis moti gignatur aliqua vis in quieto percuſſo eamdem verſus plagam, quorſum percutiens ſe confert, & repellente quieti in percutiente alia gignatur, ſed in contrariam; qua pars aliqua vis, qua ferebatur ante conflictum, in eodem corrumpatur, ſive cur corporis alius in aliud incurſus occaſionem Deo præbeat, quare partem aliquam vis in percutiente in nihilum redigat, & aliam novam in percuſſo progignat. Quo in ſenſu ſemper intelligenda ſunt, quæ de effectibus virium attractricium in diſtantia, & expultricium in contactu affirmamus. Antequam vero leges motuum in colliſione corporum hinc eruamus, advertimus hinc effici tantum abeſſe, ut in omnibus naturæ phænomenis explicandis ad impulſionem corporis alius in aliud, tamquam ad veram & unicam cauſſam, quæ clare intelligatur, non vero ad vires attrahentes, aut repellentes, quæ potius inter occultas Scholaſticorum qualitates numerandæ ſint, confugere oporteat, ut ipſe corporis alius in aliud incurſus per ſe nihil, quod ad mutationes attinet ſtatus, efficere poſſit ſine eorumdem corporum viribus attractricibus & expultricibus eo ſenſu intellectis, quem explicavimus. Unde mirum mihi videtur Carteſii aſtipulatores illos ipſos, qui cum Magiſtro mordicus eam tenent ſententiam, quam invictis rationibus effeci, corpora, dum aliud in aliud incurrit, eſſe ſolum cauſſas motus, ut ajunt, occaſionales, unum vero Deum eſſe propriam & effectricem, ab univerſali attractione abhorrere, quæ ita explicata, ut nos volumus, ab hac ipſa ſententia neceſſario conſequitur. Verum ſpero ubi hæc legerint, eos in gratiam redituros cum attractione, quam ut conſectarium doctrinæ, cui ſubſcribunt, recognoſcent.

§. 11.

Digitized by Google

§. 11.

Quibus expoſitis propius accedo ad id, quorſum hæc ſpectant, & leges motuum in colliſione corporum perfecte durorum, qualia ſunt corpuſcula primitiva, explicare aggredior. Sint primo maſſa *m* quieſcens $= 1$, & maſſa M pariter $= 1$, quæ velocitate C in *m* directe incurrat; eaque velocitas in duas partes æquales dividatur, ideoque C $= 2$, cujuſmodi eſt etiam ſumma maſſarum æqualium $M + m = 2$. Ut M pervenit ad *m*, & ſe in illam inſinuare incœpit, quo vi motrici, qua eſt donata, obtemperet, vis attrahens utriuſque corporis in vim repellentem convertitur §. 10., quæ impedimento eſt, quominus maſſa M in partem maſſæ *m* ſub ſenſus cadentem ſe intrudat. Nam continuo vis repellens impingentis M incipit aliquem velocitatis gradum communicare cum maſſa *m* quieta ſecundum directionem motus ejuſdem M §. 10., & e contrario vis repellens maſſæ impactæ *m* incipit generare velocitatem aliquam in maſſa M in contrariam plagam, atque idcirco corrumpere partem aliquam ejus velocitatis, qua M cieri ponitur. Cum in præſenti hypotheſi, qua ponitur $M = m$, hæ vires repellentes, utpote in æquali diſtantia ſolis maſſis proportionales, æquales ſint, fiet ut quo tempore vis repellens maſſæ impingentis M unum gradum velocitatis in impacta *m* generat, eodem vis repellens maſſæ *m* gignat æqualem in M in contrariam plagam, atque idcirco ex duobus velocitatis gradibus, quibus ante conflictum ferebatur, unum perimat, & alterum, ideſt velocitatem $= 1$ relinquat. Quamobrem ubi maſſa *m* hoc pacto unum accepit gradum velocitatis, ea movetur, quæ in M reſidua eſt. Ex quo fit maſſam M ſe amplius in *m* non inſinuare, eoquod utræque eadem velocitate cientur, & ideo ab illa non repelli, nec tamen attrahi, ſed poſitam in eo puncto contactus inter vim repellentem & attractricem, in quo a nulla cietur, eo quod contrariæ vires æquales ſe ſuſtinent, tamquam unum corpus cum maſſa *m* eadem velocitate $= 1$, ſcilicet dimidio velocitatis ante conflictum, moveri. Ex quibus fit celeritatem C ante conflictum ad celeritatem *c* poſt conflictum eſſe ut maſſam utriuſque corporis $M + m = 2$ ad maſſam ſolius impingentis $M = 1$, ut vult communis recepta motus lex. Qui vero hæc cum Leibnitiana virium æſtimatione concilientur, intelligemus, ſi advertamus, quemadmodum corpus deſcendens aut ab elaſtris infinitis ſe expandentibus pulſum recipit a gravitate, vel a preſſione conſtanti elaſtrorum primo minuto unum gradum velocitatis & vis, ſecundo vero æquali alium quidem æqualem gradum velocitatis, ſed tres vis ob rationem a nobis toties inculcatam tomo I. Phyſ. Gen. velocioris in eodem minuto fluxus preſſionum, cujus velocitatis ratio in æſtimatione virium habenda eſt §. 3. n. 1. & ob eaſdem rationes tertio minuto unum velocitatis, & 5 vis, quarto unum velocitatis & 7 vis &c. ita corpus velocitate $= 2$ aſcendens, aut in illa elaſtra expanſa incurrens ob eamdem rationem primo minuto amittere unum gradum velocitatis, ſed tres vis, ſecundo autem unum celeritatis, & unum pariter vis. Hinc enim intelligitur, cur vis repellens impingentis M, cujus celeritas $= 2$, gignens unum gradum velocitatis in *m*, unum ſimiliter vis gradum efficiat; at vis repellens impactæ *m* unum corrumpens in M, ob valde majorem velocitatem, qua fluit, tres gradus vis motricis in eadem corrumpat. Ex quo fit ut ex quatuor gradibus vis, quæ in maſſa M ante conflictum reperiebatur, duo ſolum poſt conflictum exſiſtant, unus in maſſa impacta *m* denuo genitus

vi

vi repellente maſſæ impingentis M, alter reſiduus in M, aliis tribus deſtructis a vi repellente maſſæ impactæ *m*. Nec difficultatem facere debet æqualitas virium repellentium in utraque maſſa, perinde ac ſi ex ea conſequatur æquales in utraque vires aut generari aut corrumpi oportere. Vis enim, utpote aliquod abſolutum & a Deo proxime creatum, ab alia vi contraria tamquam a cauſſa effectrice deſtrui nequit, ſed ſolum a Deo, cui vires contrariæ occaſionem præbent ſe ipſas, quatenus contrariæ ſunt, corrumpendi ob rationes, quas §. 3. num. 2. produximus. Quo cadit propoſita difficultas, utpote innixa principio æqualitatis inter effectus, quando cauſſæ æquales ſunt, quod principium in cauſſas effectrices cadit, non vero in occaſionales. In conſequentibus autem rationem afferam, cur Deus talem in maſſa icta erect vim, & talem in percutiente corrumpat.

2. Nunc venio ad maſſas inæquales. Sit M$=2$, *m* quieſcens $=1$, velocitas C maſſæ M in tres partes diſpeſcatur æquales, quot colligit utraque maſſa. Cum vires attractrices atque expultrices maſſis proportione reſpondeant num. 1. vis repellens maſſæ M erit duplo major vi repellente maſſæ *m*. Quare quo tempore illa in maſſa icta *m* duos gradus celeritatis gignet ſecundum directionem motus, eodem hæc unum tantum in percutiente M generabit, ideoque ex tribus, quos habet, unum corrumpet. Quo facto utramque maſſam eadem velocitate $=2$ cieri comperiemus; quod erit cauſſa, ut vires repellentes & motus communicatio ceſſent ob rationem, quæ in primo eventu fuit allata, & ita velocitas C ante conflictum $=3$ ad velocitatem *c* poſt conflictum $=2$ ita ſe habeat, uti maſſa utriuſque $=3$ ad maſſam ſolius impingentis $=2$. Poſitis autem quæ num. 1. ſtatuimus, vis repellens maſſæ M in maſſa quieſcente *m* gignens duos velocitatis gradus, quatuor efficit vis; at vis repellens maſſæ *m* in impingente unum gradum velocitatis efficiens, & ideo unum ex tribus deſtruens, quinque corrumpit gradus vis, qui tamen ſunt ducendi in maſſam M$=2$, ideoque 10, ſcilicet 5 in ſingulis dimidiis, in quibus unum gradum velocitatis interimit. Quare cum ante conflictum in maſſa M$=2$ lata velocitate 3 forent in ſententia Leibnitii 18 gradus vis, ſolum 12 poſt conflictum exſiſtere debent, propterea quod de novo generantur ſolum 4 in maſſa *m*, & 10 corrumpuntur. Ergo ex 18 ſex perimantur oportet. Id quod congruit cum Leibnitiano ſyſtemate. Nam poſt conflictum maſſa $=$M$+$*m*$=3$ movetur velocitate $=2$, cujus quadratum ductum in 3 dat vim $=12$, tertia parte corrupta ob allatas rationes. Similiter res concludetur, ſi ponamus maſſam motam M plus quam duplo majorem maſſa quieta *m*; immo efficiemus, cur poſita M$=3$, & *m*$=1$, $\frac{1}{4}$ vis corrumpatur; M$=4$, *m*$=1$, ſolum $\frac{1}{5}$ vis; M$=5$ & *m*$=1$, ſolum $\frac{1}{6}$, & ita porro in infinitum. Unde poſita M infinita & *m*$=1$, nulla vis portio in nihilum abibit.

3. Sit nunc e contrario M$=1$, & *m*$=2$, & celeritas C ſit 3; vis repellens M erit duplo minor vi repellente *m*. Quare quo tempore illa unum gradum velocitatis & idcirco unum vis generabit in *m*, ſed ducendum in 2, quia maſſa *m*$=2$, & ideo duos gradus vis gignet, eodem hæc in M duos gradus efficiet in contrariam motui plagam, & ideo ex tribus velocitatis, & 9 vis, quibus M eſt prædita, duos in M velocitatis, & octo vis perimet.

Quo facto maſſæ eadem, ut patet, velocitate percitæ amplius ſe non repellunt, nec attrahunt, ſed moveri pergunt conjunctæ. Ex quibus liquet tum celeritatem $C = 3$ ante conflictum ad celeritatem $c = 1$ poſt conflictum eſſe, ut $M + m = 3$ ad $M = 1$; tum $\frac{2}{3}$ vis perimi, & $\frac{1}{3}$ reſtare. Nam ex gradibus 9 perimuntur 8 in M, & duo in m generantur. Ergo ex 9 ante conflictum exſiſtunt 3, quod congruit cum Leibnitii ſententia, quia poſt conflictum maſſa $M + m$ eſt $= 3$, & velocitas $= 1$. Similiter efficietur, poſitis $M = 1$, & $m = 3$, ſolum $\frac{1}{4}$ reſtare vis, & $\frac{3}{4}$ corrumpi; $M = 1$ & $m = 4$, ſolum $\frac{1}{5}$ eſſe reſiduam, & $\frac{4}{5}$ deleri, & ita in infinitum, poſitis $M = 1$, & m infinita, ſolum unam infinite parvam reſtare vis, & vires omnes corrumpi.

4. Jam vero tranſeamus ad alterum eventum, in quo duæ maſſæ M & m celeritatibus C & c ſibi contrariis occurrant. Sit primo $M = m$; quæ ubi ad contactum pervenerint & ſe intromittere cœperint, vis expultrix maſſæ M incipiet generare gradum aliquem velocitatis in maſſa m in contrariam directioni motus ipſius m plagam, & ideo gradum contrariæ velocitatis, qua m donatur, eumque æqualem corrumpere; & viciſſim vis expultrix maſſæ m idem præſtabit in M. Cum autem vires expultrices hic ſint æquales, quo tempore vis repellens maſſæ M deſtruet totam celeritatem c, quæ ponatur eſſe minor C, eodem vis æqualis maſſæ m æqualem in C gradum corrumpet. His corruptis perinde eſt, ac ſi m quieſcat, & M moveatur contra maſſam m velocitate reſidua $C - c$. Unde quemadmodum in primo eventu ex iis, quæ ibi ſtatuta ſunt, ſequitur velocitatem reſiduam v eſſe $= MC : (M + m)$, ita in hoc altero conſequitur reſiduam v eſſe $= (MC - Mc) : (M + m)$ (& quia $M = m$) $= (MC - mc) : (M + m)$. Quare ſi C ſit $= c$, velocitas poſt conflictum nulla erit & maſſæ quieſcent.

5. Quod ſi maſſæ ſint inæquales, velocitates eodem tempore corruptæ erunt in ratione inverſa maſſarum, quia quo maſſa M eſt major maſſa m, & ideo etiam vis repellens primæ eſt major vi repellente ſecundæ, eo major eſt velocitas corrupta in m præ velocitate, quæ in M corrumpitur. Quare vel ante vi repellente maſſæ M deſtruitur tota celeritas c maſſæ m, quam vi repellente m corrumpatur tota C maſſæ M, vel contra; ſi primum, velocitas interea corrupta in M erit $= mc : M$, quia eſt M ad m, ita velocitas c deſtructa in m ad velocitatem eodem tempore corruptam in M. Sin alterum, ob eamdem rationem velocitas in m corrupta erit $= MC : m$. In primo eventu perinde eſt, ac ſi m quieſceret, & M incurreret in m velocitate $C - mc : M = (MC - mc) : M$. Unde ex dictis ſupra velocitas v poſt conflictum erit $= M\,(MC - mc) : M\,(M + m) = (MC - mc) : (M + m)$. Similiter in ſecundo efficiemus eſſe $v = (mc - MC) : (M + m)$, quæ ſunt velocitatum ab omnibus admiſſæ formulæ, altera, cum productum ex maſſa M in ejuſdem velocitatem C eſt majus producto ex maſſa m & velocitate c; altera cum e contrario. Unde ſi celeritates ſint in ratione reciproca maſſarum, ideſt $M : m = c : C$, & ideo $MC = mc$, velocitas reſidua nulla erit. In quo nihil eſt, quod cum principiis ſupra explicatis non congruat. Nam ſi M ſit $= 2$, & $m = 1$, & $C = 1$, & $c = 2$, quo tempore vis repellens maſſæ $m = 1$ corrumpit unum gradum ve-

velocitatis, quî eſt in M, & ideo unum vis, ducendum tamen in maſſam 2, & idcirco duos gradus vis perimit, dupla vis repellens maſſæ M = 2 duos gradus velocitatis, & ideo quatuor vis in maſſa *m* extinguit, idque ob rationes, quas expoſui num. 1. & ſecundo.

6. Mitto tertium eventum maſſæ M, quæ in aliam *m* verſus eamdem plagam tardius motam incurrat, eo quod ex dictis facile eſt eruere valorem reſiduæ velocitatis $v = (MC + mc) : (M + m)$, ut communis vult Phyſicorum eaque certa ſententia, & potius animum ad ea converto, quæ ex conſtitutis erui poſſunt. Nam præcipua corporum & naturæ phænomena eorum adminiculo ſumma facilitate explicantur. Primo enim æquilibrii leges ex noſtro ſyſtemate ſua veluti ſponte oriuntur, propterea quod ex iis, quæ paulo ante diximus in hypotheſi maſſarum M & *m*, quæ velocitatibus C & *c* rationem earumdem inverſam ſequentibus ſibi viciſſim occurrunt, apparet ideo vires perimi, quia quo tempore vis repellens maſſæ M, ex. g. = 2, corrumpit velocitatem = 2 maſſæ *m* = 1, ideoque totam ejus motricem vim, eodem vis repellens maſſæ *m* velocitatem = 1 maſſæ M, atque idcirco totam ipſis vim perimit. Ex quo fit, ut ſi faciamus M & *m* conjuncta quieſcere, & in M velocitatem = 1, in *m* velocitatem = 2, ideſt in ratione inverſa maſſarum generari debere ponamus, illæ vires eodem tempore generandæ ſint, & quidem a Deo, quem eſſe unam cauſſam vi motrici gignendæ idoneam ſupra docuimus §. 10. Quare ſi maſſæ M, *m* ſint conjunctæ, & in M ab aliqua cauſſa generanda ſit velocitas = 1 contra maſſam *m*, in *m* autem velocitas = 2 contra maſſam M, id fieri non poterit niſi maſſæ ſe viciſſim penetrent; in penetratione autem ſe exſerit tum vis repellens maſſæ M idonea corrumpendæ velocitati = 2 in maſſa *m*, tum repellens maſſæ *m*, quæ velocitatem = 1 eodem tempore in M corrumpere debet. Hinc vero efficitur in neutra maſſa vim generari poſſe, quæ motum efficiat; non in M; nam ab illa cauſa generanda eſt velocitas = 1 contra maſſam *m*, & a vi repellente maſsæ *m* gignenda eſt eodem tempore velocitas = 1 in eadem M in contrariam plagam; vires autem contrariæ æquales eſse in corpore nequeunt §. 3.; non in maſsa *m*, in qua eodem tempore a dicta cauſa & a vi repellente maſsæ M celeritas = 2 in contrarias plagas efficienda eſt. Ergo in nulla ex his maſſis vis & motus generari poſsunt. Res vero ita ſe habet in æquilibrio gravium, quæ ex vectis inflexilis atque omnino ſolidi extremis ſuſpendantur. Nam maſsa gravis M = 2 ponatur in diſtantia unius pedis a puncto fixo, maſsa vero *m* = 1 in diſtantia duorum ex altera parte. Ob vectis ſoliditatem & punctum fixum maſsæ ita conjunctæ ſunt, ut ipſarum gravitates fluere non poſſint & vim vivam generare, quin gravitas maſsæ M, ſi ipſa prævaleret, duplo minorem velocitatem efficiat, quam gravitas maſsæ *m*, ſi pariter hæc prævaleret. Quare ſi gravitates ſe explicant, velocitates ab iis deorſum generandæ ſunt in ratione inverſa maſsarum, ideſt in maſsa M velocitas = 1, & in *m* velocitas = 2, & quidem ita directæ, ut in ſe viciſſim corpora tendant, non quidem proxime, ſed adminiculo ſolidi vectis, quod in præſenti negotio perinde eſt. Quare vis repellens maſsæ M ope ejuſdem vectis gignere debet in *m* velocitatem = 2 ſurſum eodem tempore, quo a gravitate velocitas = 2 deorſum efficienda eſt, & vis repellens maſſæ *m* gignere debet in M velocitatem = 1 pariter ſurſum eodem tempore, quo a gravitate eadem deorſum generanda eſt.

Digitized by Google

eſt. Ergo nullus motus nullaque vis gignatur oportet.

7. Sic explicato gravium æquilibrio, ex eodem fonte originem vis inertiæ duco. Nam reſiſtentiæ, ſeu vis inertiæ, pro qua tamquam pro aris & focis Recentiores omnes acerrime pugnant, nullam mihi umquam claram notionem formare quivi. Nunc ea clariſſime explicata eſt §. 10., ex quo intelligitur eam eſſe poſitam in vi accidentali repellente, quæ in corpus ſe exſerit, ubi ad contactum alterius pervenit, & ſe in ejus interiorem ſubſtantiam inſinuare contendit. Unde etiam elicitur ratio illius communis effati, quod ſine vi inertiæ aliud corpus in aliud non ageret, proptereaquod ſi in corpore percuſſo vis repellens non foret, maſſa corporis moti ſe in illud intruderet, & ſine ullo prorſus impedimento ab altera ad alteram ipſius partem tranſiret. Item allatum principium in bona luce ponit, quod Phyſici tenent de reactione corporis icti in corpus percutiens, proptereaquod vis repellens maſſæ *m*, in quam altera M incurrit, partem aliquam corrumpit vis, quæ in eadem M reperitur, & quidem, ut conſtat ex dictis in anteceſſum, ſemper majorem vi, quæ vi repellente maſſæ M in *m* generatur, ut verum non ſit quod a Philoſophis ſola obſcura actionis & reactionis notione utentibus communiter ſtatutum eſt, reactionem eſſe æqualem actioni: nec id in aliquod certum principium incurrit, proptereaquod licet percuſſa *m* aliquando ſit æqualis percutienti M, aliquando etiam minor, in quarum altera hypotheſi vis ipſius repellens vim alterius exæquat, in altera eſt etiam minor, tamen mirum eſſe non debet ejuſdem multo majori velocitate fluentes preſſiones, quam æquales, aut etiam majores alterius num. 2. ad majorem ſummam conficiendam, atque ideo ad majorem vim generandam & corrumpendam idoneas eſſe. Inde tamen non efficitur id quod cum Koenigio in *Meditatiuncula I. de centro inertiæ & vis gravitatis* in Actis Erud. Lipſ. ad An. 1738. M. Jan. pag. 34. omnes voluerunt, hanc inertiæ vim eſſe cauſſam, cur corpora, quantum in ipſis eſt, in ſuo ſtatu aut motus, aut quietis perſeverent. Cum enim vis motrix ſit aliquod abſolutum & permanens, quod motus tamquam alicujus relativi & in ſucceſſione poſiti eſt cauſſa, & proxime a Deo creatum, ipſa eſt vera & propria motus effectrix cauſſa §. 2., quæ proinde cum in nihilum ipſa per ſe abire non poſſit, motum in corpore conſervabit, etiamſi hoc nulla ſit donatum inertia, ideſt vi aliorum in diſtantia attractrice, in contactu expultrice. Immo tantum abeſt, ut vis inertiæ ſit cauſſa, cur corpora in ſtatu ſe movendi, aut quieſcendi perſtent, ut, eadem ſepoſita, corpora ſemel mota eamdem ſemper velocitatem tuerentur, ſemel quieſcentia numquam motum acquirent §. 10. Pariter abeſt a vero, quod idem Koenigius cum aliis affirmat, ſine hac inertia qualecumque corpus quacumque vi poſſe moveri; nam quod attinet ad vim, quæ ex incurſu aliorum corporum accipi poſſit, nulla tunc a corporibus gigneretur, eoquod ex altera parte non poſſunt eſſe cauſſæ effectrices §. 10. & ex altera, ſepoſita vi repellente, nec ſorent occaſionales ibid. num. 2.: quod vero attinet ad vim in corporibus ſeorſim inſpectis, ea foret determinata, & determinatum effectum ſeu velocitatem in dato corpore generaret §. 4. quia nihilominus vis in ſingulis foret æqualis producto ex maſſa in quadratum velocitatis. Uno verbo quod pertinet ad vim & motum in ſingulis corporibus ſive abſolute ſive relate conſiderata, eadem omnia contingerent; unum eſſet diſcrimen in motus communicatione, & in iis, quæ ab il-

la

la proficiſcuntur, qua ſublata in hypotheſi nullius vis inertiæ, ſive repellentis, leges motuum in corporum colliſione, & inde pendens ordo hujus mundi & mira illius phænomena continuo diſparerent.

3. Hac conſtituta virium uſque ad contactum attrahentium, ultra vero contactum repellentium theoria, ſequitur etiam nullam eſſe rationem, quæ Leibnitianos eo deduxit, ut corpora perfecte dura & nulli obnoxia compreſſioni partium exploderent ab hac rerum univerſitate. Nam idcirco hæc corpora eliminarunt, quod ubi ad contactum pervenirent, putarent illa in inſtanti contra principium continuitatis acquirere aut amittere partem aliquam finitam vis & celeritatis, quin per omnes interpoſitos poſſibiles gradus tranſirent. Verum id non uſuvenit, quia cum in percutiente vis corrumpatur a vi repellente percuſſi, & a vi repellente percutientis vis motrix in percuſſo generetur, id non impedit, quominus corpora ſe in interiorem ſubſtantiam ſaltem per ſpatium infinite exiguum intrudant, & hoc pacto eorum vis & celeritas non in inſtanti, ſed paulatim & in tempore ſaltem infinite minimo corrumpantur & generentur.

ARTICULUS III.

Ex conſtitutis eruitur quomodo ſunt neceſſariæ leges in motus communicatione.

§. 12.

SIc explicata ratione, qua virium & motuum communicatio inter corpora fit, & legibus colliſionis, quas inde deduximus, videndum eſt quanam neceſſitatis lege eædem teneantur. Ex Cl. Maupertuiſio tom. II. *Mem. de l' Acad. de Berlin* nos tom. I. Phy. Gen. §. 201. num. 24. 25. oſtendimus, cum aliqua in natura mutatio fit, quantitatem actionis ad hanc mutationem neceſſariæ eſſe minimam omnium, quæ eſſe poſſunt, & ex eo, methodo de Maximis & Minimis mira facilitate deduci leges omnes in colliſione corporum durorum & æquilibrii, quæ ſunt eædem, atque illæ, quas noſtra methodo ſupra collegimus. Quod minimæ actionis principium eſt idem ac breviſſimæ viæ, quam multi Philoſophi tum antiqui, tum recentiores naturam in ſuis effectibus tenere volunt, quamque certiſſime tenet in motu unius corporis una perciti vi, eoquod tale corpus incedit in linea recta, quæ eſt breviſſima omnium, quæ inter quælibet duo puncta duci poſſunt. Quo conſtituto ſic meam rationem ineo. Si corpora, dum mutuo incurſu motum cum aliis communicant, forent cauſſæ effectrices, minimam actionem impenderent in hac motus communicatione. Vis enim motricis effectus tunc foret duplex: alter internus, ſcilicet motus corporis, in quo eſt vis, alter externus, ſcilicet motus corporis, in quod primum incurreret. Actio vero quod attinet ad internum, eſt minima omnium, eo quod eſt per lineam omnium breviſſimam, ergo illa quoque actio, quæ pertinet ad exteriorem, deberet eſſe omnium minima, cum altera ex parte ſit eadem vis, quæ movet corpus, in quo eſt; & quæ ciet alia, ad quæ transfertur; & ex altera eadem cauſſa in ſimilibus ſubjectis, qualia ſunt duo corpora, modo ſimili debeat operari. Res fortaſſe non ita ſub oculos cadit in ſecundo eventu, quemadmodum in primo. Verum

rum

Digitized by Google

rum ſiquis animum magis intenderit, eamdem in utrumque eventum rationem valere comperiet. Nam præcipua ratio, qua effecimus corpus una vi percitum rectam ab alio ad aliud punctum lineam peragrare, in eo poſita eſt §. 4. n. 4. quia quamcumque aliam inter duo puncta interceptam lineam teneat ex una parte lineæ rectæ poſitam, alia prorſus æqualis, ſimilis ac ſimiliter collocata ex altera parte inter eadem puncta deſcribi poteſt, nec ulla eſt major ratio cur per illam potius, quam per hanc ad dictum punctum perveniat. Jam vero ſimilis ratio concludi poteſt etiam in altero eventu. Nam actiones utriuſque maſſæ, quarum altera A velocitate a in alteram B velocitate b minori latam verſus eamdem plagam impingit, quæ actiones dicantur F, ex Maupertuiſio ſunt $= Aa^2 - 2Aax + Ax^2 + Bx^2 - 2Bbx + Bb^2$. Quare $(A+B)\,x^2 - (2Ax + 2Bb)\,x = F - Aa^2 - Bb^2$, & $x^2 - (2Aa + 2Cb)\,x : (A+B) = (F - Aa^2 - Bb^2) : (A+B)$, & perficiendo quadratum $x^2 - \frac{(2Aa+2Bb)}{A+B}\,x + \frac{(Aa+Bb)^2}{(A+B)^2} = \frac{(F - Aa^2 - Bb^2)}{A+B} + \frac{(Aa+Bb)^2}{(A+B)^2}$ & extrahendo radicem $x - (Aa+Bb) : (A+B)$, vel $(Aa+Bb) : (A+B) - x =$ radici alterius quantitatis, qui duo valores incluſi, ut notum eſt, in radice quadrati, cujus ſecundus terminus eſt negans, dant duos diverſos valores velocitatis communis x poſt conflictum, niſi eædem actiones ſint aliquod minimum, in quo minimo duo iſti valores, ut ex Algebræ regulis compertum ſit, in unum abeunt, quemadmodum duæ lineæ æquales, ſimiles ſimiliterque collocatæ ex utraque parte lineæ rectæ, ſi in infinitum accedant ad lineam rectam, cum illa & inter ſe penitus congruunt. Ergo illæ actiones ſi minimum non ſequantur; non erunt magis ad unum ex iis valoribus, atque idcirco ad unam ex iis velocitatibus gignendam potius determinatæ, quam ad alteram. Neutram igitur gignere poſſunt. Ex quo fit ut illam tantum velocitatem gignere queant, ad quam eſt opus ut minimæ ſint.

2. Igitur manet, ſi corpora in communicationæ motus forent cauſſæ effectrices, minimam actionem impendere in eodem gignendo. Cum ex iis quæ §. 10. n. 1. diſſeruimus, hujuſmodi cauſſæ non ſint, ſed ſolum occaſionem præbeant partem vis in corpore percutiente in nihilum redigendi, & aliam in percuſſo de novo creandi, dicendum eſt Deum hanc ſibi præſcripſiſſe legem, ut eam in impingente corrumperet, in impacto crearet, ex qua orta communis velocitas illa ipſa foret, quam actio minima, ſi corpora vere agerent, poſtularet. Cum enim Deus in motus communicatione ſuppleat id, quod corporum vires præſtare non poſſunt; congruum fuit, ut genium virium, quas ipſe ſingulis corporibus dederat, in minima actione eligenda, & idcirco in creatione & corruptione virium ad id in corporum conflictu neceſſariis ſequeretur. Quare ſi naturaliter operatur, ideſt naturæ corporum & virium, quas iiſdem indidit, ſe accommodat, minimam actionem & ſupra ſtatutas communicationis inter corpora motus leges ex illa derivatas ſequatur neceſſe eſt.

3. Ex quibus perſpicuum fit quanam aſtringantur lege neceſſitatis dictæ regulæ motus in colliſione corporum perfecte durorum, ex quibus aliæ corpo-

Digitized by Google

porum mollium & elaſticorum oriuntur. Ac primo ſub conditione, quod Deus voluerit corpora in ſe viciſſim operari, & ex motu unius aliorum conſequi motum, ſibique mutuo reſiſtere, conſtat neceſſarium fuiſſe, ut iiſdem inderet vires in diſtantia attractrices, in contactu expultrices, ſive ipſemet Deus proxime in corpore impingente aliquam vis partem corrumperet, & aliam in impacto crearet, ſine quibus attrahentibus & repellentibus viribus, & ſine qua proxima Dei actione jam ſupra docuimus corpora ſibi viciſſim non poſſe reniti, ſed tamquam inane ſine ulla vis & motus communicatione ſe penetrare, & ipſum mundi ordinem ſuſdeque verti. §. 11. n. 7. Quod vero attinet ad quantitatem vis, quæ vel in incurſu alius in aliud, ſive quieſcens, ſive eamdem verſus plagam tardius motum in percutiente perimitur, in percuſſo creatur, vel in occurſu duorum, quæ ſibi obviam fiunt, ante in utroque corrumpitur, quam fiat virium communicatio, liquet duas fuiſſe rationes, quæ Deum impulerint ad has leges non ex neceſſitate abſoluta, ſed ſolum ex conditionata eligendas; alteram ex eo ductam, quod cum ratio, cur vires ſibi viciſſim contrariæ ſunt, in motibus atque velocitatibus contrarias verſus plagas poſita ſit §. 11. n. 1. æquales motus gradus aut in primo eventu in percutiente corrumpere, & in percuſſo generare, aut in ſecundo in utroque perimere, & idcirco etiam iis reſpondentes in vera ſententia Leibnitianæ virium menſuræ aut generare aut corrumpere §. 11. num. 2.; alteram hic expoſitam, petitam ex eo, quod ſi Deus naturæ virium ſuam velit actionem accommodare, minimam actionem, ex qua tales virium communicationes & corruptiones oriuntur, eligat opus eſt. Quo ſatisfactum puto huic etiam parti quæſtionis ab Academia propoſitæ. Nunc veniamus ad corpus, quod duabus aut pluribus viribus contrarias verſus partes impellatur.

CAPUT QUARTUM.

De neceſſitate legum motus compoſiti tum rectilinei, tum variabilis.

§. 13.

Quoniam ex altera parte in aliis hujus Diſputationis locis nimis longum jam fecimus, & ex altera poſt Cl. Danielem Bernullium in Com. Acad. Petrop. tom. 1. de hoc motus compoſiti loco luculenter tractantem jam tom. II. citati operis eumdem accurate explicavimus, hic me paucis expediam. Ex illa noſtra ſententia, quod vires omnino contrariæ, utpote motus expertes, in corpore eſſe nequeunt, §. 3. n. 2. & ex illa altera, quod Deus eſt ſola effectrix cauſſa, quæ, dum aliud corpus in aliud incurrit, vim aliquam in percuſſo creat, conſequitur Deum in corpore non creare vires ad angulum oppoſitas, quatenus contrariæ ſunt, ſed illam unam, quæ eſt ſecundum diagonalem parallelogrammi, quæque velocitatem efficit eidem diagonali proportione reſpondentem, idque propter rationes, quas citato loco produximus. In quo aliam non video neceſſitatem, niſi eam conditionatam, quæ ſimilis ſit neceſſitati ſupra conſideratæ, quæ Deum impulit ad eas, quæ nunc obtinent in corporum colliſione, leges condendas. Hoc enim pacto

ſeſe

Digitized by Google

ſeſe accommodat naturæ utriuſque vis, ſi quælibet ſeorſim generaretur, quia corpus vi compoſita diagonalem percurrens eodem tempore, ac ſingulis viribus latera percurriſſet, utrique vi obtemperat quantum obtemperare poteſt, eoquod a puncto, in quo antea quieſcebat, tantum diſcedit, quantum poſtulat utraque vis. Motus autem curvilineus non eſt, niſi ſpecies compoſiti rectilinei, ſed in infinitum multiplicati, ſinguliſque tempuſculis duas directiones ad angulum oppoſitas, ſed a prioribus diverſas habentis. Ergo in motu quoque curvilineo eamdem conditionatam neceſſitatem habebimus.

APPENDIX II.

ADVERSUS

Sextum Empiricum, Bælium, alioſque Scepticos.

1. CUm hos conſcriberem de Re Logica & Metaphyſica libros, meas ad manus nondum pervenerat eximium opus in folio Crouſatii, inſcriptum *Examen du Pyrrhoniſme Ancien & Moderne*, atque editum Hagæ uſque ab anno 1733. Hanc ob cauſſam nullam ejuſdem feci mentionem, tametſi Cl. Auctor orationem induxerit in omnes illas graviſſimas diſputationes, quas luculenter tractavimus, & in quibus Pyrrhoniſtæ aliique maleſani Scriptores a communibus iiſque veris ſententiis deſciverunt. Nunc vero libri compotes facti, operæ pretium putamus aliqua ex eodem excerpere, præſertim quæ pertinent ad objecta hujus ſectæ Philoſophorum, quo iis pro virili noſtra portione ſatisfaciamus. Quamvis enim in tribus ſui Operis partibus, in quarum prima naturam examinat Pyrrhoniſmi, illius confutandi rationem univerſe declarat, cauſſas hujus morbi inveſtigat, & remedia ad eum ſanandum proponit; in ſecunda Sexti Empirici difficultates ex ipſius libris hypotypoſeon excerptas, & a Bælio ſubtiliſſime confirmatas ſub oculos ponit & diluit; in tertia tandem ad examen revocat quæ in omnibus præcipuis Philoſophiæ & Religionis Naturalis locis Bælius in ſuo Dictionario pro Pyrroniſtis inculcat, diligentem in iis confutandis operam poſuerit, tamen defectu principiorum, quæ in ſuperioribus, & præſertim in Ontologia conſtituimus, mihi videtur, verbo abſit invidia, rationibus in contrarium allatis non omnino ſatisfeciſſe.

2. Cujus rei argumento potiſſimum erunt difficultates a Sexto & a Bælio adverſus exſiſtentiam & poſſibilitatem corporum & illa quæ ex corporum exſiſtentia conſequuntur; quas difficultates hic examinandas ſuſcipimus. Itaque Crouſatius part. 2. ſectione 4. pag. 92. hanc primum eruit ex cap. quinto lib. 3. Sexti. „ Si corpora exſtarent, ſe viciſſim contingere poſſent. Quoniam vero corpus non poteſt alterum contingere in interiori ſubſtantia, atque ita penetrare ut ex duobus unum fiat, aliud nihil eſt reliquum, niſi ut contactus in extremitatibus perficiatur. Ex quo fit ut perperam quis loquatur, cum ait corpora ſe contingere, propterea quod non corpora, ſed eorum ſolæ ſuperficies ſe contingunt. Quæ ſuperficies a dextris contingit corpus, quod non eſt ſuum, contingere ne poteſt a ſiniſtris corpus, cujus eſt ſuperficies? Eadem ſuperficies verſa ad dexteram, erit ne quoque verſa ad ſiniſtram? Id eſſe nequit. Ergo una eademque ſuperficies duo corpora contingere nequit, illud ad quod pertinet, & illud, quod proximum ſit, & multo minus corpus quamtumvis exiguum, non poterit contingere duo, alterum orienti propius quam ipſum ſit, alterum occidenti „ Hactenus Sextus cujus rationem confirmat Crouſatius pag. 94. his quæ recitat ex Bælio art. *Zenon* „ Penetratio dimenſionum eſt impoſſibilis; nihilotamenminus foret neceſſario admittenda, ſi conſtaret extenſio. Globum tormenti bellici liquido colore infectum impone tabulæ, is ſuper tabula pulſus lineam deſignabit. Inde colliges duas invictas ra-

rationes pro demonſtrando proximo contactu, alteram petitam ex gravitate; quia ſi globus proxime tabulam non-contingeret, in aere ſuſpenſus maneret, alteram ex impreſſa ſemita. Jam vero ajo contactum hunc eſſe veram penetrationem. Pars enim globi quæ tabulam contingit, eſt determinatum corpus & reipſa diſtinctum ab aliis globi partibus, quæ tabulam non contingunt. Idem ſtatuo de illa tabulæ parte quæ contingitur. Hæ duæ partes contactæ dividi ſingulæ poſſunt uſque in infinitum in longitudine, latitudine & profunditate. Ergo in profunditate ſe contingunt, ideoque ſe viciſſim penetrant. Hæc in ſingulos dies in publicis diſputationibus objiciuntur Ariſtotelæis, qui ſe defendunt uſitato in ſcholis genere diſtinctionum, quæ valent quidem ad vitandam conſanguineorum diſcipuli confuſionem, ſi eum viderent ad ſilentium & ad incitas redactum, ſed alii nulli ſunt uſui quam ut ſub oculos ponant objectum eſſe inſolubile. Ecce igitur rem ſingularem; ſi extenſio exſtaret, non foret poſſibile ut partes ſe contingerent, & impoſſibile foret ut non ſe viciſſim penetrarent. Hæc nonne ſunt manifeſta contradictoria, quæ complectitur exſiſtentia extenſionis? „

3. Aliud argumentum Crouſatius ex Bælio depromit, petitum ex eo quod ex altera parte ſi extenſio exſiſtit, poteſt eſſe proximus duorum extenſorum contactus, & ex altera hic proximus duarum partium extenſarum contactus omnino impoſſibilis eſt, proptereaquod cum quælibet extenſio in infinitum ſecari poſſit, quælibet extenſa pars ab alia parte diſtat infinitis partibus, in quas ſecari poteſt. Tum pag. *96*. verbis Bælii exponit argumentum, quod adverſus exſiſtentiam corporum colligi poteſt ex illa Carteſianorum doctrina, quam ſenſiles qualitates uti coloris, ſaporis &c. non ſunt in corporibus, ſed ſolum in anima noſtra. Nam ſicut ante Carteſium invicte credebatur ab omnibus etiam a Philoſophis has qualitates extra mentem exſtare, & nunc etiam a vulgo creditur, quin tamen inde ſequatur Deum homines decepiſſe aut decipere; ita Deus nos minime falleret, etiamſi corporum ſenſationes in nobis excitaret, & hæc corpora nequaquam in hac rerum univerſitate conſtarent.

4. Sed pag. 100. firmiſſimam exponit rationem Bælii his ejuſdem verbis „ Extenſio componi non poteſt neque ex punctis mathematicis (ſive entibus extenſione carentibus) nec ex atomis, nec ex partibus uſque in infinitum diviſibilibus. Ergo exſiſtere nequit. Conſequens certum videtur, quia non poteſt præter has tres alia intelligi ratio componendi extenſionem. Ergo nihil aliud eſt reliquum niſi ut confirmemus antecedens. Paucis autem opus erit ad eliminanda puncta inextenſa; proptereaquod minime acuti, ſi vel tantiſper attendant, maxima evidentia comprehendere poſſunt, plura extenſionis expertia ſimul conjuncta non poſſe facere rem extenſione donatam. Conſule primas Philoſophiæ Scholaſticæ inſtitutiones, atque offendes rationes omnium firmiſſimas, fultaſque pluribus Geometriæ demonſtrationibus adverſus hujuſmodi puncta. Plura non faciamus verba, & pro comperto habeamus impoſſibile eſſe aut ſaltem inexplicabile continuum ex hiſce punctis conſtare. Nec minus impoſſibile, aut inexplicabile eſt illud componi ex atomis Epicuri, ſive ex corpuſculis extenſis & inſecabilibus. Quælibet enim quamtumvis minima extenſio habet dexterum latus atque ſiniſtrum, ſummum & imum. Ergo eſt concretio corporum diſtinctorum, quia de latere dextero negare poſſum quod ajo de ſiniſtro,

ſtro, hæcque duo latera non ſunt in eodem loco, neque corpus eodem inſtanti in pluribus locis eſſe quit. Ex quo fit ut quælibet extenſio quæ plures occupat ſpatii partes, plura corpora complectatur. Aliunde ſcio, nec Atomiſtæ inficiantur, duas atomos alteram ab altera disjungi poſſe, quia ſunt duo entia. Unde certiſſime colligo, quoniam dexterum atomi latus non eſt idem ens, ac ſiniſtrum, illud poſſe ab hoc ſeparari. Igitur manet indiviſibilitatem atomi eſſe prorſus commentitiam. Ergo ſi datur extenſio, neceſſe eſt ipſius partes poſſe in infinitum ſecari. Si vero ex altera parte oſtendatur eas in infinitum dividi nequire, concludendum erit extenſionem non poſſe conſtare aut ſaltem intelligi.

Diviſibilitas in infinitum eſt hypotheſis quam Ariſtoteles amplexus eſt, & poſt Ariſtotelem a pluribus ſæculis ſecuti ſunt omnes fere Philoſophiæ Profeſſores in omnibus Lycæis, non ea de cauſſa, quod intelligerent quid ſit, aut reſpondere poſſent contrariis rationibus, ſed quia eam manifeſte viderent extenſionem ex punctis aut mathematicis, ant phyſicis componi nequire, aliud nihil ſibi reliquum eſſe viderunt.

Ultraquamquod hæc hypotheſis valde commoda eſt, quia poſtquam defenſores ſuas omnes exhauſerunt diſtinctiones, quin tamen efficere potuerint ut hæc doctrina clare percipi queat, ad rei qua de agitur, naturam confugiunt, & ajunt cum noſtra mens finitis circumſcribatur limitibus, mirum videri non oportere, ſi quod cum infinito arctum eſt & connexum, comprehendi non poteſt, atque ad talis eſſentiam continui pertinere, ut circumſæpiatur difficultatibus, quas creata mens ſuperare non poſſit. Adverte Philoſophos qui atomos Epicuri ſunt amplexati, non id facere, quia percipiant corpus extenſum eſſe quire ſimplex, ſed quia duas alias hypotheſes eſſe impoſſibiles judicant: quod valet etiam in eos qui puncta mathematica admittunt. Univerſe qui de continuo diſſerunt, aliquam ſeligunt quam amplexentur hypotheſim hujus virtute principii. Si non ſint niſi tres cujuſdam rei explicandæ rationes, tertiæ veritas ex falſitate aliarum duarum neceſſario colligitur. Ex quo fit ut ſe non credant in errorem indui cum ſeligunt tertiam, poſteaquam clare perceperunt duas alias eſſe impoſſibiles, neque ſe deterreri ſinunt ab inexplicabilibus tertiæ difficultatibus. Se recreant atque reficiunt aut ea de cauſſa, quod eædem retorqueri poſſunt, aut ea de cauſſa quod ſibi perſuadent nihiloſecius ſuam hypotheſim eſſe veram, quia ceteræ falſæ ſunt. Subtilis Amaga cum inſolubilem ſibi propoſuiſſet difficultatem, profitetur ſe ob id a ſua ſententia non diſceſſurum, propptereaquod aliæ ſectæ eam melius non ſolvunt. *Materiæ enim difficultas eſt talis, ut ubique aliqua nobis inexplicabilia occurrant. Malo autem aperte fateri me ignorare aliquorum argumentorum ſolutionem, quam eam dare quæ forte a nemine intelligatur.*

Zenonis aſſecla illi qui unam ex his tribus hypotheſibus amplexatur, objicere poſſet: non bene rationem concludis, propptereaquod uteris hoc ſyllogiſmo disjunctivo. Continuum componitur aut ex punctis mathematicis, aut ex punctis phyſicis, aut ex partibus in infinitum ſecabilibus; atqui non componitur nec ex . . . . nec ex . . . . Ergo componitur ex. . . . Qui ſyllogiſmus peccat non in forma, ſed in materia, eique ſubſtitui deberet hic alter hypotheticus. Si extenſio exſiſteret, aut ex punctis Mathematicis, aut ex phyſicis, aut ex partibus in infinitum ſecabilibus componeretur. Jam vero non componitur nec ex punctis Mathematicis, nec ex phyſicis, nec ex partibus in infinitum ſe-

ſecabilibus. Ergo extenſio nequaquam exſiſtit. Nullus eſt in hujus ſyllogiſmi forma defectus. Sophiſmati *a non ſufficienti enumeratione partium* locus non eſt in majori. Conſequens ergo neceſſarium eſt, ſi modo propoſitio minor cum veritate conſentiat. Jam vero ad noſcendam minoris veritatem, alio non eſt opus, quam animum advertere ad argumenta, quibus hæ tres ſectæ ſe viciſſim obruunt. Quælibet ex his cum alias aggreditur, ſtrages edit atque triumphum reportat; ſed viciſſim proſternitur fundituſque deletur, cum ſe defendit. Ut ipſarum imbecillitatis conſcii ſiamus, ad memoriam revocare juvat hypotheſim diviſibilitatis in infinitum eſſe illam, quæ fortior apparet, & cavillando minus loco decedit. Scholaſticis eam ab imo ad ſummum munierunt omni genere diſtinctionum, quas excogitare ſivit otium quo maxime abundabunt; ſed eædem alio non ſunt uſui, quam ſuppeditandis aliquibus loquendi formulis, quibus in publicis diſputationibus diſcipuli uterentur, ne conſanguinei eos ad ſilentium redactos magna confuſione viderent. Cum diſcipulus diſtinguit inter infinitum *cathegorematicum, & infinitum ſyncathegorematicum, inter partes communicantes, & non communicantes, proportionales & aliquotas, ipſius* Pater aut frater plus contenti diſcedunt, quam ſi nihil reſpondiſſet, Neceſſarium itaque fuit ut Profeſſores quaſdam loquendi formulas excogitarent. Sed omnis ipſorum contentio ſatis non eſt obſcurandæ huic notioni quæ inſtar ſolis eſt evidens, atque perſpicua. *Numerus partium extenſionis infinitus, quarum quælibet eſt extenſa & diſtincta omnibus aliis ſive quod attinet ad interiorem ſubſtantiam, ſive quod ad locum, quem obſidet, contineri non poteſt in ſpatio centum mille millionibus minori quam centeſima milleſima pars grani hordeacei.*

5. Ita Bælius, cujus difficultates contra exſiſtentiam temporis & motus deinde examinat Crouſatius; nam pag. 117. ex articulo Zenon excirpit. „ Nulla eſt temporis pars, quæ cum altera ſimul exſiſtere poſſit; quælibet ſola exſiſtat neceſſe eſt, & quælibet exſtare incipiat oportet, cum ceſſat antegreſſa, & quælibet prius exſtare deſinat, quam conſequens eſſe incipiat: Ex quo ſequitur tempus in infinitum ſecari non poſſe; & continens rerum ſucceſſio componi debeat ex momentis in proprio ſenſu acceptis, quorum quodlibet eſt ſimplex & inſecabile, perfecteque diſtinctum a præterito atque a futuro, nec complectitur niſi tempus præſens. Qui id conſequi negant, permitti debent aut ipſorum ſtupiditati, aut dolo malo, aut præjudicatarum inſuperabili vi opinionum. Jam vero ſi ſemel dederis tempus eſſe inſecabile, teneberis objecto Zenonis, nec poteris invenire illud inſtans, in quo ſagitta ſuo loco moveri incipit; propterea quod ſi illud invenies, ſagitta eodem inſtanti in ſuo loco foret, & non foret. Ariſtoteles in illa una reſponſione conquieſcit, quod Zeno falſo innititur fundamento, cum indiviſibilitatem ſtatuit momentorum „.

6. Pagina vero *119.* hæc alia exſcribit. „ Si motus exſiſteret, opus foret corpus motum ab alio ad alium locum migrare. Nam quilibet motus duo continet extrema, *terminum a quo*, *terminum ad quem*; locum unde corpus digreditur, & locum ad quem pervenit. Jam vero hæc duo extrema ſunt inter ſe disjuncta partibus ſpatiorum, quæ, poſito materiam eſſe uſque in infinitum ſectilem, infinitas continent partes, Ergo fieri non poteſt, ut mobile ab altero ad alterum extremum perveniat. Nam interpoſitum ſpatium conſtat ex infinitis partibus, quarum alias poſt alias gradatim percurrere debet, quin umquam poſſit anteriores contingere eodem tempore quo poſteriores;

adeo

adeout quo corpus tranſiliret pedem ſpatii ſive materiæ, ideſt ab initio primi pollicis ad duodecimi finem perveniret, opus foret tempore infinito. Cum enim ſpatia inter hos limites gradatim abſolvenda numero ſint infinita, peſpicuum eſt ea tranſiri non poſſe, niſi in infinito numero momentorum; niſi velimus corpus eodem tempore ſimul in pluribus locis reperiri, quod falſum eſt & impoſſibile „. Cum autem Bælius animadvertiſſet Ariſtotelæos ad hæc refutanda duo reſpondere, primum ſpatium non reipſa, ſed ſolum poteſtate eſſe infinitum, alterum quoniam tempus eſt pariter continuum ideoque in infinitum ſecari poteſt, eodem ac ſpatium infinitatis genere contineri, hæc ſubjungit „. Hic duo vides affirmari, primum quamlibet temporis particulam in infinitas partes poſſe diſtribui; quod invictis rationibus in anteceſſum eſt refutatum, alterum continuum eſſe infinitum continuum ſolum poteſtate: quod nihil aliud ſibi vult, quam hanc diviſionem poſſe infinitum continuari, numquam autem reipſa. Hac uti doctrina eſt aliis illudere; quia ſi materia in infinitum ſecari poteſt, infinitas partes reipſa complectitur. Quare non eſt aliquod infinitum potentia, ſed actu. Partium enim continuitas earum diſtinctionem non tollit; ideoque actualis infinitudo non pendet a diviſione; ſed æque ſubſiſtit in quantitate continua, atque in ea quam vocant diſcretam. Sed etiamſi demus hoc infinitum in potentia, quod actuali partium diviſione actu infinitum evaderet, cauſſa tamen non caderemus. Motus enim eamdem ac diviſio, habet virtutem; quia is contingit partem ſpatii quin alteram tangat, & eas ſingulas gradatim contingit. Nonne id eſt idem ac eas diſtinguere alias ab aliis? Nonne id eſt quod Geometra facit; dum ſuper tabula ducit lineas, quæ omnes dimidios pollices deſignant? Is enim non diſpeſcit tabulam in ſemipollices, ſed nihiloſecius diviſionem molitur, quæ naturalem partium diſtinctionem ſub oculos ponit; nec arbitror Ariſtotelem inficias iturum, ſi ſuper pollice materiæ infinitæ ducantur lineæ, ad infinitum actuale redigi, quod in ipſius ſententia erat ſolum potentiale. Jam vero quod ducendis ſuper materiæ pollice lineis fieret ratione habita oculorum, illud certum eſt motu perfici ratione habita intellectus. Dum enim corpus motu percitum partes ſpatii gradatim contingit, nos percipimus illud deſignare partes, atque determinare, quemadmodum manus creta deſignat. Rurſus cum diviſio infiniti eſt abſoluta & perfecta, nonne habetur infinitum reipſa? Nonne Ariſtoteles ejuſque aſtipulatores ajunt horam continere infinitudinem partium? Cum ergo effluxit, dicendæ ſunt exſtitiſſe infinitæ partes aliæ poſt alias. Hoc ne eſt infinitum in potentia, an actu? Manet igitur ipſius diſtinctionem nullius eſſe momenti, & Zenonis objectum ſuam tueri vim. Hora, annus, ſæculum, &c. ſunt tempus finitum; pollex autem materiæ eſt ſpatium infinitum. Nullum ergo mobile poteſt a principio pollicis profectum ad finem pervenire. In obſervatione ſequenti examinabimus an difficultas declinari poſſit ponendo partes pollicis materiæ non eſſe niſi finitas. Interea nobis ſatis erit obſervare in infinitate partium temporis nullum reſtare perfugium, propterea quod ſi partes horæ forent infinitæ, ipſa nec incipere nec deſinere quiret. Neceſſe eſt enim eas ſeorſim exſiſtere, nec duæ umquam ſimul exſtant, aut exſtare queunt. Sint ergo interceptæ oportet inter primam & ultimam unitatem: id quod cum numero infinito conciliari non poteſt „.

7. Pagina 120 Crouſatius refert aliud Bælii objectum, quod in eo poſitum eſt

eſt ut corpus numquam poſſet incipere motum ſuper tabula, aut illam, etiamſi foret inclinata, tranſgredi; non poteſt enim incipere motum, niſi primam tabulæ partem tranſiliat; nec poteſt totam tabulam tranſire, niſi ultimam tabulæ partem prætergrediatur. Jam vero cum quælibet minima tabulæ pars, utpote extenſa, in infinitas diſtribui poſſit, nulla eſt in ipſa vel prima, vel ultima pars. Ergo motus nec incipere nec deſinere quit; cumque Scholaſtici ad hæc refutanda poſuiſſent naturam inter partes in infinitum diviſibiles interſperſiſſe puncta mathematica, quibus ipſæ colligarentur, & formarentur extrema, Bælius hoc effugium omnino explodit tamquam abſurdum, & minime dignum quod refutetur.

8. Ibidem hæc alia ex Bælio deſcribit. „ Aſſentior exſtare materiam extra mentem; nihiloſecius ſtatuo eamdem eſſe immobilem. Motus enim ad ipſius eſſentiam non pertinet, nec ejus notio motum includit, pluraque corpora interdum quieſcunt. Eſt ergo accidens. Verum eſt ne diſtinctum a materia? Si diſtinguitur; unde gignetur? Ex nihilo procul omni dubio; cumque ceſſabit. In nihilum recidet. At num ignoras ex nihilo nihil fieri, & nihil in nihilum non reverti? Quidquod opus erit motum eſſe per mobile diſperſum? Ergo erit ita extenſus, uti eſt mobile, & eadem circumſcriptus figura. Igitur erunt binæ in eodem ſpatio extenſiones, atque idcirco dimenſiones penetrabuntur. Cum tres aut quatuor cauſſæ pellunt corpus, nonne opus erit ut ſingulæ ſuum quæque motum gignant; nonne opus erit ut omnes cum corpore & inter ipſas ſint compenetratæ? Qui ergo poterunt ſuum quæque gignere effectum? ... Navis percita vento, fluxu maris, & remis, viam capeſſit, quæ particeps eſt harum trium actionum plus vel minus, prout una eſt fortior præ aliis. Non dubitabis affirmare inſenſiles entitates & inter ſe, & cum navi compenetratas ſibi adeo viciſſim obſequi, nec ſe turbare atque confundere? Si vero ajas motum eſſe modum qui a materia nequaquam internoſcitur, neceſſe erit affirmes eum qui modum gignit, creare materiam; quia ſine generatione materiæ non poteſt gigni ens, quod eſt idem, ac materia. Jam vero nonne eſſet abſurdum aſſerere ventum, qui movet navim, gignere navim? Non videtur huic difficultati poſſe reſponderi, niſi cum Carteſianis ponendo Deum eſſe unam & proximam motus cauſſam „.

9. Pagina 123. hoc aliud adverſus motum objectum Crouſatius exſcribit ex Bælio. „ Explicari non poteſt quid ſit motus. Si enim ais eſſe tranſlationem corporis ab alio ad alium locum, rem obſcuram explicas per obſcuriorem. Continuo peto quid intelligis nomine loci? ſpatium ne a corpore diſtinctum atque ſecretum? Si locum ita definis, te in laqueos induis ex quibus numquam te expedies: An vero ſitum corporis inter alia plura, a quibus circumdatur? Sed motus hoc pacto definitus in ſexcenta corpora omnino quieſcentia conveniet. Certum & exploratum eſt motus definitionem nondum inventam fuiſſe. Ariſtotelæa eſt abſurda; Carteſiana vero plumbea. Rohaultius poſtquam omnes ingenii vires contendiſſet in excogitanda definitione quæ Carteſianam interpolaret, obſtruſit motus deſcriptionem, quæ cadere poteſt in corpora quæ eſſe donata quiete diſtincte percipimus. Quo factum eſt, ut Regis ſui muneris eſſe duceret eam repudiare. Sed quam homo ſubſtituit, idonea non eſt motui corporum internoſcendo a quiete. Deus unicus motor ſecundum Carteſianos circa domum præſtare debet id quod facit circa aerem,

qui

Digitized by Google

qui vento agitatus diſpellitur ab eadem. Singulis momentis creare debet hunc aerem cum novis localibus ratione habita domus relationibus; ſimiliter ſingulis momentis creare debet domum cum novis ratione habita aeris. Quare ſecundum Carteſianorum principia certum eſt nullum corpus quieſcere, ſi unus materiæ pollex movetur. Id igitur omne quod conſtituere poſſunt, huc evadit, ut motum explicent apparentem, ſive adjuncta, quæ nos inducunt ut judicemus aliud corpus moveri & aliud quieſcere. Supervacaneum eſt hunc laborem ſuſcipere; quilibet enim judicium proferre poteſt de rebus apparentibus. Cardo quæſtionis in eo vertitur, ut exponamus naturam rerum, quæ ſunt extra nos: & quoniam hoc pacto motus exponi non poteſt, nonnemo negaverit hunc motum extra nos eſſe.

10. Pag. 125. aliud proponit Bælii objectum adverſus motum circularem ex eo petitum, quod ſi ſphæra in gyrum torqueretur, tota diameter quieſceret, dum aliæ partes ſphæræ cum diametro arctiſſime colligatæ moverentur, quod cum ratione pugnat, ibidemque aliam celebrem difficultatem adverſus majorem unius motus præ alio motu celeritatem, quæ aut nulla ratione intelligi & explicari poſſe ex vulgari Achilles argumento colligitur, aut ſi qua tolerabiliter explicatur a Zenonicis qui nullum motum eſſe prorſus continuum ajunt, incurrere in inenodobiles difficultates ſphæræ ſolidæ circa centrum in gyrum actæ, cujus partes a centro remotiores celerius ferri, propiores autem interea non quieſcere, ſed tardius moveri certiſſimum eſt.

11. A pagina vero 136 uſque ad 143 auctor proponit & ſolvere nititur eas Sexti, Zenonis & Bælii difficultates, quæ adverſus motus poſſibilitatem ex natura loci deducuntur. Ultimas hoc ſyllogiſmo eas concludit: *Si foret motus, ſpatium vacuum exſtaret; atqui ſpatium vacuum eſſe non poteſt. Ergo nec motus exſiſtere quit.* Majorem ſuadet iis argumentis, quibus efficitur motum ſine aliquo inani non poſſe haberi, communibus quidem, ſed adeo firmis ut eorum ſolutio nondum inventa fuerit. Minorem autem iis aliis quæ attulimus in diſputatione de vacuo §. 57. & ſeq. Ont. & §. 154. ibid.: & præſertim docet hæc duo, alterum ex perfecta diſtinctione inter parietes cubiculi & corpora intercepta clariſſime conſequi Deum poſſe educere aut in nihilum redigere corpora interpoſita, quin moveat aut corrumpat parietes; qua ratione vacui poſſibilitatem oſtendimus §. citato; alterum hoc inane interpoſitum cum evidenti ratione pugnare; idque ob tres rationes, 1. quia foret ſimul nihil, & aliquid ut pote extenſum, cum inter parietes eadem maneret, ac ante corporum eductionem, diſtantia, quæ ſine extenſione eſſe non poteſt; ſecundo quia inane non foret nec ſubſtantia, nec accidens; 3 quia non poſſet affirmari nec creatum, nec increatum.

12. Atque hæc ſunt præcipua argumenta, quæ laudatus Crouſatius adverſus corporum & motus exſiſtentiam excerpſit ex Sexto, & præſertim ex Bælio: quibus antequam ſatisfaciam, duo adverto primum tantum abeſſe ut ex oſtenſa impoſſibilitate duarum ex tribus circa continuam extenſionem hypotheſibus tertiam elicuerim, ut duas ex ipſis, ſi explicentur convenienti ratione, eſſe admittendas docuerim: alterum me in graviſſimis adverſus hypotheſim a me ſtatutam & invictis, niſi fallor, rationibus confirmatam, non confugere ad obſcuritatem materiæ utpote cum infinito aptæ & connexæ, quemadmodum faciunt Crouſatius aliique communibus addicti circa continuum ſententiis, ſed cla-

claras aliiſque Philoſophiæ principiis valde conſentaneas ſolutiones præbere; Primo enim luculenter doceo ex punctis aut ſubſtantiis extenſione carentibus ſive conjunctis, ſive disjunctis extenſionem oriri non poſſe §. 12. & ſeq. & §. 155. Ont. Inde efficio quod ſua veluti ſponte fluit, quodque in hac diſputatione caput eſt, unumque idoneum omnibus in quam clariſſima luce ponendis, & intricatiſſimis difficultatibus mira facilitate ſolvendis in uno continuo partes actu diſtinctas diſtinctione reali maxima non reperiri, ideoque quodlibet unum continuum eſſe actu ſimplex & inſecabile, ut neque Deus ipſe datum continuum in partes ſecare poſſit. §. 80.& ſeq. Ont. Quia vero perſpicuæ quam quæ maxime, rationes docent dari poſſe continuum aliud alio minus in infinitum §. 84. & ſeq. Ont. ex his colligo quodlibet primitivum extenſum eſſe virtute multiplex, immo infinitum, & in infinitas partes ſectile non ipſum in ſe, ſed quatenus a Deo creari poſſunt duo corpuſcula, tria, quatuor, 1000, 10000 &c. uſque in infinitum, quæ ſimul ſumta ſint illi uni æqualia. Ex quo Bælius videre poteſt & neceſſario admittendam eſſe Epicuri ſententiam de ſimplicitate & indiviſibilitate atomorum, in eo tamen ſenſu, quo illam ſum amplexatus, & alteram de diviſibilitate materiæ uſque in infinitum. Quæ duo cum ex altera parte ſibi prorſus adverſari Philoſophi ſemper crediderint, & ex altera obſervarint evidentiſſimis rationibus utramque ſuaderi, primum iis quas §. 78. & ex Leibnitianis §. 155. n. 33. & ſeq. Ont. & §. 24. n. 1. & 3. Pſych. protulimus alteram iis aliis, quas expoſuimus §. 83. & ſeq. Ont. cauſſa fuerunt illius ut in Log. §. 243. n. 17. animadvertimus communis ſententiæ in qua fuiſſe quoque Bælium vidimus ſupra num. 4. quod cujuslibet ſententiæ defenſor graviſſimis & luculentiſſimis utitur rationibus in eadem perſuadenda, ſed non poteſt alterius contrariæ rationes ſimiliter evidentes ullo modo infirmare. Nec aliter eſſe poterat; cum enim utraque non ſolum vera ſit, ſed etiam eſſe vera clariſſimis rationibus conficiatur, qui fieri poterat, ut qui unam tamquam veram defenderent, alteram tamquam falſam & primæ contrariam negarent, hujus alterius evidentiſſimas rationes diluerent? Quamobrem concedo Bælio impoſſibilem eſſe extenſionem illam in infinitum ſecabilem & partibus reipſa diſtinctis conſtantem, quam communiter admittunt qui Ariſtotelis hypotheſim amplectuntur, idque jam docui citatis locis iis rationibus quas nec Crouſatius, nec alii refutarunt, aut propter allatas cauſſas refutare poſſunt; ſed nego impoſſibilem eſſe extenſionem cujuslibet primitivi corpuſculi, tametſi ipſum in ſe ſimplex ſit & in partes inſectile. Ipſius enim rationibus jam cumulate ſatisfeci in Ont. §. 78. & ſeq. & §. 157. n. 10. dum oſtendi inter potentiales continuo partes dari quidem diſtinctionem realem, ſed non idcirco eſſe maximam, qualis inter duas ſubſtantias reperitur, partes continui non eſſe actuales, utpote ſuis quaſque terminis undique non circumſcriptas, quemadmodum forent duæ lævigatiſſimæ & æquales laminæ quæ cohæreſcerent; contactum unius dimidii non alius utpote puram alterius corporis ad alterum relationem non mutare internam earum partium naturam, & ex potentialibus in actuales nequaquam convertere, & alia plura ibi & alibi diſputavi, ex quibus Bælianæ difficultatis ſolutio colligitur. Nam verum quidem eſt contradictoria convenire in duas unius corpuſculi dimidias partes, quia una contingere poteſt unum corpuſculum & idcirco eſſe in uno loco, altera alterum ideoque exſtare quoque in altero loco, ſed inde non efficitur eſſe inter

ter

Digitized by Google

ter eaſdem illam realem maximam diſtinctionem quæ inter duas perfecte diſtinctas ſubſtantias intercedit, ſed ſolum aliquam maxima minorem. Quod declaratur cum ex eo quod contradictoria quoque conveniunt in ſubſtantiam & accidens, tametſi diſtinctione reali quidem ſed non maxima ſecernantur, tum vero ex illa noſtra doctrina §. 157. n. 10. Ont. ex qua colligitur inter diſtinctionem realem maximam & minimam dari plura diſtinctionum realium genera majora aut minora, prout majus vel minus eſt diſtinguendi fundamentum; propterea quod quemadmodum ſpeciali quadam & propria diſtinctione quæ ad nullam ex tribus ab Ariſtotelæis excogitatis reducitur, tres SS. Trinitatis Perſonæ internoſcuntur, ita particularis & propria diſtinctio cadit in virtuales corpuſculi primitivi partes, quarum fundamentum diſtinguendarum eſt proprium ac particulare, in eo poſitum quod unum corpuſculum eſſe poteſt æquale duobus, tribus, quatuor &c. uſque infinitum inter ſe perfecte ſecretis. Quo mihi videor penitus infirmare præcipuam Bælii rationem; nam quod attinet ad alteram ductam ex eo, quia diviſio partes non facit, ſed eas eſſe ſupponit, & dum corpus alterius ſuperficiem percurrens infinitas in eo partes deſignat num. 6. perinde facit, ac ſi eas divideret, eſſet quidem aliquid in ea momenti, ſi aut ponerem corpuſculum carere actualibus partibus, & ſimul ipſum in ſe poſſe in partes diſpeſci, aut contactus ſatis eſſet partibus ex potentialibus in actuales transformandis. Nunc vero cum & ſtatuerim atque perſpicuis rationibus confecerim nec divina potentia fieri poſſe ut corpuſculum ipſum in ſe in partes diſtribuatur, & planum fecerim contactu qui eſt pura alicujus corporis ad aliud externa relatio, corpus nulla ratione intrinſecus mutari, quid ponderis eſſe poteſt in hac Bæliana ratione? Homini quidem concedo eam valere ad id oſtendendum quod infinitæ partes in continuo deſignantur, & ego quoque tom. II. Phy. Gen. §. 434. n. 11. eam valide concluſi ad idem efficiendum, & præſertim ad illud monſtrandum, quod partes infinite parvæ deſignari queunt. Verum aliud eſt deſignare partes, aliud eas actuales efficere. Nam ex eo quod contactu deſignantur, non ſequitur eas ſuos quaſque proprios terminos, quibus ſingulæ circumſcribantur, acquirere, quod ad partes actuales eſſe neceſſarium docuimus, ſed illud unum Deum poſſe creare corpuſculum aliud æquale illi quamtumvis minimæ parti, quæ in alio corpuſculo deſignatur.

13. Quare cum hanc cujuslibet primitivi corpuſculi licet extenſi actualem ſimplicitatem & perſpicuis rationibus doceam, & clare quoque vindicem ab iis quæ contradicuntur, mihi videor eam me poſſe pro certa & explorata defendere, præſertim cum inde alia plura colligam, quæ obſcuriſſimas atque præcipuas Philoſophiæ quæſtiones in clariſſima ponunt luce, & multas eaſque inenodabiles difficultates facillime expediant, ut docui in tribus Phyſ. Gen. voluminibus, ac in his de re Logica & Metaphyſica libris, & hic etiam quod attinet ad Sexti & Bælii difficultates, ſum aliqua ex parte docturus. Nam ex eo quod omne primitivum extenſum corpuſculum ſimplex eſt & partibus caret actu diſtinctis, primum collegi nihil eſſe momenti in ea ratione, quam omnes Philoſophi pro demonſtratione obtrudebant in eo conficiendo, quod omne continuum extenſum eſt ejuſdem denſitatis, in eo poſita quod partes, ubi ad proximum contactum pervenerunt, non poſſunt ſe magis contingere. Etenim vidi eam falſo inniti fundamento, cum contactus ſit relatio inter duo diſtincta, & partes, quæ diſtinctæ non ſunt, non queant ſe contingere, ideo-

Digitized by Google

que nec plus, nec minus, nec proxime, nec remote, in quo difficultas poſita eſt §. 93. Ont. Hac excuſſa præjudicata opinione, mihi fuit integrum ſentire vim rationum, quæ continuum extenſum aliud alio denſius eſſe poſſe ſuadebant, & præſertim illarum duarum §. citato, alterius quod uti nullus eſt definitus magnitudinis gradus, ita nullus eſt ſpiſſitudinis; alterius vero quod contactus duorum corporum eſſe poteſt, & contactus in interiori ſubſtantia, non in pura ſuperficie perficitur; cujus demonſtratio a me ibi allata & §. 401. Operis de Magnete ſi evidenter concluſa non eſt, non video quid aliud poſſit evidenter monſtrari. Quo conſtituto cadit prima Bælii ex Zenone excerpta difficultas, & colligitur ſphæram aut angulum tranguli ſeu cubi ſe in interiorem plani ſubſtantiam inſinuare, cum fit contactus, atque ideo non in puncto inextenſo, ſed in parte tribus donata dimenſionibus planum ab angulo cubi contingi. §. 75. Ont. Quamobrem ajo tantum abeſſe ut, quod ſtatuit Bælius, penetratio corpuſculorum repugnet, ut ea neceſſario fieri debeat ſemotis accidentalibus expultricibus in interiori corporum ſubſtantia viribus §. 77. & §. 303. Ont. Huic difficultati Crouſatius reſpondet contactum inter ſphæram ſive angulum cubi, interque planum fieri in puris extremitatibus, quas, utpote initia extenſionis, non repugnat eſſe inextenſas. Hæc ratio utcumque ſolvit difficultatem, ſi ſphæra aut angulus cubi ſuper plano quieſcat; at ſi ponamus eam continuate moveri, & ideo ſuper plano veram lineam latitudine carentem deſignare, ajet ne contactum ſemper in extremis perfici, & ideo extrema continenter reperiri alia poſt alia, cum & ipſe pluribus locis eam tradiderit veram doctrinam quam & nos pluries inculcavimus, inter unum extremum & alterum rem extenſam eſſe interpoſitam? Cum is nihil de illa ſpeciatim diſſeruerit, & alioquin ab antiquis temporibus Philoſophi præſertim Scholaſtici ſuum contuderint ingenium, ut aliquod illi ſolvendæ accommodatum elicerent, & in omnes partes ſe verſantes nihil tolerabile protulerint, ut quidam eo progreſſi fuerint, ut dicerent ſphæram per ſaltum a puncto ad punctum tranſire, id multo magis confirmat meam illam eamque perſpicuam reſpondendi rationem eſſe illam unam quæ cum veritate conſentit.

14. Quo cadit etiam difficultas n. 5. propoſita, quia propter allatas a nobis §. 75. Ont. & tom. 1. Phyſ. Gen. §. 201. n. 35. repugnat proximus duorum extenſorum in pura ſuperficie contactus, & falſum eſt quod ex præjudicatis communibus opinionibus ſtatuit Bælius, ex hypotheſi quod exſiſtat extenſio, neceſſario ſequi corpora ſe poſſe proxime contingere in pura ſuperficie. Ex dictis enim colligitur alterum ex his duobus fieri poſſe, ut vel tantiſper abſint, vel ſi ſe incipiunt contingere, hic contactus in interiori ſubſtantia perficiatur. Quorum primum mihi alteram ſuppeditaret rationem diluendæ Bælianæ difficultatis, ſi §. 42. & ſeq. Ont. & §. 90. Pſych. non oſtendiſſem omnes corporum vires, quemadmodum & animarum, ad ipſorum eſſentiam accidere. Nam ſi rationem non habeam argumentorum quibus id enucleate monſtravi, poſſem in interiori corporum ſubſtantia ponere, non accidentalem ut feci §. 303. Ont. & §. 201. tom. 1. Phyſ. Gen., ſed eſſentialem vim expultricem adeo magnam, quæ corporum motum ante extingueret, quam corpora ad contactum pervenirent. Quo in eventu nihil eſſet momenti in duabus n. 2. expoſitis rationibus, quibus Bælius arbitratus eſt ſe non perſuadere ſed cogere, dari proximum duorum corporum contactum. Nam primo mirum videri non de-

Digitized by Google

debet gravem ſphæram in exigua a plano diſtantia quieſcere viribus gravitati qua deorſum pellitur, & repulſionis plani qua ſurſum, redactis ad æquilibrium. Cum vero colorata illa ſemita a ſphæra rotante relicta poſita ſit in liquido corpore illius coloris, quod ante cohærens cum ſphæra, deinceps cum plano cohæſit, ſimiliter ob eaſdem rationes ſtatuerem corpus hoc a plano aliquantiſper abeſſe. Quo ſatisfit duabus Bælii rationibus, & multo magis confirmatur nullam Bælio cauſſam fuiſſe ex contradictoriis, quæ proximus in ſuperficie contactus includit, eliciendi impoſſibilitatem extenſionis.

15. Ex quibus eruitur quatenus intelligendaſunt quæ Crouſatius pag. 108. & ſeq. & alii ante ipſum aut poſt ipſum diſſeruerunt de angulo contactus inter circulum & tangentem, ſive inter planum & ſphæram. Nam Geometricæ demonſtrationes ſupponunt contactum fieri in pura ſuperficie; quod cum abſit a vero, conſequitur eas demonſtrationes non eſſe exactiſſime veras, ſed ſolum quatenus permittit exigua penetratio per ſpatium aut phyſice minimum, aut etiam infinite parvum, ſi quantitates infinite parvæ eſſe queunt §. 150. Ont. Sed de his quæ pertinent ad difficultates Geometriæ, parte 1. tom. 1. Phyſ. Gen. ex profeſſo tractavimus, & alias etiam diſſeremus; ex quibus multo veriores, quam præſtiterit Crouſatius & alii, communibus circa continuum addicti ſententiis, eruemus ſolutiones eorum argumentorum, quibus Sextus, Epicurus, Bælius, Huetius, aliique Sceptici certitudinem Matheſeos labefactare conati ſunt.

16. Nunc revertor ad Bælium, & ſolvere aggredior objectum num. 3. atque ajo, tametſi omnes ante Carteſium crediderint qualitates ſenſibiles eſſe in corporibus, quæ non ſunt niſi animæ noſtræ ſenſationes, tamen ſufficientem non eſſe Philoſopho cauſſam dubitandi de exſiſtentia aut corporum, aut extenſionis. Jam enim in Logicis §. 233. n. 6. & ſeq. tradidi, & in Pſychologia ſæpe uſurpavi regulas, ex quibus colligi poteſt, quamdonam Deus nos deciperet in claris rerum quæ extra mentem non ſunt, ſenſationibus excitandis, perinde ac ſi extra mentem exſtarent, & quando ſecus. Si enim Deus has excitet ſenſationes, & idoneum providerit medium, quo in erroris cognitionem venire poſſemus, tunc Deus nos non falleret, ſed nos falleremus nos ipſos, qui medio ad errorem diſcutiendum accommodato non uteremur. Sin autem primum præſtaret, nec aliquod ad acquirendam erroris cognitionem medium ſuppeditaſſet, tunc ipſe dicendus foret nos decipere, qui tantam præberet erroris occaſionem, & nihil ad illum cavendum tribueret. Primum uſuvenire obſervavimus in multis quæ pertinent ad apparentem corporum figuram & magnitudinem, quia reflectendo ad rationes, quas ex ipſiſmet ſenſuum experimentis colligimus, venire poſſumus in cognitionem, corpora ex. g. quadrata & magna, ſi eminus videantur, rotunda & exilia apparere oportere. Hac de cauſſa in Pſych. §. 167. ex eo quod anima apparet eſſe cauſſa effectrix motuum corporis, ſequi negavi Deum nos decipere, etiamſi talem non eſſe ſtatuerim, proptereaquod claris perſpicuiſque rationibus docui fieri non poſſe, ut vel anima in corpore, vel corpus in anima operetur. Ex adverſo quia ſenſus omnes clamant eſſe veras in belluis ſenſationes, & nulla perſpicua ratione confici poteſt animam immaterialem & inextenſam in belluis reperiri non poſſe, idcirco §. 146. & ſeq. Pſych. futurum fuiſſe docui ut Deus nobis imponeret, ſi veræ in iiſdem ſenſationes minime exſtarent. Jam vero claræ perſpicuæque a nobis in Pſychologia §. 112. & ſeq. expoſitæ rationes monſtrant in corporibus ſenſationes doloris, voluptatis, ſapo-

poris, coloris atque ſimilium eſſe nequire. Ergo ſiquis credat eaſdem in materia inveniri, ipſi vitio vertendum eſt, non Deo, qui ad diſpellendum errorem lumen rationis ſuppeditavit. At ſi corpora, vel extenſio non exſtent, tametſi ſenſibus tamquam exſiſtentia videantur, nihil eſt quod in cognitionem veritatis nos poſſit inducere. Nam quæ una ratio reſtaret poſita in oſtendenda corporum & extenſionis impoſſibilitate, ea jam a nobis evidenter ſublata eſt partim §.251. n.8. Ont. partim §. 124. Pſychologiæ, cum primo adverſus Lochium & Ariſtotelæos, & deinceps adverſus Berklejum diſputaremus. Nam ad rationem ibi allatam adverſus extenſionis poſſibilitatem reſponderi non poteſt, quod Crouſatius repoſuit ad ultimam Bælianam num. 4., quam ſatis refutari ait partibus partium continui, quæ tanto minores ſunt, quanto magis creſcit numerus partium in quas continuum intelligitur diſtributum, & in qua diluenda ſi quid obſcuri reſiduum eſt, non aliunde oriri advertit, quam a finitudine mentis, quæ infinitum in extenſione latens exhaurire non poteſt. Siquidem citatis locis docuimus in communi ſententia quod partes continui ſint ſemper extenſæ, tametſi in infinitum continuetur diviſio, & nihilominus omnes inter ſe diſtinctæ tamquam partes actuales, eam rationem eſſe prorſus evidentem demonſtrationem impoſſibilitatis talis extenſionis continuæ non minus, quam ſit evidens adverſus Atheos demonſtratio impoſſibilitatis exſiſtentiæ omnium entium; ſi quodlibet ens foret ab alio: aliterque ſolvi non poſſe, niſi ex noſtra ſententia ſtatuamus prima corporum elementa eſſe corpuſcula extenſa, nullis actualibus donata partibus & prorſus inſectilia, tametſi Deus creare poſſit alia corpuſcula creatis in infinitum minora, quæ tamquam ipſorum partes in quas ſecentur, haberi queant. Quæ cum ita ſint, conſtare arbitror futurum eſſe ut Deus nos decipiat, ſi corpora & extenſio non exſtent, ideoque a divina bonitate quæ nos fallere nequit, perſpicuum deſumi argumentum pro corporum & extenſionis exſiſtentia.

17. Sed hæc ſint ſatis; venio ad Bælii difficultates adverſus motum & tempus. Ad quas illud univerſe ſtatuo nullius prorſus momenti haberi oportere omnes eas difficultates, quæ huc revolvuntur, ut ſpatium infinitis partibus conſtans finito tempore abſolvi non poſſe dicamus. Nam ſi quis objiceret aliquem ex. g. longum funem numero finito pedum pariſienſium nos metiri non poſſe, eo quod funis, utpote in infinitum ſectilis, ex partibus infinitis componitur, omnes reſponderent id nihil obſtare, quia ſive funis ex infinitis partibus, ſive ex finitis coaleſcat, etiam pes pariſienſis eſt quantitas ejuſdem ſpeciei, ideoque ad eumdem ſive finitudinis ſive infinitudinis gradum attollitur. Unde mirum non eſt, ſi pes ad funem rationem habeat finitam, & aliquoties repetitus eamdem exhauriat. Jam vero ita ſe res habet in motu & tempore; nam tempus non eſt niſi quidam certus ac determinatus æquabilis motus, quem homines in hoc convenerunt ut pro communi aliorum motuum menſura una cum ſpatio confecto ſtatuerent ea ratione, qua id explicavimus in Ont. §. 123. & ſeq. & §. 156. ubi etiam factum eſſe docuimus, ut pro hac communi menſura motum ſolis diurnum nationes omnes poſuerint. Quo poſito quid eſt una hora corpus abſolvere ſpatium milliaris, niſi hæc duo ſimul haberi, motum corporis per ſpatium unius milliaris, & motum ſolis per unam vigeſimamquartam partem orbis diurni? Poteſt ne mirum videri Bælio ſimul incipere & ſimul deſinere motum corporis per unum milliare, & motum ſo-

lis.

lis per 1 : 24 orbitæ ſuæ ; idque ob eam cauſſam quod milliare conſtat partibus infinitis, hora vero finitis ; cum tam motus per unum milliare, quam motus per 1 : 24 partem circuli diurni ſint quantitates ejuſdem ſpeciei, & eodem genere infinitatis, aut finitudinis contineantur?

18. Quamobrem hoc miſſo argumentandi genere, utpote prorſus inepto, & nullam habente vim niſi in obſcuris motus & temporis notionibus, venio ad illas rationes, quibus ex illo uno, quod partes in infinitum minores ſunt in quolibet vel exiguo ſpatio, colligitur ſpatium tranſiri non poſſe. Sed ante duo adverto, primum ſimul ac oſtenſum eſt dari poſſe cujuslibet ſpatii finiti $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{16}$, &c. in infinitum, amplius negari non poſſe motum & tempus eſſe uſque in infinitum ſectilia, quia motus & ideo tempus illi reſpondens durare poteſt ſolum per $\frac{1}{2}$, per $\frac{1}{4}$, per $\frac{1}{8}$, &c.; quo in eventu poſſumus habere motus & temporis partes minores atque minores in infinitum, & ideo motum & tempus ſecari poſſe conſtat in infinitas partes eodem ſenſu, quo etiam extenſum continuum ſecari poſſe, non ipſum in ſe, ſed in aliis ipſo minoribus ſupra docuimus: alterum eſt ſi ſpatium conſtaret ex punctis inextenſis, quorum aliud alii proxime ſuccederet, motum futurum eſſe impoſſibilem ob eam rationem quam dedimus in Ont. §. 119. & Bælius etiam inſinuavit, in eo ſitam quod corpus eodem inſtanti foret in tribus punctis, in eo a quo diſcedit, in eo per quod tranſit, & in eo ad quod pervenit.

19. His animadverſis ajo difficultatem ſolvi non poſſe, niſi confugiamus ad eam noſtram doctrinam quam §. 249. Ont. & hic §. 17. tradidimus. Qua enim ratione adverſus Atheos docemus infinita entis ſumme perfecti virtute fieri, ut quamvis inter nihil entis & ens intervallum ſit relative infinitum, tamen ens a nihilo ſui ad exſiſtentiam tranſire queat §. cit. eadem conficimus corpus a nihilo ſpatii ad ſpatium finitum tranſire poſſe, tametſi diſtantia relative infinita intercipiatur. Siquidem hæc tria conſtituimus, purum motum ſine aliquo abſoluto quod ſit illius ratio ſufficiens quodque dicitur vis motrix, exſtare non poſſe §. 43. Ont. hanc vim a Deo creari debere ex nihilo non minus, quam ſubſtantiæ ex eodem educantur §. cit. & ſeq. & §. 245. Ont. ac velocitatem ita eſſe conjunctam cum tali determinata vi, ut ſit illius differentia ſubſtantialis & inſeparabilis §. 302. n. 3. Ont. Quamobrem etſi ſpatium in infinitas partes dividi poſſit, tamen non debet obſtare quominus corpus a principio ad finem illius tranſmittat ob infinitam Dei virtutem, qui vim idoneam ad id præſtandum, & cum idonea velocitate creat.

20. Adminiculo hujus vis motricis quæ ſit accidens abſolutum in corporibus proxime a Deo creatum, ſolvitur etiam objectum num. 8. Motus enim una cum vi motrice quicum jungitur, eſt diſtinctus a materia, tamquam accidens a ſubſtantia, & cum denuo exſiſtit, ex nihilo fit, quatenus in materia creatur vis motrix quæ cum motu tamquam cum ſua ſubſtantiali differentia copulata eſt; & cum ceſſat, in nihilum abit deſtructa vi motrice. Illi vero axiomati *ex nihilo nihil fit, & in nihilum nihil revertitur*, quatenus pugnare videtur cum creatione ac deſtructione rerum, jam fecimus ſatis §. 17. ut hic neceſſe non ſit perſpicuum facere ab eodem non labefactari quam hic ſuſtinemus, creationem deſtructionemque vis motricis. Quod Bælius addit viribus

bus quæ forent extenſæ, uti eſt corpus per quod diffunduntur, & ideo extenſiones compenetratæ cum extenſione corporum haberentur, id nullam vim habet, tum quia non repugnat compenetratio neque in duabus ſubſtantiis extenſione donatis §. 75. Ont. tum quia vis eſt quidem in corpore extenſo & circumſcripto figura, ſed non eſt extenſione & figura donata, & partes non habet niſi in ſenſu, quem in Pſych. §. 118. explicavimus. Quod vero falſe ſubjungit de tribus viribus quæ ſint in eodem corpore & ſingulæ ſuam in motu gignendo ſymbolam conferre debeant, ſatis ſuperque refutatur ex eo, quod docuimus §.271. n.3. non tres a Deo creari vires in navi occaſione trium corporum, quæ in illam incurrunt, ſed unam tantum ejus velocitatis ac directionis, quam leges volunt in compoſitione virium ab ipſo ſtatutæ.

21. Similiter ope vis motricis ſolvitur ſequens Bælii objectum, & perſpicua nullique objecta difficultati traditur definitio motus. Concedo equidem definiri non poſſe per translationem corporis ab alia ad aliam inanis partem, quia licet vacuum eſſe poſſit §. 57. & ſeq. Ont. non tamen eſt extenſum actu, ſed pura recipiendi extenſa potentia, nec plures habet partes, a quarum aliis ad alias corpus motum tranſire poſſit; ſed nego definiri non poſſe per mutationem ſitus, ratione habita aliorum corporum. Carteſiani quidem hoc pacto definire non potuerunt; quia nullam vim a motu diſtinctam in corporibus ponentes, nullam differentiam invenire potuerunt inter mutationem ſitus quæ in corpore moto, interque illam quæ eſt in quieſcente. Ego vero id præſtare potui, qui cum ante ſtatuiſſem corpora non poſſe mutare ſitum, niſi a Deo creetur vis tamquam aliquod abſolutum, quod ſit hujus mutationis cauſſa §. 42. Ont., definire potui motum per id, quo corpus fit proxime potens contingendi partes alias poſt alias corporis alterius, idque propter rationem, ſeu vim motricem quæ in eo eſt, hancque definitionem propter addita ultima verba omnibus & ſolis corporibus motis convenire monſtravi. Quamobrem ex eo quod bona motus definitio tradi non poteſt, colligi nequit motum eſſe reponendum inter ea quæ niſi in animæ cognitionibus exſtare non queunt.

22. Motus circularis difficultas mihi negotium faceſſere nequit, qui ex natura vis §.302. n.4. Ont.& hic. §.241. clariſſime collegi quemlibet motum eſſe debere per lineas rectas ſaltem quamtumvis exiguas, aut etiam infinite parvas, ſi quantitates infinite parvæ eſſe poſſunt. Nam in motu recto ſingulas corporis moti partes eadem velocitate cieri nemo non videt. Qua motus circularis ex lineolis ſaltem infinite parvis minime compoſiti poſſibilitate negata, planum eſt nullum eſſe momentum in ea ratione qua Philoſophi contra Zenonem conficere ſe poſſe putant dari poſſe motum continuum alium alio velociorem, ducta ex eo quod dum ſolidiſſima ſphæra in gyrum torquetur, omnes partes ſemper moventur, & nihilominus remotiores a centro majorem præ propioribus velocitatem habent; idque jam docuimus §.302. n. 5. Ont. Quamobrem neceſſe non fuit aut Zenoni confugiendi ad inflexionem partium ſolidiſſimæ ſphætæ, aut Bælio hanc reſponſionem infirmandi experimento magnæ rotæ in orbem converſæ, cujus radii ad ſenſum recti permanent; quod fieri non poſſet, ſi pars ſumma radii centies majori velocitate, quam pars centro propior cieretur, & tunc minor ſecundæ velocitas ex pluribus & longioribus morulis in ſententia Zenonis penderet. Dico itaque adverſus Bælium unum motum continuum eſſe poſſe monſtrari alium alio velociorem §. 117. Ont. propter eaſdem

dem rationes quibus conſeci §. 91. Ont. unum continuum extenſum eſſe poſſe aliud alio denſius; cumque hæc major aut minor velocitas ſit una ex ſubſtantialibus vis motricis differentiis, quemadmodum major vel minor denſitas eſt una ex tribus ſubſtantialibus extenſi continui, rationem a priori internam & a partibus diſtinctis continui aut permanentis aut ſucceſſivi petitam non eſſe quærendam a Bælio ob eamdem cauſſam propter quam §. 153. Ont. adverſus quoſdam Leibnitianos oſtendimus non eſſe inveſtigandam extenſionis ipſius, ductam ex eo quod extenſionis, utpote primitivæ & ſubſtantialis eſſentiæ, & idcirco ſubſtantialium ipſius differentiarum ratio interna non eſt.

23. Quibus conſtitutis venio ad anteriores n. 5. & ſeq. difficultates, quas ſum prætergreſſus, ut poſteriores cum doctrina ſuperius tradita valde connexas in anteceſſum refutarem. Quemadmodum in uno continuo extenſo permanenti nullæ ſunt partes actuales inter ſe diſtinctæ, quarum aliæ alias contingunt, ita in uno continuo ſucceſſivo, qualis eſt motus, & ideo etiam tempus a motu nequaquam diſtinctum, ſaltem in minimis partibus §. 112. Ont. nullæ ſunt hæ diſcretæ partes, quarum aliæ aliis proxime ſuccedere dicantur. Quemadmodum enim contactus eſt relatio quæ plura diſtincta deſiderat; ita ſucceſſio ſimiliter eſt relativæ naturæ, & idcirco inter plura intercedat oportet. Et quemadmodum extenſum intelligitur habere in potentia partes extra partes quæ ſe contingant, eoquod congruere poteſt duobus, tribus, quatuor &c. diſtinctis extenſis; ita motus percipitur in ſimili potentia habere partes extra partes quæ ſibi viciſſim ſuccedunt, eoquod unus motus continuus, ex. g. per unam lineam, poteſt eſſe æqualis duobus diſtinctis ſibi ſuccedentibus, quorum ſinguli ſint per dimidiam lineæ partem, tribus, quatuor, quinque &c. quorum ſinguli per tertiam lineæ partem, per quartam, per quintam &c. perficiantur. Sic explicatis motus & temporis partibus, ipſa per ſe cadit Bælii difficultas, & apparet continuatam rerum ſucceſſionem ex momentis in proprio ſenſu acceptis non componi, ſed ex partibus ita in potentia ſucceſſivis, ut ſingulæ poſſint æquivalere duabus, tribus, quatuor &c. vere diſtinctis. Et ſane §. 133. Ont. jam docuimus nullum dari tempus in ſenſu abſoluto præſens, & inſtans ſive momentum in proprio ſenſu acceptum non eſſe capax, ut in eo aliquid fit, moveatur, & vivat, ſed ſolum ut incipiat, aut pergat, aut deſinat eſſe, moveri & vivere. Ex quibus colligitur iis potius qui hæc inficiantur, eſſe inurendas notas, quas Bælius aliis inuſſit. Colligitur etiam reſponſio ad ſequentes difficultates, quarum vis in eo poſita eſt, ut ſpatium motu percurrendum ſit in infinitas partes ſectile, non vero tempus. Nam quod ſtatuitur de impoſſibilitate infiniti numeri partium continui quod habet primam & ultimam, jam in Ontologia ſolutum eſt §. 144. ubi oſtendimus cum infinito relativo pugnare quidem terminos internos, non autem externos: ut nunc mittam corpuſcula ex quibus omne extenſum conſtat, eſſe numero finita, eaque ſingula eſſe veras ſimplices partes, ſi ipſa per ſe conſiderentur. Unde magis liquidum fit, quomodo corpus motum percurrat primam & ultimam alterius corporis partem, quin ad commentum punctorum inter partes extenſas interpoſitorum confugiamus §. 116. Ont.

24. Venio ad ultimam difficultatem n. 11. expoſitam, quam eſſe graviſſimam ſtatuo in aliorum ſententia, tum eorum qui vacuum eſſe poſſe negant, tum eorum qui affirmant, nullam in mea. Nam qui vacuum eſſe poſſe inficiancian-

Digitized by Google

diantur, primum adverſantur illi evidenti rationi, quam ex perfecta inter parietes cubiculi & corpora intercepta diſtinctione deduxi §. 57. Ont., & Bælius ipſe colligi quire vidit; deinde ipſam illam pro qua digladiantur, tollunt de medio poſſibilitatem motus, qui ſine inani inter corpora interpoſito eſſe nequit §. citando. Negat quidem Crouſatius, & cum eo multi alii, id adhuc ſuiſſe monſtratum, & aſſentior, ſi animum advertamus ad ſolas Newtonianorum aliorumque rationes, quibus homo aliique non pauci ſic reſpondent, ut pro certis demonſtrationibus venditari non poſſint. Inficias tamen eo de ratione, quam ego aſtrinxi §. 135. 136. tom. III. Phyſ. Gen. quam ex certis principiis perfectæ primitivorum ſoliditatis, & impoſſibilitatis cujuſcumque diviſionis collegi. Nam quæ duæ rationes ad oſtendendam motus abſque inani poſſibilitatem, a Crouſatio citato loco afferuntur, eas ego facile oſtendo nullius eſſe momenti; primam enim, ductam ex eo quod politiſſimæ ſuperficiei ſphæra, intra politiſſimam concavam alterius corporis ſuperficiem concluſa, in gyrum torqueri poteſt ſine adminiculo vacui, non ſuadere quod auctor vult, ſupra confeci, cum impoſſibilitatem motus in linea curva, quæ ex lineolis rectis non conſtet, oſtendi. Qua impoſſibilitate poſita, ſi ſphæræ & corporis ſphæram continentis ſuperficies ſint perfecte curvæ in eo ſenſu, ut neque infinite exigua plana contineant, nullus eſſe poterit motus, proptereaquod ex altera parte eſſe nequibit niſi motus perfecte circularis, & ex altera hic motus eſt abſolute impoſſibilis; ſin autem ex planis ſaltem infinite exiguis ſuperficiebus conſtet, nullus pariter eſſe quibit ex defectu neceſſariæ a centro ſphæræ uſque ad medium cujuslibet plani concavæ ſuperficiei diſtantiæ. Siquidem diſtantia a centro ſphæræ ad angulum unius plani tum ſphæræ, tum concavæ ſuperficiei erit major diſtantia ab eodem centro ad medium plani ejuſdem concavæ ſuperficiei, atque latus illud ſphæræ quod ante motum incurrebat in angulum concavæ ſuperficiei ad omne vacuum excludendum, non poterit proximum planum ejuſdem percurrere, eo quod brevius fieri deberet, quod pugnat cum perfecta ſphæræ primitivæ de qua hic agimus, ſoliditate. Quamobrem hic motus in gyrum eſſe nequit ſine interpoſito vacuo: ut nunc taceam, ſi talis ſphæra in orbem torqueretur, dum corpus contentum quieſcit, futura eſſe parva inania in angulis concavæ ſuperficiei, toto illo tempore, quo anguli ſphæræ plana percurrunt. Alteram autem ductam ex eo quod ſi planum duobus momentis ex. g. ſecum deferat per ſpatium ſex pedum corpus ipſi impoſitum verſus orientem, & manus in contrariam partem talem cum corpore communicet vim, ut eodem tempore ſex pedes verſus occaſum conficere debeat, corpus illud vere movetur, & nihilominus in eodem immobili ſpatio perſeverat, miror uſurpari ab eximio Geometra & Mechanico, qui ſcire debebat, quod ad hoc infirmandum objectum §. 107. Ont. reſpondimus, in præfato eventu æquales & omnino contrarias vires motrices haberi, & corpus duabus æqualibus atque omnino contrariis percitum viribus moveri non poſſe, quia vires contrariæ & æquales ſe viciſſim perimunt, ideoque perinde eſt, ac ſi dictum corpus nulla prorſus vi cieretur. Cum ergo & evidenter oſtendamus ſine inani motum eſſe nequire, & allatis in contrarium rationibus luculenter ſatisfaciamus, certiſſima eſt illa major, quam Bælius aſſumſit n. 11. enuntiatio: *ſi foret motus, ſpatium vacuum exſtaret*.

25. Quamobrem venio ad minorem, *atqui ſpatium vacuum eſt impoſſibile*, &

& ad rationes quibus eadem ſuadetur. Sed antequam eas diluam, adverto in hac de vacuo deque continuo diſputatione duo rationum genera a Scepticis & a Bælio uſurpari; unum earum quæ dici poſſunt negantes, quæque poſitæ ſunt in difficultate percipiendi aliquod ex iis, quæ a dogmaticis clariſſime demonſtrantur; alterum earum quæ appellari queunt ajentes, & magna perſpicuitate oſtendunt quidpiam quod a primis aſſumitur. Primi generis eſt illa Bælii ſub finem num. 4.; cum enim ſumma perſpicuitate conficiatur dari poſſe extenſum aliud alio minus uſque in infinitum, certum eſt in quolibet vel minimo ſpatio contineri poſſe corpuſcula extenſa numero infinita ſaltem potentia, eaque Bælii contraria ratio non eſt poſita, niſi in difficultate clare percipiendi quomodo id fiat, & tantam tot particularum exilitatem, ut omnes ſimul conjunctæ valde exiguum ſpatium occupent. Secundi vero generis ſunt illæ, quibus efficitur, ſi extenſum ipſum per ſe in infinitum ſecari poſſit, partes ipſius eſſe infinitas & actu diſtinctas ante diviſionem; ſi omnes partes ſint actu diſtinctæ, prima corporum elementa dari non poſſe §. 153. & 251. n. 8. Ont. & primam extenſionis rationem repeti debere a partibus, eo quod diſtinctæ ſunt, & nihilominus repeti non poſſe neque a partibus extenſis neque ab inextenſis §. citato Ont. & alia hujuſmodi clariſſime ex perſpicuis Philoſophiæ principiis colligi, quemadmodum ſupra vidimus & in Ont. Quod attinet ad primas, non improbo rationem Crouſatii, qui ſæpe docet ea quæ clare percipiuntur ac demonſtrantur, non eſſe neganda aut in dubium revocanda, eoquod non omnia quæ cum iis ſunt apta & connexa, ſimili perſpicuitate perſunduntur; mirumque videri non debere ſi res quæ infinitum attingunt, quales ſunt quæ pertinent ad inane & ad continuum, a noſtra mente finita comprehendi non poſſint. Quam rationem ego quoque ſequor in explicanda ratione qua corpus a principio ſpatii ad finem pervenit, eoquod eſt eadem ac illa, qua per infinitam Dei potentiam res a nihilo ſui tranſeunt ad exſiſtentiam, tametſi inter non ens & ens intervallum ſit relative infinitum num. 19. Nec adverſarii aliquam habent contradicendi rationem, eo quod rationes prorſus evidentes obſcurari non poſſunt ab iis, quæ ſolum efficiunt rem eſſe captu difficilem. At quod attinet ad ſecundas, nec Crouſatii, nec Peripateticorum mihi ratio probari poteſt, dum evidentibus rationibus, quibus Sceptici quidpiam ſuadent, reſpondent difficultatem in eo poſitam eſſe, quod cum agitur de infinito, res eſt nimis captu difficilis, aut opponunt inexplicabiles & obſcuriſſimas rationes, quæ contrarias evidentes infirmare non poſſunt. Quamobrem mihi eſſe neceſſarium duxi aliam tenere viam, quo Scepticis poſſem juſtam ſuarum dubitationum cauſſam eripere. Quod dum exſequutus ſum, comperi quod ſupra docui n. 12. multa ex iis quæ hiſce perſpicuis rationibus conficiuntur, exiſtimata quidem fuiſſe alia aliis adverſari, quod unum fuit cauſſa & origo omnium in hac materia errorum, & illius communis opinionis, quod ſingulæ ſectæ ad ſuas quæque confirmandas ſententias clariſſimis utuntur argumentis, non queant autem contrariarum pariter clariſſima argumenta ullo pacto infirmare; ſed reipſa mirifice cohærere, ut citato loco & in Ont. tota diſputatione de quantitate feci perſpicuum. Simile vero contingit etiam in quæſtione de vacuo; perſpicuis firmiſque rationibus docetur vacuum eſſe poſſibile, immo reipſa conſtare in hac rerum univerſitate, in qua corpora perpetuo cientur motu, qui eſſe non poteſt ſine aliquibus ſaltem exiguis interjectis inanibus locis. Non minus perſpicuis

Digitized by Google

ac firmis evincitur ſpatium vacuum repugnare, quod foret ſimul aliquid, & nihil, nec poſſet dici aut creatum aut increatum. Verum hæc duo non pugnant inter ſe, quia aliud eſt inane, aliud ſpatium inane. Simul ac enim appellatur ſpatium, ſit extenſum oportet, & pro extenſo uſquenum habitum fuit inane tum ab iis qui illud tamquam impoſſibile repudiarunt, tum ab iis qui tamquam poſſibile amplexati ſunt. At vero inane quod eſt poſſibile, immo neceſſarium pro motu, non eſt actu extenſum, ideoque nec ſpatium, ſed ſola poſſibilitas recipiendi extenſa, quæ in Deo eſt, ſeu potentia quam habet Deus in ſe continendi extenſa; quo uno ſartatecta ſervatur clariſſime demonſtrata vacui poſſibilitas, nullo negotio diluuntur omnes quæ contradictæ fuerunt, efficaciſſimæ rationes, & omnibus quæ circa vacuum an ſit creatum, an increatum, utrum ſit ſubſtantia, an accidens; facillime ſatisfit. Id quod enucleate docui hic §. 49. n. 8., & §. 154. n. 4. Ont. quo loco jam monui, cum res eo deducta ſit, ut ex altera parte nimis clare confectum ſit, vacuum eſſe poſſibile, & ex altera debeat eſſe vel creatum vel increatum, impiis quibus tela Bælius ſuppeditavit, quique multa inde colligunt Chriſtianæ Religioni contraria, magnam anſam præberi, ſi uſi ratione qua ſe gerit Crouſatius, dum ſæpe inculcat, ad aliquid defendendum pro certo opus non eſſe omnia tenere quæ cum illo connexa ſunt, has graviſſimas quæſtiones in ancipiti relinquamus.

26. Ratio vero quæ in hiſce rebus me potiſſimum movit ad improbandam Crouſatii & aliorum rationem in Scepticis confutandis, atque ad aliam excogitandam, in eo poſita eſt, quod ex altera parte primam exſiſtentiæ corporum & motus cognitionem ex animæ ſenſationibus haurimus, & ex altera quæ conſtanti ſenſuum teſtimonio nituntur, tamquam exſiſtentia certo admittenda ſunt, niſi eadem eſſe impoſſibilia reflexione & ratiocinio colligamus. Quamobrem ubi Sceptici claris perſpicuiſque rationibus docere videntur in natura corporum & motus multa eſſe contradictoria, ſatis non eſt reſpondere finitudini noſtræ mentis acceptum ferri oportere, ſi latis refelli non poſſunt, ſed opus eſt eaſdem enucleate diluere, quo poſſibilitas corporum & motus ſartatecta ſervetur, & ex teſtimonio ſenſuum pro ipſorum exſiſtentia firmum argumentum duci queat. Tota enim certitudo quam conſtans ſenſuum teſtimonium gignit, ex natura Dei, qui falli & fallere nequit, petenda eſt, ut §. 233. Log. oſtendimus, & alioquin in iis quæ per ſenſus apparent, nos Deum minime fallere ibidem docuerimus, ſi medium providit, quo in cognitionem erroris ſenſuum venire poſſimus. Unum autem ex mediis ſtatuimus eſſe rationem, ex qua rem quam ſenſus renuntiant, eſſe impoſſibilem colligimus; quo ſumus abuſi tum in conflictu corporum, §. 237. & ſeq. Ont. tum in commercio inter animam & corpus explicandis §. 160. Pſych. eo quod licet ſenſus externi aut intimus ſenſus referre videantur has ſubſtantias alias in aliis agere tamquam effectrices cauſſas, tamen hanc phyſicam actionem exerceri non poſſe rationibus omnino perſpicuis evicimus. Quamobrem niſi cum agitur de corporum & motus exſiſtentia, adverſus Scepticos cauſſa cadere velimus, neceſſe eſt illas adeo claras rationes, quibus iidem corpora & motum eſſe impoſſibilia monſtrarunt, confutare, non quemadmodum Crouſatius aliique vulgo fecerunt, qui aſtrictos ab iis nodos diſſolvere non potuerunt, eo quod aliquam veri in hoc difficillimo loco particulam, non omnes attigere, ſed quemadmodum in ſuperioribus eſt factum a nobis, qui cum fortuito in veras incidiſſemus ſententias, earum ope

ope difficultates omnes, quæ inenodabiles videbantur, extricare potuimus. Quod arroganter dictum videri non volumus, qui orationem in hunc induximus locum, ut quiſque manu quaſi tangere poſſit id quod alibi diximus, noſtrum circa vacuum, atque continuum ſyſtema & clariſſimis rationibus confici, & innumerabilibus univerſæ Philoſophiæ quæſtionibus maximam afferre lucem, & eſſe illud unum, quod graviſſimis Scepticorum difficultatibus mira facilitate diluendis idoneum ſit.

F I N I S.



NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto, per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Angelo Tommaſo Gattelli Inquiſitor Generale del Sant' Offizio di Breſcia, nel Libro intitolato: *Elementa Logicæ, Ontologiæ, Pſychologiæ ac Theologiæ Naturalis in quatuor Tomos diſtributa. Tom. Quartus, complectens Theologiam Naturalem, auctore Joanne Baptiſta Scarella Cl. Reg.*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente, per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Giammaria Rizzardi Stampator di Breſcia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe; e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 21. Agoſto 1762.

[*Sebaſtian Zuſtinian Rif.*
[*Alviſe Mocenigo 4.° Cav. Proc. Rif.*
[*Polo Renier Rif.*

Regiſtrato in Libro a carte 143. al Num. 705.

Giacomo Zuccato Segret.

Digitized by Google